



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo


Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.


Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>





NOV 24 1959

3 10 11
I, 4

I CAPIBREVI

DI

✓
GIOVANNI LUCA BARBERI

ORA PER LA PRIMA VOLTA PUBBLICATI

DA

GIUSEPPE SILVESTRI

VOL. I.

I FEUDI DEL VAL DI NOTO

I, 4

PALERMO

Tipografia di Michele Amenta

Via S. Basilio N. 40

—
1879

DG
861.2
+ B3
—
1

1123502

*Ad Catholicum eundemque Invictissimum Regem Hispaniarum,
et utriusque Siciliae Dominum Ferdinandum huius nominis quintum,
Rerum Sicularum Historia per praestantissimum virum equitemque
auratum Ioannem Lucam a Barberio congesta.*

INCIPIT PROLOGUS

Cum stavissem, Rex Invictissime, Siculas Res iussu scribendas esse que ad posteritatem nostram usque caligine rubigineque obliterate venerant easque probatissimis authoribus in medium afferre, evenit mihi id ipsum quod fere his accidit, qui numquam soliti sint navigare atque aliquem in locum traiecturi, ad litus primum accedunt ut se navi ac vento permictant, sed ubi tantam et tam late patentem altissimi pelagi vastitatem sunt conspicati, non ausi navem conscendere pedem retulerunt terrestri itinere profecturi, que per medias undas trahicere dubitarunt. Cum igitur de tuorum maiorum praeclarissimo stegmate atque patrimonio deque vettigalibus siculis pene singulis longa serie deducendis eram scripturus, quibus nil altius nihilque diffusius obstrusius et plexius esse potest, sed quod nihil sit magis habendum impromptu, elaborandum testimonio, explorandum perspicuitate, manifestandum pro patulo, institui ea tantum scribere que humeris meis pene essent paria, cum res sit pene nulla in qua et peccare gravius et periculosius sit errari, quam in ledenda tantarum rerum maiestate. Quocirca, Princeps Sereuissime, quandoquidem nullo prorsus motus indice preterquam tuo inssu, hoc tantum oneris susceperim qui me adhortatus es morem gerere, te oro precorque ea benivolentia et liberalitate officium suscipias meum qua a me sunt hec scripta.

BARBERI — *Capibrevi* — vol. I.

1

I.

Pragmatica « Post Bella » Regis Alfonsi

Alfonsus etc.

Vicerex etc. Nobilibus dicti Regni Sicilie Magistro Iustituario, Magistris Rationalibus, Thesaurario et Conservatori Regii Patrimonij, locumtenenti et Iudicibus Magne Regie Curie necnon Cristoforo de Benedictis legum doctori, ceterisque universis et singulis officialibus et personis ad quos spectat presentibus et futuris, consiliarijs et fidelibus regijs dilectis salutem.

Pro parte Universitatis terrarum Capizi et Mistrettæ fuit nobis noviter exhibitum et reverenter presentatum quoddam Regium Privilegium debita sollemnitate vallatum tenoris sequentis.

Alfonsus Dei gratia Rex Aragonum, Siciliae citra et ultra Farum, Valentiae etc. Magnificis Nobilibus et Egregiis Viris Magistro Iustituario, Magistris Rationalibus, Thesaurario, Conservatori nostri Patrimonij et Iudicibus Magne Curie et Christopharo de Benedictis legum doctori felicis urbis Panormi et alijs officialibus eiusdem Regni Siciliae ultra farum et eorum locatenentibus tam presentibus quam futuris et eorum singulis ad quos spectet, consiliarijs et fidelibus nostris dilectis gratiam nostram et bonam voluntatem.

Post bella Regni Siciliae citra farum cum Marchiae Anconitanae (*sic*), quae superatis tiramnis Deo authore feliciter peregrimus, ex quibus omnes homines ipsius Regni pacifice nostrum imperium et dictae Marchiae in plenum Romanae Ecclesiae dominium redapte sunt, tum post labores innumeros, quos Deo propitio sue pro tuitione et exaltatione Ecclesiae, et alios substinuimus circa opportunam rerum et iurium nostri Patrimonij alienatarum recuperationem cum omni detemptorum indemnitate, cura nostre sollicitudinis, ita proinde accomodata est ut visis et plenius recensitis nostrorum retro Principum diversis Constitutionibus, Pragmaticis Sanctionibus et Regiis sententijs ad eandem confirmationem satis horum recuperationes plene prospicientibus inmorese pro earum executione ad nostre saluberrime sanctionis editionem processimus, has clausulas inter alia in se continentem. Idcirco, praevia nostri Sacri Consilii deliberatione matura, per hanc nostram

Pragmaticam Sanctionem declaramus, et declarationis nostre remedio notissimae statuimus sancimus decernimus providemus et perpetuo observandum ordinamus, quod si alienationes iurium vel rerum nostri Regni vel dominij, videlicet de redditibus, castris, villis, villarijs, mansis, terris, molendinis, furnis, balneijs, iurisdictionibus, vicarijs, baiulij, scribanijs, regalijs, iuribus et rebus et alijs immobilibus quibuscumque sive se habentibus ex quavis causa vel consideratione, pretio interveniente processerint, et sive de receptu seu facultate de luendo vel quittando consimili praetio iura ipsa vel res inter contraentes cautum sit, sive non talium nihilominus alienationum pretio et sub illa specie, qua ad ipsos alienantes provenerint, detemptoribus ipsis vel in rem eorum successoribus restituto, vel eis recipere nolentibus aut differentibus consignato et deposito, statim universa nostri regni vel dominij in eos alienata per illorum de facto apprehensionem absque ulteriori cognitione vel lite, quibuscumque explosis favoribus et complacentijs reiectis omnibus, ad nos restituantur et in nostrum posse et dominium reducantur et realiter reponantur prout ex certa scientia illa reducenda, restituenda et reponenda esse declaramus, decernimus et censensus, ac ea nunc expresse restituimus, reponimus ac reducimus cum integritate habita fructuum ratione et eorum que post reditum vel consignatum, et depositum praetium ad dictarum rerum vel iurium alienatorum provenerint detemptores; si vero alienationes huiusmodi ab initio praetio numerato processerint et postea stante alienatione quodcumque per donationis vel aliud alienationis titulum pretestu impensorum servitiorum iura huiusmodi vel eis in primos detemptores vel eorum in rem successores translata fuerint, tali enim casu, pretio iurium vel rerum ipsarum alienatarum precise ipsis detemptoribus numeraliter restituto, vel eis recipere nolentibus aut differentibus consignato et deposito, tum ex pretestu impensorum servitiorum cauto de solvendo nostrum per fiscum quicquid ex servitijs ipsis declaratum fuerit memoratis detemptoribus vel successoribus eorum in rem satisfaciendum esse statim sine ulteriori cognitione vel lite res huiusmodi et iura alienata per ipsum de facto apprehensionis remedium, reiectis dilationibus omnibus, ad nos restituantur, et in posse nostrum, et dominium redducantur et omni cum effectu reponantur. Hec etenim observari declaramus, si solis servitijs, vel eorum respectu, vel praetio una cum servitijs processerint alienationes etc. Et quia authenticis nobis constat documentis quod bone memorie dominus Rex Martinus avunculus noster emptionis titulo certo praetio acquisivit ab Ugone de la balba quoddam utile dominium castri et terre Capitij, castri et terre Mistrettae et eius casalium cum co-

rum iuribus, vassallis, terminis et pertinentijs universis que antiquitus de regio demanio erant, tum quod pro subsidio dictae emptionis universitates dictorum castrorum et casalium Regiae Curiae de unciis mille monetae dicti regni sub hoc pacto et conditione subvenerunt easque numeraliter tradiderunt, ut idem Rex Castra huiusmodi Terras, Casalia, Vassallos et alia supradicta per cum empti vinculo indissolubili uniret, aggregaret, iungeret et incorporaret sacro regio demanio, ita et taliter ut ab his nullo unquam tempore separari possent. Quamobrem idem Rex predicta castra, terras, casalia, homines, iura, redditus et alia quaecumque superius empti scienter et suis regijs contractibus univit, iunxit, aggregavit et incorporavit sacro nostro demanio, tum per se heredes et successores suos, quos sub regia fide obligare voluit, huiusmodi res omnes incorporatas in regio demanio tenere promisit, neque ab eodem ullo unquam tempore quavis necessitate cogente seu alia ratione vel causa separare, sed omni tempore res ipsas desuper unitas et incorporatas cum integritate tenere et tractare tamquam demaniales. Constat etiam, quod post huiusmodi rerum unionem et incorporationem idem Rex de castris ipsis, terris, casalibus, iuribus et alijs superius regio nostro demanio efficaciter unitis et incorporatis venditionem cum instrumento gratiae, hoc est cum pacto de rehabendo, precio duodecim mille quingentorum florenorum nobili quondam Sancio Roijs de liori et suis firmavit et concessit; de quo quidem precio infra annos tres duos mille florenos universitati terrae Mistrettae et eius casalium, et mille et quingentos florenos universitati terrae Capitij certis respectibus tradi voluit exsolvi, atque ita et precio huiusmodi venditionis solum floreni novem mille utilitatibus Regiae Curiae fuerunt quesiti. Cuius quidem emptionis virtute, dictus emptor rerum emptarum possessum nactus fuit cum praestatione iuramenti fidelitatis a certis vassallis pure simpliciter et sine aliqua conditione facta, numero fere triginta, non tamen universaliter ut in talibus iure requiritur congratis (*sic*). Constat ulterius quod idem Rex in servitiorum rependium renunciavit dicto gratiae instrumento voluitque perpetuo illud cassum esse irritum atque nullum nullamque de cetero in iudicio vel extra obtinere roboris firmitatem; quamobrem dicte universitates per eorum syndacos vel nuntios quos super hijs ad nos destinaverunt, et fisci nostri procuratori supplicaverunt nobis humiliter ut cum renuntiatio dicti instrumenti gratiae per dominum Regem in servitiorum rependium, ut praemisimus, facta in praedictum praemissae unionis et incorporationis fieri non potuerit, tunc quia ipsis universitatibus predictis quibus usque ad id tempus quo ad nos venerunt petentes virtute

dicti gratiae instrumenti et alias se ad nostrum patrimonium restitui et redduci tacita fuerit, dignaremur castra, terras, casalia, vassallos, iura et redditus huiusmodi ad nostrum posse et dominium advocando eadem cum integritate in nostro sacro demanio reducere et restituere. Et quia neque dictus emptor nec nobilis Sancius Roijs de liori eius filius et heres Vicecomes Galeani predictos tres mille quingentos florenos eisdem universitatibus hactenus curavit solvere, dignaremur etiam fructus rerum et iurium superius alienatorum, quos emptor pro ea parte pretii quam non solvit non potuit iure facere suos, ab eodem Vicecomite exigere et vendicare. Nos vero in praemissis volentes iuste procedere, cum cause huiusmodi fiscales sint et non includantur sub capitulis Regni atque ita in Cancellaria nostra iure tractandae per literas nostras citatorias super istis Vicecomitem eundem ad iudicium coram nobis evocavimus; sed ipse licet nostra citatione apprehensus comparere distulit, misit tamen nuntium quemdam cum suis literis nobis directis, titulis et actis pro parte sua in hac causa facientibus, quae in nostro sacro regio consilio exhibuit et produxit, quibus visis, iuris examinationem huius negotij per literas nostras commisimus iudicibus Magnae Curiae et alijs in iure peritis dicti Regni, qui visis titulis et instrumentis superius memoratis, ad quorum editionem idem vicecomes vocatus fuit, eorum vota nobis remiserunt, quibus etiam omnes de nostro Consilio, nemine discrepante, concordare invenimus. Hoc est quod iustissimam causam fovent predictae universitates, cum non obstante renunciatione dicti gratiae instrumenti petunt se ad nostrum sacrum demanium efficaciter restitui et redduci fiscumque nostrum posse a dicto Vice Comite habere et vendicare fructus predictos ratione partis pretii non soluti, eosque imputare eidem Vice Comiti insolutum dictorum novem milium florenorum, non obstante Vassallagij iuramento pure simpliciter et sine conditione prestitum. Iuramentum enim in talibus hanc in se iure recipit limitationem, ut semper intelligatur secundum naturam contractus fuisse prestitum, et constat venditionem rerum superius emptarum cum pacto de rehabendo consimili praecio fuisse initam, cui quidem facultati de rehabendo in praeiudicium iuris ex contractibus praemissae unionis et incorporationis dictis universitatibus quaesiti dicti Regis renunciatum non potuit praeiudicare, quo circa matura nostri Sacri Consilii deliberatione precedente, vobis et singulis vestrum, et signanter dicto Christofaro dicimus, et mandamus scienter et consulte sub pena unciarum duarum mille officiorumque vobis commissorum privatione, quatenus licet fructus percepti, et nobis restituendi dictos florenos novem mille redigere satis evidenter

censeantur, cauto nihilominus tam per vos dominum thesaurarium seu nostrum per fiscum de solvendo eidem Vicecomiti quidquid imputatis sibi insolutum dictorum novem mille florenorum fructibus ex causa praetij emptionis huiusmodi non soluti restituendis habiturus erit, tum et de stando iuri super servitijs, quorum respectu dominus Rex eidem instrumento gratiae renunciavit, statim visis praesentibus, mora dilatione et consultatione cessantibus quibuscumque, utile dominium castri predicti terrae Capitij, tunc castri terrae Mistrettae et eius Casalium, iurium terminorum et pertinentiarum eorum, que nobili genitori eiusdem Vicecomitis Galeani et suis sub praemisso instrumento gratiae fuerunt vendita et alienata auxilio nostrae Regiae Curiae apprehensionis, de facto sine ulteriori cognitione vel lite ad manus Curiae nostrae habeatis eaque apprehendendo restituatis et redducatis in Regium demanium nostrum et posse, prout eo casu eadem ex nunc contextu praesentium eidem nostro demanio restituimus, redducimus et tornamus, ammoto abinde dicto Vicecomite et eorum alio quovis detemptore, quem nos tenore presentium amovemus et denunciamus ammotum. Verum si facta computatione de fructibus ratione quantitatis praetij emptionis non soluti perceptis, idem vicecomes imputatis sibi insolutum eidem fructibus usque ad quantitatem dictorum novem millium florenorum, quos ex restitutione predictae venditionis recuperaturus est aliquid nostrae fuerit Curiae restitutus, statim bona eius distrahi volumus et iubemus donec superfluum nostrae cum integritate fuerit Curiae restitutum. Si vero dicti fructus summam praedictam non ascenderent omne id quod deerit ex iuribus nostrae Curiae seu pecuniis usque ad dictos novem mille florenos repleatur et quamvis nobis super praemissis essequendis plenarie cum praesenti committimus vices nostras nudam tamen executionem et non cognitionem aliquam decernimus commisisse. In cuius rei testimonium praesentem fieri iussimus, nostro communi sigillo negotiorum Regni Siciliae ultra farum impendenti munitum. Datum in nostris felicibus Castris apud Albaresium Aquae Vivae, die XX mensis februarii XI Inditionis Anno a nativitate domini 1448. Regnorum nostrorum anno trigesimo tertio, dicti vero citra farum Siciliae Regni quartodecimo. Rex Alfonsus. Dominus Rex mandavit mihi Francisco Martorelli, et viderunt eam Baptista Vicecancellarius Valentinus Claver Regius et Conservator Generalis. Et proinde humiliter supplicatum ut privilegium ipsum eidem universitatibus seu terris, castris et casalibus praedictis et ipsorum particularibus teneri et observari nostris executorijs literis mandarem, propterea cupientes privilegia et mandata Regia eorum debitum consequi effectum, admissa

supplicatione predicta vobis dicimus et mandamus expresse, quatenus Privilegium Regium preinsertum et omnia et singula in eo contenta iuxta ipsius continentiam et tenorem prout ad unumquemque vestrorum spectabit exequi, tenere et observare inviolabiliter debeat ac ad debitum deducatis effectum, et per quos decet observari faciatis et contrarium nullatenus actentis pro quanto penam praedictam cupitis evitare. In quorum testimonium praesentes fieri fecimus pro dicta universitate Capitij, et alias consimiles pro Universitate Mistrettae, datas in urbe felici Panhormi die decimoquinto mensis Aprilis XI Indictionis anno a nativitate Domini 1448.

Lop ximen Durrea

Dominus Vicerex mandavit mihi
Ioanni de Vincentio

II.

De insula Gerbarum

Gerbarum insula que, in presentiarum per Africanos Mauros Catholicae fidei acerrimos hostes vi possidetur, fuit et est de membris et pertinentijs Trinacriae sive Siciliae Regni, et per inclitos olim Siciliae Reges possessa, quam ut praedicitur ipsi Infideles in Regiae Siciliae coronae notam a pluribus annis citra male perperam et iniuste usurpatam detinent, quodque Insula Gerbarum predicta sit de membris et pertinentijs eiusdem Siciliae Regni dictant verba cuiusdam procuratorij instrumenti firmati per inclitos dominos Martinum Mariam et Infantem Martinum eiusdem Siciliae Regni indebilis Memoriae Reges, nobilibus Ugoni de sancta Pace et Gulielmo de Talamanca Militibus, quos prefati domini Reges ad eandem insulam Gerbarum petendum recipiendum et habendum nomine et pro parte eorum, tamquam de membris et pertinentijs Regni ipsius, constituerunt deputarunt et ordinarunt que verba sunt hec videlicet: Ademandar haver è recebir por nos è parte nuestra la insula de gerba la qual es de pertinencias del Reyno nuestro sobre dicho de Sicilia. Perque verba affirmativa posita demonstratur Reges ipsos conscientiam plene

informatam habuisse, quod dicta insula erat et est de pertinentiis ipsius Siciliae Regni. Nam non sine legitima et iusta causa est dicendum eosdem Reges se movisse ad illam nominatim petendum, dicentes illam fuisse et esse de pertinentiis eiusdem Regni, si enim ab experto non novissent ita fuisse, minus verba predicta affirmativa in ipsa procuratore adiecissent; quoniam de aliis insulis et locis loquentes illa minime nominarunt, sed sub generalitate quadam ipso in procuratorio instrumento posuerunt per hec verba videlicet: *E otras insulas terras villas y lugares qui anos y a nuestra senioria y iurisdicion se quisieren suusgar. Per hec enim verba generaliter posita, non nominando nec aliquas terras specificando, est dicendum, quod si insula Gerbarum predicta non fuisset et esset de dictis pertinentiis illam non nominassent, sed sub predicta generalitate ut reliquas insulas et loca potuissent, sed quoniam erat eis notissimum et certum illam de pertinentiis predictis esse, hac de causa Procuratores ipsos ad illam recuperandum expresse constituerunt, ut in ipso procuratorio instrumento clarissime liquet; quod quidem procuratorium instrumentum est notatum in quodam registro anni 1392, f. 9 in Regia Cancellaria felicis Urbis Panhormi recondito. Et sic concludendum est insulam eamdem ad Regnum ipsum Siciliae pertinere tamquam de membris illius, quam ob causam Serenissimus Rex Alfonsus celeberrime memoriae Vestrae Catholicae Maiestatis praedecessor insulam Gerbarum prefatam tamquam de membris et pertinentiis dicti Siciliae Regni a dominio infidelium predictorum liberare, et iterum fidelium consortio agregare ac Regiae Coronae Siciliae restituere voluit, illuc cum regio apparatu se personaliter conferendo, sed maioribus circa Regium statum ipsius occupationibus involutus, que preposuerat efficere nequivit, quare Vestra Catholica Maiestas que Regiam preminentiam ut rationi congruum est tanti facit, Insulam ipsam fertilissimam populatissimam et nobilissimam ab infidelium manibus liberare, ipsius Siciliae Regno tamquam capiti restituere et sub iugo Vestrae Catholicae Maiestatis una cum Insulis Meliveti et Gaudisii Pantagiae Favignanae Maretimi Usticae Liparis Stronguli Vulcani Sardiniae Maioricae Minoricae et aliis quam pluribus retinere dedignari non debet, que omnes preter Insulam Gerbarum ipsam sub dominio Vestrae Regiae Curiae detinentur et earum aliquae ab ipso Siciliae Regno longiori itineris intervallo ipsa Gerbarum insula distare notissimum est; ne tanto Rege invicto hostes ipsi aliquid sua de Regia Corona possidere videantur, precipue cum Vestra Catholica Maiestas non tantum parte tueri manutenere et defendere, verum etiam aliena quae sub infidelium dominio subiacent subpeditare consueverit. Ni-*

hilominus pro Vestrae Catholicae Maiestatis clariori notitia praelibati instrumenti procurationis seriem hoc in loco inserendam esse proposui, ut veritas clarius elucescat, quae est huiusmodi videlicet.

En el nombre de Dios amen. Nos D. Martin e dueña Maria por la gracia de Dios Rey y Reyna de Sicilia y de los ducados de Athenes e de Neopatria duque e duquessa e nos Infant D. Martin del muy alto D. Pedro de buena memoria Rey de Aragon hijo e por la gracia de Dios duque de Monblanco conde de Luna e señor del marquesado y della ciudad de Sogorbe, Governador General por lo muy alto señor Don Iuan Rey de Aragon hermano y señor nuestro muy caro en todos sus reynos y tierras y Coadiutor de la dicha Reyna en lo regimiento del Reyno y ducados sobre dichos y padre y legitimo administrator del dicho Rey. Con tenor de la presente constituimos creamos y ordenamos vos otros nobles moser Ugo de Sancta Pau y moser Gulelmo Talamanca consejeros nuestros muy amados de los quales muy confiamos y es saber ademandar haver y recibir por nos y parte nuestra la Isla de Gerba la qual es de pertinencias del reyno nuestro sobre dicho y todos los castillos tierras villas y lugares a nos pertenecientes o pertenezer devientes, o que a nos y a nuestra señoria y iurisdicion sequieren subjugar someter y donar por qualquiera razon y manera y aun demandar qualesquiera trabudos, a nos devidos por qualesquiera personas que hayan tenido la dicha Isla y todos daños misiones y intereses a nos pertenecientes por razon de la ocupacion fecha de la dicha Isla y otros aun trabudos y monedas, que qualesquier personas vos quieren fazer y donar recibir y aceptar, e qualesquier promissiones en nombre nuestro y por nos a qualesquier personas fazer y de qualesquier hombres poblados y habitantes en la dicha Isla y otras qualesquier partes iurar fidelidades y homenages en nombre nuestro y por nos recibir, y aceptar todos y qualesquier privilegios franquezas libertades y inmunidades a los hombres y universidades de los lugares de la dicha Isla, y a otros los quales a nos se quieren donar confirmar, y si a vos otros sera bien visto de nuevo otorgar gracias pecuniarias y otras qualesquier de los moros y personas pobladas en la dicha Isla y otras villas y lugares sobre dichos, fazer y otorgar y de todas las sobre dichas cosas carta y cartas en nombre nuestro y por nos fazer y otorgar con todas clausulas y cauthe-las necessarias. Podades aun en la dicha Isla y otras tierras villas castillos y lugares sobre dichos dispensar ordenar statuir mandar corregir y punir, y todas otras cosas fazer aprovechido nuestro de los habitadores en la dicha Isla y otras villas castillos y lu-

gares sobredichos, los quales nos podriamos fazer si personalmente y particular eremos halla como nos sobre todas las dichas cosas y dependientes y emergentes, de aquellas nos encomendamos todas nuestras voces con la presente por la qual prometemos haver por firme todo aquello que por vosotros dichos procuradores nuestros sera fecho dispensado ordenado statuido mandado corregido punido donado y otorgado, y no revocar per alguna razon y manera con obligacion de todos nuestros bienes. En testimonio dela qual cosa havemos fecha hazer la presente y con el sello pendiente de nos dicho Duque con los sellos mayores no son fechos segellar. Dato en la ciudad de Catania a 22 dias de Abril de la primera indicion del año de la Incarnacion 1393.

Lo Duch

Dominus Dux mandavit
Raymundo de Cumbis

III.

De insula Pantellariae

Insula Pantlagiae sive Pantellariae quae est in mari siculo posita iuxta civitates Lilibej Mazariae et Drepani, quae habet castrum et villam muratam, semper fuit de antiquo demanio dominorum Siciliae regum tamen alias quando dominus rex Martinus venit ad recuperandum hoc Siciliae regnum a manibus procerum qui iniquiter illud occupatum detinebant, quidam Bernardus (1) de Sancto Lazaro alias Scorciafico de Ianua, qui insulam predictam Pantagiae etiam occupatam detinebat, agnoscens quod illa erat de dicto regio demanio insulam ipsam eidem domino regi Martino restituit tornavit et fideliter exposuit: qua ex causa et attentis servitiis per eundem Barnabonem circa recuperationem dicti regni praestitis, praelibatus dominus rex Martinus Bernaboni praedicto dictam insulam ad eius vitam

(1) Leggasi Barnabo.

tantum et non ultra, sub certo servitio sive censu unciarum triginta annuo a prestationis et solutionis regiae Camerae assignandae in fine mensis augusti cuiuslibet anni cum reservatione Capitulorum et Constitutionum domini regis Iacobi super demanialibus editarum, concessit ut patet in privilegio dicti domini Regis datum Cathaniae 2 Iunii 1399. notato in libro dicti anni in cartis 141.

Exinde vero in anno 1406, aut per mortem dicti Bernabonis vel aliter, insula prefata in posse sacri regii demanij reversa est, cui insulae Universitati et hominibus illius et eorum successoribus imperpetuum idem dominus rex Martinus privilegium concessit tenoris sequentis videlicet.

Martinus etc. Regalis excellentiae debitum exigit ut suorum fideium petitionibus benigniter condescendat, quibus honeste conditionis materia pertractatur, et iustitia suadente respublica suscipit incrementum. Per presens igitur privilegium notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris, quod in nostre maiestatis conspectu personaliter constituti Lodovicus de Romes et Salem Bembuan Sindici et Procuratores Universitatis hominum insulae Pantellariae, ad nostras excellentias noviter destinati pro parte universitatis hominum insulae predictae, nostris excellentiis humiliter supplicarunt, ut cum olim et continuatis temporibus iam antiquis predicta insula Pantellariae et eius territorium de regio fuisset demanio, et per gloriosos principes predecessores nostros reges Siciliae memoriae recolende in demanium semper detempta et firmiter conservata, et ob guerarrum discrimina que in Regno Siciliae successerunt per aliquos barones fuisset certis temporibus occupata, et etiam illis detemptoribus tam per aliquos illustres Principes dicti regni nostros praedecessores quam exinde per nos concessa in Baroniam vel ad certum tempus ad annum censum in ipsius nostri demanij rationabiliter inalienabilis, et ipsius universitatis evidens preiudicium et non modicam lesionem; sicque nuper ipsa insula cum eius Castro ob demerita Ioannis de Sancto Lazaro, cui olim ipsam insulam ad annum censum concesseramus, et in eius vitam suis estorsionibus et gravaminibus quibus homines et habitatores ipsius Insulae multipliciter molestabat, obque insula ipsa eius culpa dolo et malitia ac defectibus et errore quasi erat depopulata, et fugientibus quam pluribus et in nihilo redapta, et quod peius est, alios qui remanserunt post disrobationes et gravamina ac bonorum expoliationibus quibus ipsos multipliciter vexabat, querebat alibi vendere ut captivos, ad nostrum sit demanium et posse perventa, virtutibus hominum insulae predi-

ctae ad nostrum demanium reducere agregare et reddere perpetuo benigniter dignemur. Nos vero supplicatione huiusmodi clementer admissa, attendentes pure fideij constantiam et integre devotionis affectum, quem universi et singuli homines et habitatores dicte insulae erga Serenissimos dominos Principes praedecessores nostros divae memoriae et nos gesserunt atque gerunt, quia alienationibus huiusmodi ordinatio dudum facta per Serenissimum Principem dominum regem Iacobum olim Aragonum et Siciliae regem illustrem obstat expresse, quae dictat demania regni nostri alienare aequaliter non debere, quae noviter per nos extitit confirmata quae conferre poterunt dante Domino gratiora; cumque eadem insula fuerit olim et sit ac omnimode esse debeat in nostro demanio, quia inter alias insulas demanij in regno nostro Siciliae sit notabile membrum, confirmantes et approbantes expresse et de certa nostra scientia eandem insulam cum eius castro et territorio ac hominibus et habitatoribus ipsius ad nostrum demanium reducimus et aliis locis nostri demanij unimus et perpetuo agregamus, volentes quod in eodem nostro demanio deinceps perpetuo remaneant et consistant, et quod nulla ratione vel causa seu necessitate urgente possit ullo unquam tempore per nos heredes et successores nostros in eodem regno ab eodem nostro demanio separari disiungi vel quomodolibet segregari, nec in Baroniam vel in Comitatum concedi, seu quacumque causa vel titulo alienari; immo omnes concessionones seu alienationes quaecumque de dictis insula et castro quomodolibet forte facte aut in posterum faciende, sint cassae irritae et nullae et pro non factis penitus habeantur quodque nullam in iudicio et extra iudicium roboris obtineant firmitatem. Mandantes propterea de certa nostra scientia firmiter et expresse universis et singulis Ecclesiarum Prae-latis Comitibus Baronibus Consiliariis et aliis universis et singulis officialibus et hominibus regni nostri, predicti tam presentibus quam futuris familiaribus et fidelibus nostris, quatenus prefatam Insulam et Castrum Pantellariae cum hominibus et habitatoribus antedictis tamquam de nostro demanio ad quod restituta et redacta est ut superius continetur; quam etiam tenemus et teneri volumus de demanio praedicto absque contradictione aliqua teneant et tractent nil contra omnia in hoc Privilegio contenta actentare praesumens aliqua ratione vel causa, iuribus tam canonicis quam civilibus ritibus usibus et consuetudinibus Constitutionibus et Capitulis praemissis vel aliquibus praemissorum contrariantibus minime obstituris. In cuius rei testimonium etc. Datum Cathaniae per nobilem Bartholomeum de Iucnio etc. Anno domini 1406, Die 8^o Mensis februarii XV Indi-

ctionis regniq̄ue nostri dicti Regis Aragonum Anno XI° et dicti Regis Siciliae XV°. Dominus Rex mandavit mihi Ioanni de Aricio Protonotario. (Quod privilegium est notatum in libro anni 1406 XIII Indictionis f. 214.)

Et stante predicta insula penes dictum sacrum regium demanium, quidam Franciscus de Belvis Valentianus asserens quod per dominum Regem Alfonsum Vestre Catholicae Maiestatis patruum fuit insula predicta in feudum concessa eius patri, pro se suisque heredibus et successoribus in perpetuum, post longa litigia que habuerat cum Gondalvo de Nacca et post sui obitum cum Alvaro de Nacca, qui ut asseruit habebant de dicta insula alias concessionem, contra quos de Nacca Franciscus ipse iam sententiam in sui favorem reportavit, obtinuit a Sacra et Catholica Maiestate Vestra quoddam privilegium in effectu continens, ex quo dictus Franciscus de Belvis de insula predicta in filium aut filiam natos seu naxituros ex eo et Maria de Cordona et de Belvis eius uxore disponere exoptabat, et praetendebat quod si lis et controversia moveri per quempiam aliorum filiorum seu descendentium ipsorum iugalium contingeret, utique ille filius vel filia qui dicta insula dimitteretur facultatem eam retinendi et possidendi plenariam haberet, quodque ab illius possessione privari vel amoveri non posset nisi prius et ante omnia expense per ipsum Franciscum facte circa ipsius insulae recuperationem et per curiam adverate ipsi filio aut filiae possidenti exsolverentur; multaque alia quae brevitatis causa ommitto in ipso privilegio per Catholicam Maiestatem Vestram concessa continentur, inter que hec clausula reperitur videlicet: quam etiam facultatem damus et facimus iuribus nostris feudilibus et aliis fisco nostro pertinentibus seu pertinere et spectare debentibus semper salvis et illesis permanentibus etc. Quod privilegium cum illius Viceregia Executoria data (*sic*) est Panhormi. 29. Ianuarii VI Indictionis 1488 notata in libro Anno 1487 in cartis 112.

Quo quidem Francisco de Belvis exinde vita functo, successit ei in dicta insula domna Ioanna de Belvis eius filia, quae investituram a dominis Praesidentibus qui tunc in Regno hoc praesidebant pro se et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus obtinuit, ut patet in alio libro Anni 1487. fog. 323.

Et tandem domna Maria de Belvis tanquam mater et tutrix prefatae dominae Ioannae insulam ipsam cum toto integro statu et

cum salario unciarum centum viginti quas Regia Curia solvit anno quolibet pro custodia castri dictae insulae Pantellariae super secretia Panhormi obtinuit et possedit, ipsamque insulam cum dictis unciis centum viginti annualibus quondam domino Aloysio de Requesens pro certo praetio in perpetuum vendidit, ut dicitur apparere tenore contractus facti Valentiae primo Octobris X indictionis 1492 manu notarii Austasii Sanch, de qua insula dictus dominus Aloysius investituram a domino Praesidente qui tunc in hoc Regno praeherat obtinuit et habuerit, ut patet in libro anni 1492 X indictionis f.º 86.

Et ipso domino Aloysio ab hac luce subtracto successit sibi in dicta insula et castro dominus Ioannes de Requesens eius filius legitimus et naturalis, qui habuit de dicta insula et dictis unciis 120 salarij dicti castri a domino Ioanne de Lanuça tunc huius Regni Prorege investituram, notatam in libro anni 1498 2º indictionis f.º 189.

Et in presentiarum insula predicta in toto suo integro statu et salario prenarrato unciarum 120 currente anno 1510 per eundem dominum Ioannem de Requesens possideturque, reddit anno quolibet ultra 07.

Alligatio

Ex supradictis clare infertur quod dicta insula fuerit et sit de antiquo regio demanio sui natura, cum ut alias dixi iure quo in regno utimur per constitutionem ab officialibus in insulis et terris ac castris muratis generali Regni, iure Vestra Catholica Maiestas non indiget probationi sui domini, quae in his fundatam habet intentionem; et occupantibus et detinentibus incumbit onus probandi contrarium. Etiam probatur per antiquam et pristinam possessionem superius per me positam tempore Serenissimi Domini Regis Friderici, quam etiam exinde per possessionem habitam per dominum Regem Martinum, cui dicta insula ut demanialis fuit restituta per illum Barnabonem, de quo fit mentio in capitulo qui Barnabo fatetur se occupatorem et dictam insulam esse demanialem, et propterea agnoscendo hoc illam demanio restituit. Et exinde eam habuit sub annuo censu et ad vitam maxime attentis servitijs tunc per eum prestitis in Regni recuperatione, et sic aperte demonstratur quod cum ipse fuerit primus qui inveniatur quod habuit dictam insulam iure privati, quod unusquisque posterior qui eandem insulam possidet non potest allegare ipsam feudalem cum iste primus eam demanialem esse fatea-

tur. Praeterea ultra Constitutiones domini regis Iacobi per Parlamentum siracusanum confirmatas per dominum regem Martinum patet, quod dicta insula debet secundum illa iura in regio demanio detineri, ex privilegio etiam speciali incolis dictae insulae concesso per eundem regem Martinum cum clausula derogatoria et decreti nullitate tam sibi quam posteris regibus successoribus, cuius clausule nullam in privilegio apparet mentionem factam esse; et sic omnia contra dictam derogatoriam clausulam facta fuerunt et sunt ipso iure nulla, et potuit in hoc par in parem legem ferre, quia ex natura iuris venit pro status regii conservatione et demanij quod quidem demanium diminui non potuit sed augeri, et per consequens tam ex causa quod ipsius demanij non est facta mentio, quam etiam specialis privilegij ipsis incolis concessi quam etiam dictae clausulae derogatorie evidenter liquet et apparet, quod omnia quae a dicta clausula derogatoria citra sunt acta, fuerunt et sunt nulla et non potuerunt tribuere privato aliquod dominium; et quamvis dicta iura et rationes sufficiant ad vendicandum dictam insulam absque refectione alicuius praetii seu equivalentis excambij, tamen multo fortius et sine conscientiae scrupolo fieri potest stante alia clausula per Vestram Catholicam Maiestatem in privilegio Francisci de Belvis posita, ubi sunt reservata iura Regiae Curiae et cuilibet privato competentia, prout etiam dicta clausula in dicto Siciliae regno semper esse posita propter regni Capitulum intelligitur, exostulans quod semper concessionem intelligantur iuribus Curiae et alterius semper salvis. Et sic quia fuit facta concessio ipsis incolis dictae insulae quod restituerentur et unirentur Demanio et non possint ab eo iure privato segregari, eis per Celsitudinem Vestram reservato possunt se vendicare ad regium demanium et ad libertatem. Et novit Vestra Catholica Maiestas quod histis temporibus retro preteritis isti pauperes incolae dictae insulae istam rei vendicationem temptaverunt et ad demanium restitui voluerunt, et perfecto ius habebant si se dirigere scivissent et dicti privilegij notitiam habuissent. Et quia non est super dicto privilegio aliquid in contradictorio iudicio iudicatum, possent iterum hoc petere et se ad demanium reduci facere, et hoc ex illa clausula iuribus cuiuslibet privati semper salvis. Potest etiam hoc facere et procurator fisci Vestrae Catholicae Maiestatis, propter constitutiones domini regis Iacobi et siragusanum Parlamentum et specialius propter reservationem per Vestram Catholicam Maiestatem in dicto privilegio sibi factam, ubi sibi reservat et vult esse salva iura Regiae Curiae spectantia; et per consequens sibi reservat dictum ius dicendi nullum et obreptitium, et tacita veritate dictum privilegium, quia sub expressa falsitate

est emanatum scilicet, quod dicta insula erat de Baronia et diversis personis inter se litigantibus concessa; et tacita veritate scilicet, quia in dicto privilegio fuit tacitum et non expressum quod dicta insula erat demanialis, et quod dicti incole habebant privilegium unionis ad regnum et demanium, et quod regibus Aragonum per clausulam derogatoriam erat ablata facultas contrarium decernendi. Que omnia expressa si fuissent dicta concessio facta non fuisset, nedum in Baroniam pro heredibus et successoribus in perpetuum, sed etiam concessio facta non fuisset ad vitam aut ad decennium, quia alienationem induceret contra Privilegium dictae restitutionis et unionis ad demanium; ac per hoc dictum privilegium non obstat tamquam nulliter et subreptitio modo emanatum, et nedum subreptitius praeceptor inpetratis carere debet, verum etiam in talibus acriter puniri posset: cum dicta insula mare circumdata et per consequens fortis expugnationis et apta ad prebendum hospitium piratis et hostibus, et ab experto tempore guerrarum et discriminum in regno patet quod fuit rebellibus refugium ut in dicto privilegio describitur. Primo quod a rebellibus fuit occupata et talia loca alienari non possunt et solvere de demanio, quia eorum retemptio demanium conservat et eius alienatio illud diminuit et debilitat. In tantum quod nedum talia loca ipso iure ad demanium vendicantur prout fuit in Gibraltari et in multis alijs locis, sed etiam quando similia loca invenirentur semper a demanio fuisse separata et possessa iusto titulo iuribus privatis per aliquos Barones, tamen cum primum videntur facere ad demanij conservationem possunt demanialia fieri et privati auferri ex dominice et generalis potestatis ratione tamquam generali protectioni deservientia. Ex qua ratione rex non recognoscens superiorem sicut Vestra Catholica Maiestas quemadmodum imperator dicitur dominus etiam rei privatae, et quia utilitas publica private praefertur, potest auferre rem de natura dominij privati et illam ad naturam rei demanialis tribuere, quandocumque hoc conducit et est utile quoad dominium generalis protectionis, etiam videmus tali modo quod comitatus Regij fuit reductus a natura privati dominij ad regij demanij naturam. Et ista continuo fieri possunt et quotidie fiunt: et quando alias fuerunt facta vel appareant de regio demanio libere et sine conscientiae onere vendicari possunt, absque depositione alicujus precij vel resignatione alicuius equivalentis. Et quia indicta insula manifeste apparet de dicta restitutione et unione ad demanium sine dubio potest illam tam per ipsos incolas quam per ipsum procuratorem ad demanium vendicari.

**Salarium sive redditus 07. 130 super Secretia Panhormi
pro custodia Insulae Pantellariae**

Condam dominus Aloysius de Requesens pro se suisque heredibus in perpetuum Secretiam, Castellaniam et omnes redditus et proventus civitatis Marsaliae eiusque portu tenuit et possedit, sicut per magnum Capibrevium in capitulo officij Magistri Portulani in cartis 365 expositum est. Et inter alias cabellas, idem dominus Aloysius cabellam Gisiae Iudeorum civitatis eiusdem possedit; facta exinde per Vestram Catholicam Maiestatem Iudeorum Siciliae expulsionem, in dictae Gisiae excambium eidem domino Aloysio suisque heredibus uncias centum viginti super dohana Panormi pro salario castri et insulae Pantellariae annuatim ex cabellis, videlicet dictae Secretiae tunc a manibus condam Thomae de magistro Anthonio redemptis, deputate fuerunt, sicuti in quadam Viceregia Provisione, data Messanae 27 Februarij XII Indictionis 1494, continetur.

Mortuo postmodum dicto D. Aloysio de Requesens, sibi in dicta insula et salario successit D. Joannes de Requesens eius filius, qui investituram debitam, ut in praecedenti capitulo insulae eiusdem continetur, reportavit.

Postmodum autem, licentia viceregia praeunte, dominus Joannes de Requesens dictum ius redditus et salarij 07. 120 condam domino Carolo de Aragonia baroni Abolae, pro se suisque heredibus et successoribus in perpetuum, pro unciis duobus millibus in pecunia numerata, gratia tamen reddimendi mediante, in solutum dedit et assignavit, ut in publico contractu manu notarij Petri Iuppello, 3^o Junij septime Indictionis 1504 celebrato, continetur.

De quibus 07. 120 annualibus, tamquam de membro feudali prefatae insulae et castri Pantellariae, dictus dominus Carolus pro se et dictis suis heredibus a domino Raymundo de Cardona, tunc Regni Prorege, 30 Martij XI Indictionis 1508 investituram in regiae Cancellariae dicti anni libro in cartis 533 notatum oblinuit.

Defuncto demum dicto domino Carolo de Aragonia, eius cum testa-

mento dictum salarii sive ius redditus 07. 120 annualium domino Bernardo de Requesens, eius fratri materno, ad eius tantum vitam legavit. Qui dominus Bernardus de iure ipso ob mortem dicti domini Caroli investituram capere pretermisit, et iam menses sex et ultra a die obitus dicti domini Caroli decursi sunt. Et ideo quod iuris sit videatur.

De Insulis Favognanae

De insulis Favognanae iam dictis sitis in mari apud Drepanum, fuit alias in rubrica Secretiae civitatis Drepani in libro informationum secretiarum Regni, in cartis 135 usque ad f. 136, per me sufficienter dictum et demum clarissime probatum, insulas ipsas fuisse et esse de antiquo Regio Demanio rationibus in dicta informatione contentis et expressis. Et quia in codice isto tractatur prima facie de insulis isti Siciliae ultra Farum Regno adjacentibus, fuit mihi visum aliquantulum dicere. Et sic iterum dico, quod insulae praefatae antiquitus erant de sacro Demanio dominorum Siciliae Regum, et ultimo loco in Consilio generali Siracusano ad opus perpetuae declarationis rerum demanialium serio congregato et celebrato, insulae ipsae declaratae ac restituae dicto Regio Demanio fuerunt et extiterunt et quod in demanium ipsum perpetuo permanerent, ut patet diffusius per tabulam ipsius Siracusani Consilij notatam in libro domini Regis Martini, anni 1399 8^o Indictionis, in cartis 24. Et quia in dicta rubrica Secretiae Drepani tractatur etiam de castro et tonnaria dictarum insularum, refero me ad informationem eandem, et miror quomodo insulae predictae in presentiarum corrente anno 1510 inveniuntur alienatae et in feudum concessae modo et forma prout in rubrica praedicta expressatur, in tam grande praedictum sacri regij Demanij ac derogationem declarationis et provisionis Consilij Siracusani. Ideo advertat Vestra Catholica Maiestas ne demanialia stent de cetero sub iugo tantae servitutis et alienationis, ac placeat sibi providere quod insulae iam dictae revocentur et restituantur eidem sacro regio demanio ut iura requirunt, prout alias

fuit actum et provisum de insulis Meliveti et Gaudisij, quae sunt de adjacentibus dicto Regno nunc sub dominio Vestrae Catholicae Maiestatis, ut inferius patebit.

De insulis Meliveti et Gaudisij

Insulae enim Meliveti et Gaudisij semper et omni tempore fuerunt et sunt de sacro regio Demanio, et licet appareat insulas praedictas bis fuisse a dicto regio Demanio alienatas, semel videlicet in quemdam . . . de Claramonte qualificative quousque civitas Messanae, quae per hostes et rebelles Sacrae Regiae Coronae occupata detinebatur, ipsi Regiae Coronae restitueretur; et alias in Gullelmum Raymundum de Montechateno; tamen habita exinde consideratione quod ipsae insulae nullatenus a dicto sacro regio demanio alienari debebant, ipsi sacro regio demanio restitutae fuerunt. Et tandem in sacro regio generali Consilio Siracusano super rebus demanialibus expresse celebrato, fuit declaratum insulas praefatas Meliveti et Gaudisij eidem sacro regio Demanio esse restituendas, prout restitutae fuerunt, declarando quod nullo modo res demaniales ab ipso regio Demanio de cetero alienari possent, ob quod insulae praedictae nunquam deinde a dicto Demanio deviarunt, immo continuatis temporibus ad demanium predictum cesserunt et in praesentiarum in posse sacri regij Demanij Vestrae Catholicae Maiestatis extant, ut patet in dicta tabula ipsius Siracusani consilij, ut supra exponitur in insula Favognane. Quapropter Vestra Catholica Maiestas omnino debet omnes alias insulas ipsi Regno adjacentes, et a demanio praefato alienatas, ipsi sacro regio Demanio aggregare, quae, quoniam in praedictis insulis Meliveti et Gaudisij pari passu deambulant, nullatenus a dicto Demanio semotae esse debent.

De Insula et Civitate Liparis

Insula et civitas Liparis, quae Siculo in mari iacet, et a mundi principio fuit et est de membris et pertinencijs huius Siciliae ultra Farum Regni, et sub illius regio Demanio et regimine constituta taliter quod, tempore quo gloriosus dominus Comes Rogerius Normandus Siciliae Regnum ipsum ab infidelium posse liberavit, insulam ipsam Liparitanam velut de dicti Siciliae regni membris tenuit et possedit, ac ad Dei Omnipotentis servitium in illa monasterium seu abbatiam sub invocatione Sancti Bartholomei Apostoli, quod exinde ad Episcopij dignitatem promotum fuit, instituit fundavit et edificavit; ac tandem amplissimis vassallorum, terrarum, feudorum, ecclesiarum et beneficiorum ac aliarum rerum muneribus eodem in Siciliae regno dotavit, ut in privilegio eiusdem foundationis et dotationis, dato in anno 1094 2^o indictionis notato, et de verbo ad verbum registrato in libro foundationum Praelatarum Regni in cartis 154, clarissime demonstratur. Quo sit pacto ab ipso regno segregata et alij puta Partenopeo sive Neapolitano submissa, valde miror; praesumendum tamen est quondam Serenissimum Regem Alfonsum V. C. Maiestatis patrum, quando utriusque Siciliae regnis potiebatur, ab hoc regno segregasse et condam Ferdinando Regi Neapolis eius naturali filio una cum eodem Neapolitano regno concessisse. Et licet Rex Ferdinandus ipse in dicto Partenopeo Regno successerit, ac ipsius insulae et civitatis Liparitanae dominium et possessionem obtinuerit, nichilominus est certo tenendum separationem ipsam minime fieri debuisse; iniustum enim fuit ius unius alteri elargiri. Sed quia quae sunt Caesaris Caesari tribuenda sunt, non post longa temporum curricula, regnum ipsum Neapolitanum simul cum dicta Lipari insula ad Vestram Regiam Excellentiam, tamquam ad verum dominum et inclite domus Aragonum caput, unde remotum fuerat, post tot Regum breves successiones et tot hominum et civitatum strages, divina permittente iustitia, reductum est, et oves quae a suo deviarunt ovili ad suum verum pastorem reversae sunt. Unde mirandum est quare Vestra Catholica Maiestas, ut iustissima, insulam ipsam Liparis eidem Siciliae ultra Farum regni ditioni, prout antea fuerat, non restituit, ipsi quod suum est tribuendo; quodque insula ipsa Liparitana de membris et pertinencijs ipsius Siciliae ultra farum regni fuerit et sit, probatur tenore

cuiusdam privilegij divi Regis Friderici tunc ipsius Siciliae ultra Farum regni Regis, per quod idem Rex Fridericus, tamquam dominus ipsius insulae, illam cuidam Olfo de Procida et suis haeredibus de suo corpore legitime descendentibus in feudum sub consueto militari servitio (quoniam circa recuperationem Messanensis civitatis et totius regni dicti Regis Friderici servitijs se ingesserat viriliter et strenue laborando) concessit; quemadmodum de huiusmodi concessione patet in dicto privilegio notato in libro annorum 1360, 1366, f. 379.

Praeterea in quodam alio Privilegio eiusdem domini Regis Friderici concesso per eum cuidam Friderico de Claramonte, haec verba denotantur videlicet: Dum pro defensione insulae Liparis per hostes nostros tunc obsessae etc., ut patet in eodem libro f. 414.

Insuper etiam in quodam capitulo, quod est inter certa capitula facta et firmata inter dictum dominum Regem Fridericum et alios Regni Proceres, verba haec descripta sunt videlicet: Item signanter consulunt quod in tractatu dictorum pacis et matrimonij signanter requiratur pro parte domini regis quod sibi fiat restitutio cum effectu Civitatis Messanae, Melacij et insulae Liparis; et quod taliter fiat restitutio, quod dominus noster possit ordinare castellanos et rectores castrorum dictarum civitatum, castrorum terrarum et locorum suos fideles vassallos, et qui sub eius fidelitate semper permanscant; ut patet in dicto capitulo notato in eodem libro annorum 1360, 1366, f.º 317.

Per quam quidem concessionem superius annotatam, et verba tam privilegij concessi dicto Friderico de Claramonte quam capituli predicti, per quae Rex Fridericus ipse petit sibi restitutionem fieri de insula ipsa tamquam male et perperam occupata, patet insulam ipsam Liparis fuisse et esse sui regij demanij et ad regnum ipsum Siciliae ultra farum spectare tamquam de membris et pertinencijs ipsius.

Similiter considerandum est, quod insula ipsa, ut praedicitur, siculo in mari consita est, et ad Siciliam ultra Farum regno non amplius sexdecim, a Neapolitano autem regno ultra centum millibus distat, quae tamquam de ipsi regno coadiacentibus certo tenendum est de illius membris et pertinencijs esse; quod etiam dicendum est ob innumeras gratias, concessionem, franchitias, privilegia et alia quae ipsius insulae incolis per retro principes Vestrac Regiae Serenitatis praecessores dicti Siciliae ultra Farum Regni Reges et per Vestram Catho-

licam Maiestatem concessa sunt, ut patet in capitulis dictarum concessionum notatis in libro anni 1503, f.º 1343.

Apparet namque incolas ipsos ab ipsis Regibus et tandem a praenominato domino Rege Alfonso et a Serenissimo Domino Rege Joanne ac postremo a Vestra Regia Excellentia, tam ante subiugationem dicti Partenopei Regni per Vestram Catholicam Maiestatem factam quam post, gratias ac privilegia talia obtinuisse, quae non nisi fidelibus vassallis et non exteris nationibus concedenda sunt, ob quod tenendum est quod antiqui Siciliae ultra farum regni Reges eisdem incolis tamquam vassallis et non extraneis praedicta concesserunt; nam alienigenis talia concedenda non erant, non enim Liparis insula ea est per quam, nisi praedicta eius incolis concederentur, utilitas huic regno maxima denegari posset. Unde dicendum est, quod dicti antiqui Reges ipsi incolis tamquam vassallis pro ipsius insulae sustentatione et conservatione tales gratias concesserunt, nam si vassalli non fuissent, minus eis talia concessa essent, iniquum enim esset panem ab ore filij sumere illumque exteris traddere. Concedentibus autem regibus ipsis similes gratias, et ita largifluas, denotatur illas eis fuisse concessas ad ipsius insulae et incolarum eius conservationem, eius enim sanae mentis se suosque devorare cupiat ut alias enutriat nemo; sed quia dicti antiqui Siciliae ultra Farum regni Reges insulam ipsam, tamquam membrum dicti Siciliae regni, possidebant pro ipsius insulae conservatione et ne alijs nationibus forte subijcerentur, et latronibus atque piratis tutus accessus fieret, et membrum ipsum a capite removeretur, tales ipsis incolis gratias concesserunt. Et si diceretur Vestram Catholicam Maiestatem incolis praedictis dictas concessisse gratias, existente insula ipsa sub potestate Neapolitani Regni, non obstat; nam ipsius regni Neapolis dominium Rex Ferdinandus Vestrae Regiae Excellentiae consanguineus et sororius habebat, propter quod eo imperante Vestra Catholica Majestas quod suum erat petere et recuperare non curavit, quod patet, nam eo defuncto illico Vestra Regia Celsitudo ad ipsum Neapolitanum Regnum ut suum recuperandum operam navavit, quod, Deo propitio et iustitia suadente, ad votum evenit. Et propterea ne insula ipsa in bellorum discriminibus et revolutionibus, quae forte, quod absit, succedere possent, regium imperium sacrae domus Aragonum destituat Vestra Catholica Maiestas ut iustissima insulam ipsam Liparitanam tamquam de membris et pertinencijs ipsius Siciliae ultra Farum regni et cuius regimini, ut antea fuerat, submitienda est, ipsi Siciliae regno tamquam capiti aggregare et adiungere debet. Quod Vestra Regia Catholica Maiestas

facere si non dedignabitur, insulam ipsam ex fideli fidelissimam inveniet, imitabitur enim et imitari non desinet sui superioris regni vestigia, quod eidem sacrae Aragonum domni et merito semper fidelissimum esse non erubuit.

De Feudo Xhamopetro, Iudica, Fatamasim

Dicto per me in huius libri superiori parte de insulis, de quibus, ut in illa continetur, prius verba facere mihi visum est, Catholice Rex, nunc ad ea quae de feudis hoc in tuo Siciliae ultra farum Regno existentibus sentio, iuxta mei ingenij vires licet exiguae sint, convolare proposui, et de iuribus omnibus, quae eodem in regno possides, notitiam habeas non indubiam. Et quoniam feudum de Xhamopetro in Valle Nothi consitum non modice, imo maxime est importantiae, ab illo tamquam a digniori initium sumendum esse duxi; et ut clara habeatur notitia, qualiter feudum ipsum de Xhamopetro a tanto tempore usque ad hodiernum diem iniusto subreclitioque modo detemptum sit et detineatur, ea aperire incipiam quae tam in favorem partis illud possidentis, quam partis sacri regij demanij Vestrae Regiae Coronae, Sancti Spiritus gratia opitulante, inveniuntur. In primis namque percepi villam seu casale de Iudica, nec non feudum dictum Fatamasim, quae feuda eorum antiquata et continuata rebellione diruta et depopulata fuere, per dominum Regem Rogerium, primum huius regni Regem, Universitati civitatis Calatagironi ad emphiteusim et annum censum tarenorum quinque millium, necnon ducentorum quinquaginta marinariorum annis singulis Regiae Curiae exsolvendorum, concessa fuisse. Et nichilominus revolutis per me perquisitisque omnibus Regiae Cancellariae codicibus, registris et quinternis, factaque denique quacumque debita et opportuna investigatione, ut huiusmodi emphiteotici privilegij seriem et tenorem viderem, de eo tandem nullam notitiam habere potui. Quapropter nullam dare possum rationem an huiusmodi concessio dicti domini Regis Rogerii vera et valida fuerit, an non. Tamen in quodam processu per eandem Calatagironi Universitatem, per Universitatem Cathaniensis civitatis, in officio huius regni magistrorum rationalium oblato et praesentato eodemque in officio terminato, quondam domini

Friderici tertii huius regni Regis apparet privilegium datum apud terram Castri Ioannis in anno 1209, confirmatorium cuiusdam alterius privilegii domini Henrici sexti huius Regni Imperatoris dati in anno 1197, cum illius de verbo ad verbum insertione; in quo quidem Imperatoris Henrici privilegio privilegia ipsi Universitati Calatagironi per dominum Gulielmum huius Siciliae regni primum Regem concessa eo modo et forma, quibus ipsi Universitati illa Bonifacius Montis Ferrati Marchio tamquam legatus ipsius Henrici Imperatoris concesserat, confirmati videntur. In qua quidem imperiali confirmatione, denotati nominatque apparent termini sive divisae tam feudi praedicti Iudicae quam feudi Fatamasim. Praeterea fuit mihi quoddam aliud domini Regis Corradi obstensum privilegium datum Foggiae in anno 1254, quod per eandem Calatagironi Universitatem penes acta Magnae Regiae Curiae, nec non Officij Conservatoris Regii Patrimonij praesentatum fuisse asseritur, per quod etiam ostenditur privilegia ipsi Universitati Calatagironi concessa per dictum dominum Regem Gulielmum et praefatum dominum Imperatorem Henricum super pertinentijs et terminis ipsorum feudorum Iudice et Fatamasim confirmata fuisse. In quo imperiali privilegio expresse fit mentio, qualiter territoria Iudice et Fatamasim ipsi Universitati Calatagironi sub dicta annua praestatione tarenorum quinque millium et ducentorum quinquaginta marinariorum perpetuo Regiae Curiae annis singulis solvendorum concessa fuere, cum hac etiam clausola videlicet « prout haecenus praemissa omnia iuste ac rationabiliter possiderunt, et in eis de privilegijs distincte praepositur contineri hominibus Universitatis ipsius et heredibus suis in perpetuum de nostra gratia confirmamus, salva praedicta praestatione quinque millium tarenorum, ducentorum quinquaginta marinariorum annuatim nobis et successoribus nostris ab eis et eorum haeredibus facienda, salvis in omnibus et per omnia fidelitate mandato et ordinatione nostra et haeredum nostrorum, ad huius autem etc. » In quibus quidem tribus privilegijs, videlicet Domini Henrici imperatoris et dominorum Regum Friderici Regis et Regis Corradi, nullam inventam fuisse factam mentionem de dicto feudo de Xhamopetro, nisi tantum de feudis Iudice et Fatamasim, quae feuda ab ipso feudo de Xhamopetro divisa sunt et separata. Et quoniam visis per me perlectisque singulatim divisim et terminis dictorum feudorum Iudice et Fatamasim, qui termini, ut praedicitur, in privilegio dicti domini Imperatoris Henrici, in quo fit mentio privilegij domini Regis Gulielmi praedicti, denotantur, mihi visum est per indirectum furtiveque in illis divisaeque sive termini de Xhamopetro intercludi, quod feudum de Xhamopetro antiquum et antiquissimum fuit et est,

sub cuius nomine feuda ipsa Iudice et Fatamasim non comprehenduntur, cum fuerit et sit feudum de per se suis finibus et terminis limitatum et magnae importantiae magnique redditus admiratione quadam: propterea de tam enormi lesione et usurpatione non parva usus sum diligentia, ut habere potuissem non tantum primum titulum dicti domini Regis Rogerij, sed etiam titulum dicti domini Regis Gullelmi primi nominatum in privilegio confirmationis dicti domini Henrici Imperatoris et dominorum Regum Frederici et Corradi, ut viderem si forte in illo dictum feudum de Xamopetro nominaretur et tale privilegium invenire nunquam valui. Percepi tamen a nonnullis, quod in nullo privilegio ipsius Universitatis Calatagironi conceditur praefatum feudum de Xhamopetro, nisi tantum feuda Iudice et Fatamasim, quapropter non parum miror quo iure dicta Calatagironi Universitas ultra feuda praedicta Iudice et Fatamasim dictum feudum de Xhamopetro sibi occupaverit et absque legitimo titulo tenuerit et possederit.

Et per me praeterea perquisito, si forsan comprehendere potuissem si tale feudum de Xhamopetro ad emphiteosim vel aliter concessum fuisset, prout feuda Iudice et Fatamasim concessa fuere, ne honor et fama ipsius Universitatis denigraretur, casu quo diceretur Universitatem ipsam feudum praedictum tamdiu eorum regio principi (*sic*) et domino naturali usurpatum detinuisse, nam hoc non furtum tantum dici posset sed etiam detestabile rebellionis initium, cum fuerit et sit feudum ipsum demaniale et regiae Coronae Vestrae Catholicae Maiestatis ac de iuribus regiae Secretiae civitatis eiusdem; possibile tamen non fuit talem concessionem invenire, verumtamen quaedam secreta litera dicti domini Regis Martini in eodem processu invencta est tenoris sequentis: Rex Siciliae etc. fideles nostri, comu eridemu chi sapiti, la nostra Maiestati havi aggregatu ala secretia nostra dilloca li onzi 120, chi ricipia quolibet anno lu nobili Misser Galceranu di Santa Pau per concessioni nostra, da cui etiam sapiti che a vostra supplicationi vi havimu relaxiatu la colta, la quali per sententia divivivo dari annuatim ala Curti nostra per O7. 80, li quali promittistivo dari ala dicta nostra Curti di li rediti vostri in perpetuum quolibet anno; et pero place ala Excellentia Nostra et simo contenti che per accaxiuni di la dicta colta non siati tinuti pagari ala nostra Curti eccetto li ditti O7. 80 annuatim e li ditti O7. 120 per lo incenso di Xhamopetro, sicche insumma su O7. 200 di li quali diggiati respundiri a Ramundu Belingueri de Lorach per parti di la ditta nostra Curti, secundo chia per altri nostri letteri vi scrissimo date Auguste die 17 Octo-

bris XIII Inditionis. Rex Martinus. Iuratis terrae Calatagironis fidelibus nostris; in qua quidem litera, licet nominetur census feudi de Xhamopetro, non propterea datur alius titulus per quem dici possit feudum predictum de Xhamopetro fuisse quovis modo ipsi universitati Calatagironis concessum, immo potius tenendum est universitatem prefatam in impetratione dictae Regiae literae feuda predicta Iudicae et Fatamasim vocasse et nominasse feudum de Xhamopetro, non tamen quod dictus dominus Rex Martinus scivisset quod feudum predictum de Xhamopetro prefatae universitati concessum fuisset, sed tantum feuda Iudice et Fatamasim, licet ut per me supra dictum est assertus titulus emphyteoticationis per dictum dominum Regem Rogerium dicte Universitati concessum de ipsis feudis Iudice et Fatamasim minus appareat, quamobrem sub hac falsa nominatione feudi apparet universitatem predictam usurpativo et non legitimo ac vero titulo feudum antedictum de Xhamopetro detenuisse et possedisse.

Item, quod peius est, cum Regia Curia nonnulla contra dictam universitatem iura pretenderet, fuit tandem per Magnam Regiam Curiam Rationum huius Regni lata quedam interlocutoria sive sententia huiusmodi tenoris videlicet. Providendum est de facto Regiae Curiae sive fisci quod universitatem terre Calatagironis et nobilem dominum Iorlandum de Mohac, militem Bartolomeum de Meone iuratum ipsius terrae, notarium Burgium de Risignolo, notarium Mattheum de Campoclaro Syndicos et Procuratores et actores ipsius universitatis sollemniter constitutos ad hec per ipsam universitatem ut constitit. Provisum est, visis privilegiis, literis, immunitatibus, gratiis et instrumentis aliis ipsius universitatis ac presentibus et audientibus, consentientibus, acceptantibus et rathificantibus ipsis sindicis et actoribus, quod declaretur eandem universitatem teneri eidem Curiae ad annuam solutionem tarenorum quinque milium obligationis factae per ipsam universitatem Illustrissimo Principi condam domino Regi Gullelmo memoriae recolendae, prout continetur in privilegio ipsi universitati facto per dictum condam dominum Regem Gullelmmum, sive unciarum centum sessaginta sex et tarenorum viginti solvendorum annuatim per universitatem eandem in hunc modum, videlicet: O7. 120 domino Galcerando de Sancta Pace vel cui in futurum eadem Regia Curia solvi mandabit, et pro O7. 34, 20, de maiori summa predicta eadem Curia retineat et habeat cabellas infrascriptas, quas possidet de presenti, videlicet Scannature, Arcus Cuttoni, Tintoriae, Rantariae, Mercij, Cafisi et Statere, et O7. 12 restantes, solvi consueae Episcopo Siracusanoo per ipsam universitatem, remaneant impendenti donec eidem

Curiae discutiant, an ipsas solvere teneatur Regia Curia de summa predictarum 166, 20, an eadem universitas nec non ipsa universitas teneatur annuatim eidem Curiae ad iura regalis subventionis sive colte, ac etiam ad iura cabellarum novarum tarenis quae (*sic*) de presenti est et esse debet Regiae Curiae, reliquae vero cabelle et iura cabellarum, videlicet cabella Dohanae, Machillettii, Bannorum, exterorum, (*sic*) vini, munditiae nec non feuda, redditus et proventus feudorum infrascriptorum et baiulationis ipsorum feudorum videlicet Xhamopetri, Fatamasim videlicet Sancti Petri et Rachalsem, remaneant ipsi universitati et sint et esse debeant ipsius universitatis, hanc nostram sententiam proferentes. Lata, lecta et pronunciata est praesens sententia in Magna Curia officii Rationum ultimo Aprilis septime Inditionis. Et licet universitas ipsa tali gaudeat sententia, per illam tamen vera subreptio cum tacita veritate discerni potest, non in illa exprimitur quod dicta universitas ad annuam solutionem tarenorum quinque milium teneatur per obligationem per ipsam universitatem dicto condam domino Regi Gullelmo factam pro ut in suo privilegio continetur, quodque feudum de Xhamopetro ipsi universitati una cum aliis feudis remaneat. Et tamen in privilegio dicti domini Regis Gullelmi, ut percepi, feudum ipsum de Xhamopetro non nominatur, nisi tantum feuda Iudice et Fatamasim, quae feuda ab illo Xhamopetri sunt separata. Quare ergo universitas ipsa dicit, quod census dictorum tarenorum quinque milium sit pro dicto feudo de Xhamopetro et non pro feudis ipsis Iudice et Fatamasim, non advertendo quod dum in sententia predicta feudum de Xhamopetro nominatur, feudum Iudice de medio tollitur, quod Iudice feudum propterea ammitteretur per ipsam universitatem et Regiae Curiae devolutum foret. Quapropter Vestra Catholica Maiestas cognita veritate et non invento feudum predictum de Xhamopetro per dominos Reges Vestrae Catholicae Maiestatis predecessores eidem universitati fuisse concessum, circa revocationem feudi ipsius illudque ad sacrum regium demanum reductionem attendere debet pro Sacrae Regiae Conscientiae Vestrae Excellentiae exoneratione. Minusque iuribus Regiae Curiae obstare posset si ex ipsius universitatis parte forte diceretur, quod antiquitus feudum predictum de Xhamopetro Iudica dicebatur, nunc vero Xhamum Petrum, nam tam nomine Iudice quam Xhamopetri Africana nomina sunt sive Maurorum, tunc vero hoc stare posset cum titulum sive nomen Africanum in aliud nomen latinum fuisset conversum, quod etiam fieri debuisset principis licencia praecedente, licet feudum ipsum de Xhamopetro ab initio mundi hocmet nomine fuerit appellatum et ut predictum est feudum de per se suis terminis, finibus, iuribus et pertinentiis, ut notorium est, limitatum.

Insuper cum dicta universitas pretenderet pro dictis feudis ad militare servitium se non teneri vigore dicti privilegij domini Imperatoris Henrici, in quo apparet universitatem predictam tantum ad censum tarenorum quinque milium et ducentorum quinquaginta Marinariorum annuatim teneri, tandem per Sacrum Regium Consilium fuit lata sententia contra dictam universitatem, cum qua extitit declaratum universitatem ipsam teneri ad equos armatos quindecim in omni eminenti ac notabili regni invasione, de qua stari debeat ad arbitrium iudicum Vestrae Catholicae Maiestatis, nec non ad solupcionem unciarum ducentarum, de quibus inferius loquar. Que quidem sententia invenitur in predicto processu actitato inter universitatem Cathaniae ex una et dictam universitatem Calatagironi parte ex altera, per quam quidem sententiam sive illius virtute universitas ipsa pre se fert feudum predictum de Xhamopetro pacifice et quiete tenere et possidere, non advertendo quod capitulis et constitutionibus regni actentis nec non et illis verbis in privilegio domini Regis Corradi contentis videlicet salvis quoque in omnibus et per omnia fidelitate, mandato et ordinatione nostra et heredum nostrorum etc. omnino universitas ipsa tenens et possidens feuda tam nobilia, quae anno quolibet reddunt ultra florenos decem et octo mille, ad servitium militare iuxta annuos redditus tenentur. Nichilominus quicquid sit, nulla ipsarum sententiarum Vestrae Catholicae Maiestatis iuribus nocere potest. Nam tanta fraude enormique lesione probata iuribus meis (*sic*) praecallegatis Vestra Catholica Maiestas restitui potest. Et sic michi persuadeo Vestram Regiam Excellentiam ad suum sacrum regium demanium feudum de Xhamopetro antedictum reducere posse cum restitutione fructuum et reddituum illius ab eo tempore, quo feudum ipsum tenuit et possedit usque ad presens. Et quoniam universitas ipsa allegat quod virtute privilegij domini Regis Rogerij et domini Regis Gullelmi feuda ipsa sibi concessa fuerunt ad emphiteosim et annum censum dictorum quinque millium tarenorum et ducentorum quinquaginta Marinariorum, nichilominus tale privilegium videre numquam potui. Et propterea mihi videtur quod per regij fisci partem instantia fieret circa petitionem et obstensionem huiusmodi privilegij ut veritas discutiatur.

Restat nunc ut de censu tarenorum quinque milium et ducentorum quinquaginta Marinariorum pro feudis predictis Iudicae et Fatamasim debito, que sentio dicam; qui quidem census dictorum tarenorum quinque milium summam capit 07. 166, 20. Nam capitulorum regni virtute et constitutionis domini Regis Iacobi ac Parlamenti Siracusani non tantum censum predictum sed etiam feuda ipsa Iudicae et

Fatamasim alienari non possent. Et nichilominus a dicta summa O7. 166, 20, segregate fuerunt unciae centum viginti in perpetuum in condam Ugonem et postmodum in Galcerandum de Sancta Pace, et de unciis triginta quatuor et tarenis viginti pro parte dictae universitatis allegatur quod Regia Curia penes se retinet cabellas Scannature, Arcus Cuttoni, Tintoriae, Rantariae, Mercij, Cafisi et Statere. Et nihilominus non invenio qua ratione sive causa Regia Curia sit a suis proprijs iuribus privata et non teneat cabellas aliquas, immo patet ipsius esse universitatis. Quapropter Regia Curia ipsa attendere deberet si cabellae ipsae et aliae omnes, si quae sunt, ipsius erant universitatis et quo titulo illas possidebat, nec non attendere deberet ipsa Regia Curia circa revocationem dictarum O7. 120 in illos de Sancta Pace alienatarum, quae ullo pacto in Vestrae Catholicae Maiestatis preiudicium alienari non poterant.

Item ut apparet per quamdam licteram Domini Regis Martini, universitas predicta sententiae vigore tenebatur anno quolibet in perpetuum solvere Regiae Curiae coltam, quod excessive summe fuisse arbitrator. Deinde vero ad ipsius universitatis supplicationem dictus dominus Rex Martinus relaxavit reduxitque quantitatem ipsam ad uncias octuaginta, quas universitas ipsa annis singulis in perpetuum solvere promisit ipsi Regiae Curiae et sic mihi videtur quod dictus dominus Rex Martinus tam dictas uncias centum viginti in illos de Sancta Pace alienatas, quam dictas O7. 80 colte sibi revocavit illasque ad summam unciarum ducentarum suae Regiae Curiae restituit, mandans quod dicta universitas de illis Raimundo Bilingario dellorach nomine Regiae Curiae responderet. Quapropter miror quomodo iterum dicte O7. 120 in posse dictorum de Sancta Pace reductae sint, unciae vero octuaginta colte predictae in aliarum personarum posse devenerint. Et sic dico quod tam census dictorum quinque milium tarenorum, quam dictae unciae octuaginta regiae coltae nullo pacto debent ita alienate persistere in tam grande Regij patrimonij Vestrae Catholicae Maiestatis preiudicium.

Preterea videndum est quanta fuerit ab antiquo quantitas dictae Regiae coltae et si dictus dominus Rex Martinus de illa relaxationem facere poterat reductionemque ad dictas uncias octuaginta in Sacrae Regiae Coronae iacturam et legitimorum successorum, nam de Regijs Regalijs non debet aliqua fieri relaxatio.

Pari modo apparet universitatem predictam sibi maius ius sive

dirictus usurpasse ultra quantitatem dictorum quinque millium tarenorum annui census videlicet ius ducentorum quinquaginta marinariorum, nam universitas ipsa Calatagironis ratione emphiteoticationis sibi concessa pro dictis feudis Iudice et Fatamasim ultra dictos quinque mille tarenos annuos tenebatur ad dictos ducentos quinquaginta marinarios annis singulis ipsi regiae Curiae. Et iuxta quorundam antiquorum testium depositiones, que in predicto processu descripte sunt, in illa pagina in qua signum sancte Crucis depictum est, apparet quod pro iure dictorum 250 Marinariorum dicta universitas dictae regiae curiae annis singulis uncias ducentas quinquaginta solvebat, et sic praedicta universitas per tantum temporis intervallum usurpatos detinuit redditus dictorum ducentorum quinquaginta Marinariorum, immo verius pro illis dictas ducentas quinquaginta uncias, ob quod regia curia Vestrae Catholicae Maiestatis non tantum predicta feuda Iudice et Fatamasim propter non solutum canonem sibi revocare posset, sed etiam petere a dicta Calatagironis Civitate omnes census dictorum 250 Marinariorum a tempore emphiteothice concessionis dicti domini Regis Rogerij et prefati domini Regis Gullelmi citra, de quibus late verba faciunt privilegia dicti domini Imperatoris Henrici et domini Regis Friderici tertij ac domini Regis Corradi, prout in illis latius continetur, que huiusmodi sunt seriei, videlicet. Fidericus tertius dei gratia Rex Siciliae, Ducatus Apuliae et Principatus Capuae. Per presens privilegium notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris, quod pro parte universitatis hominum terrae Calatagironis nostrorum fidelium obstensum et presentatum fuit nostrae curiae quoddam privilegium sub pendenti sigillo Illustrissimi Domini Henrici Sexti, olim domini Imperatoris et Regis Siciliae clare memoriae, continentiae talis. In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis. Henricus Sextus divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus et Rex Siciliae. Imperialem decet Excellentiam eos qui ad fidelitatem nostram cum devotione recurrunt benigne respicere ipsisque iura debita et consuetudines observare. Inde est quod notum facimus universis Imperij et Regni Siciliae fidelibus tam presentibus quam futuris, quod nos attendentes cum quanta devotione animi Calatagironis curret actenus nobis servaverit (*sic*) qualiter et nuper in regno Siciliae facta turbatione obsequijs imperij promptos se exhibuerunt atque fideles, de munificentia nostra concedimus eis in perpetuum et confirmamus una cum dilecta consorte nostra Constantia Romanorum Imperatrice Serenissima et semper Augusta et Regina Siciliae omnia iura ipsorum et bonas consuetudines, quas a tempore Regis Rogerij usque ad obitum secundi Regis Gullelmi fe-

licis memoriae habuerunt. Insuper eis concedimus, quemadmodum dilectus legatus noster Bonifacius Marchio Montis Ferrati nostra qua fungebat legatione et auctoritate illas indulsit et sicut continetur in privilegijs eorum, que habent a primo Rege Gullelmo, divisisque eorum, sicut continetur in presenti pagina, quae de quaternione Dohane nostre nos eis transcribi precepimus. Hi vero sunt termini divisarum predictorum terminorum, sicut determinate ducuntur de loco ad locum. He sunt autem prime divise, videlicet Iudice, et sunt infra divisas Castri Joannis magni, incipit enim a mandra bufalorum versus occidentem usque ad flumen et haym et transit flumen usque dum vertitur ad petram latronum et deinde vadit per cristam cristam Gi-perti usque ad turrim Raduseae et descendit usque ad flumen Imbelni, transit flumen usque ad molendinum Leuhec et ad fontem Arse et ad vallonem Moeli et vadit vallonem vallonem usque dum vertitur ad flumen Hubeliae, et vadit flumen flumen usque ad transitum qui vadit exinde ad Urfenum, et vadit viam usque ad Collem Caparorum et vadit indirectum usque ad lacum rotundum qui est in flumine Burfarita, et vadit flumen flumen usque dum coniungitur cum flumine Athaim, et ascendit cum flumine Athaim usque ad predictam mandram Bufalorum et clauduntur illic. He vero sunt divise Calatagironis et Fatamasim: principium earum est a capite Sichelbe usque ad viam albam et ascendit super caput collis usque ad alium collem altiorem et exit usque ad cristam et transit deinde usque ad petras albas et vadit deinde cristam cristam usque ad viam Borlini et transit et ascendit ad furcas Joancarnis et transit ad viam qua itur in Raalmelelini et carpit viam viam usque ad portam Cassar et exit inde per cristam partis Cassar usque ad collem altiorem et vadit usque ad montem qui est a meridie et vadit cristam cristam usque dum coniungit via qua itur ad nemus, et vadit viam viam usque ad viam qua itur ad visem ad magnam viam tranam qua itur ad Plateam et illic clauduntur divise Calatagironis. Divise Fetanasim cum vissent (*sic*) descendit versus terranam viam remanente vinea Surse in parte sinistra et vadit viam viam usque dum venit in transitu vallonis de Bruca qui dicitur Vallis de Piris et descendit per cursum cursum aquae usque dum coniungitur cum flumine Gurgitis riductionis; et vadit inferius usque ad aquam trane usque dum venit ad vallonem Viesi et exinde incipiunt divise Odogrilli et Fetanasim ascendit ad vallonem vallonem Viesi et vadit indirecte usque ad caput predicti vallonis et incidit in viam que venit de Trana in Sanctum Petrum, et vadit usque ad caput Vallonis de Porco et descendit vallonem vallonem et ascendit usque ad cristam que respicit

ad Gurgitem Hyrundinum et descendit flumen Gundriae in predictum Gurgitem Hyrundinum et ascendit flumen flumen usque ad equatur Ecclesiae albe, remanente ipsa Ecclesia in sinistra parte, et vadit indirecte usque dum venit in duos cursus, cursum videlicet Favariae et cursum Rassalenchii et ascendit super cursum Rassalenchii usque dum venit ad rostrum Anseris et ascendit directe usque dum venit ad puteum Ralxhalsem et descendit cursum cursum aequae usque ad flumen quod derivatur de Fatanasim, et deinde ascendit cristam cristam usque dum venit in portam que est inter Fatanasim et Rachalsaim et clauduntur illic. Hec autem omnia concessimus salvo iure imperiali et ordinamento nostro et heredum nostrorum. Statuimus itaque et imperiali sancimus edicto, ut nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis contra hanc nostre donationis vel confirmationis divalem paginam venire audeat vel eam aliquo modo presumat perturbare, quod qui facere attentaverit in ultionem sue temeritatis centum librarum auri optimi pro pena componat, mediam partem camerae nostre, reliquam partem passis iniuriam. Ad cuius rei certam evidentiam presentem exinde paginam conscribi iussimus et nostre maiestatis bulla communiri. Huius rei testes sunt Angelus Tarentinus Archiepiscopus, Bernardus Archiepiscopus Ragusiae, Ioannes Puteolanus Episcopus, Ludovicus Dux Bavariae, Albertus Comes de Spanhemio, Ludovicus Comes de Burgubria, Marcualdus Senescalcus Marchio Anchonae Dux Ravenne, Romaniel Geraldus Salernitanae Ecclesiae Rector, Didacus Trayectinus Prepositus, Corradus Maguntinus Prepositus de honore, Valterius de Parisio, Henricus Marescalcus de Calendin, Dricus dapifer de Fame, Henricus Pincerna Deluc et alij quamplures. Signum Domini Henrici Sexti Romanorum Imperatoris invictissimi Regis Siciliae.

Ego Corradus Hildeshemensis Episcopus et Cancellarius Imperii una cum domino Galterio Troyano Episcopo Siciliae et Apuliae Cancellario recognovi. Acta sunt hec anno dominice Incarnationis 1197. Indictione XV^a Regnante domino Henrico Sexto Romanorum Imperatore Gloriosissimo et Rege Siciliae, anno Regni eius XXVIII, imperii vero septimo et regni Siciliae tertio. Datum apud Mamachium (*sic*) per manus Alberti Imperialis aule Prothonotarii Sexto nonas Iulij. Et pro parte dictae universitatis terrae Calatagironis Maiestati nostrae fuit humiliter supplicatum, ut predictis hominibus ipsius terre Calatagironis et heredibus eorum in perpetuum predicta tenimenta et divisas prout iuxta tenorem predicti privilegij protenduntur confirmare et de novo concedere et donare de benignitate regia dignaremur, huiusmodi supplicationibus benigne admissis, considerantes fidem puram et devotionem sinceram quod pre-

dicti homines Calatagironis erga Maiestatem Nostram constanter, fideliter et devote gesserunt et gerunt, nec minus fidelia et grata satis obsequia per eos Excellentiae Nostrae gratanter, fideliter et devote prestita et que in futurum, auctore domino, conferre poterunt gratiora, dum deceat Maiestatem Nostram fidelibus nostris pro meritis respondere, eis tamquam benemeritis et heredibus eorum in perpetuum predicta tenimenta et divisas, prout iuxta tenorem predicti privilegij protenduntur, liberaliter et gratiose confirmamus et de novo concedimus et donamus, fidelitate nostra nec non constitutionibus Illustris Aragonum et olim Siciliae Regis fratris nostri et nostris in omnibus semper salvis. Ad huius autem nostrae confirmationis et concessionis memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium exinde fieri et Maiestatis Nostrae sigillo impendenti iussimus communiri. Datum apud Castrum Joannis per Nobilem Vinciguerram de Palitio militem Regni Siciliae Cancellarium, anno dominice Incarnationis 1209 (1) mense Octobris, XII eiusdem, XIII Inditionis, Regni nostri anno quarto.

Corradus dei gratia Romae in Regem electus, semper Augustus, Hierusalem et Siciliae Rex. Per presens privilegium notum facimus universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris, quod Universitas terre Calatagironis fideles nostri per certos nuntios suos ad Nostram Excellentiam destinatos Nostrae Celsitudini supplicarunt, ut privilegia que divi predecessores nostri Gulielmus Primus Rex Siciliae ac divus Augustus Imperator Henricus Sextus avus noster memoriae recolende Universitati terrae ipsius de sua gratia indulserunt super tenimentis ipsius terrae Calatagironi, Iudicae et Fatamasim cum iuribus et pertinenciis eorundem, sicut tenimenta ipsa in eiusdem Imperatoris Henrici privilegio certis finibus designantur, sub annuam prestationem quinque milium tarenorum et insuper ducentorum quinquaginta

(1) Correggasi 1299. Debbo sin da ora avvertire che i manoscritti, di cui mi valgo per la stampa, dichiarati autentici e depositati, com'è noto, per decreto di Ferdinando il Cattolico nell'archivio della Cancelleria del Regno, son qua e là frammezzati di pagine e quaderni di carattere della prima metà del secolo decimottavo e del principio di questo, sostituiti agli originali, logori dall'uso, come opino, per mano degli amanuensi dell'ufficio medesimo. Altre due copie dell'intera collezione, ma di epoca più recente, scorrettissime e non mancanti di lacune, si conservano nelle Biblioteche Comunale e Nazionale; talchè ho procurato di correggere qualche nome, data o parola con l'aiuto di documenti dell'epoca, dov'è tornato indispensabile all'intelligenza del testo, senza lasciar però di tenermi quanto più fedele all'originale.

marinariorum super iuribus etiam et bonis consuetudinibus eorundem, prout in ipsis privilegis distincte contineri proponuntur, confirmare hominibus eiusdem universitatis Calatagironi et eorum heredibus de nostra gratia dignaremur. Nos autem actuentes fidem puram et devotionem sinceram hominum universitatis ipsius, considerantes quoque grata et accepta servitia que divo Augusto Domino Imperatori Friderico patri nostro clarae memoriae ac nobis exhibuerunt fideliter et constanter ac exhibere nobis poterunt in futurum, privilegia predicta universitati terrae ipsius a praefatis predecessoribus nostris indulta super tenementis predictis cum omnibus iuribus consuetis et debitis ac pertinentijs eorundem, sicut per certos fines in eiusdem Imperatoris Henrici privilegio designata leguntur super iuribus etiam et bonis consuetudinibus eorundem, prout hactenus premissa omnia iuste ac rationabiliter possederunt et in eisdem privilegijs distincte proponitur contineri, hominibus universitatis ipsius et heredibus suis in perpetuum de nostra gratia confirmamus, salva predicta prestatione quinque milium tarenorum et insuper ducentorum quinquaginta Marinariorum annuatim nobis et successoribus nostris ab eis et eorum heredibus facienda, salvis quoque in omnibus et per omnia fidelitate, mandato et ordinatione nostra et heredum nostrorum. Ad huius autem confirmationis nostrae memoriam et stabile firmamentum, presens privilegium per Belprandium de Cusentino notarium et fidelem nostrum scribi et sigillo Maiestatis Nostrae iussimus communiri. Datum Foggiae per manus Gualterij de Oca Regni Siciliae Cancellarii anno dominice Incarnationis 1254, mense Januarij XI Inditionis. Regnante Domino Nostro Corrado, Dei gratia Romae in Regem electo semper Augusto, Hierusalem et Siciliae Rege, Regni eius anno quarto feliciter amen.

Presentatum Minei pro parte Universitatis Calatagironi penes acta Magnae Regiae Curiae 14 Decembris XIII Inditionis.

Ex actis Nobilium Juratorum universitatis terrae Calatagironi extracta est presens copia. Ex libris officij Conservatoris extracta est presens copia per manus scriptoris, voluntate mei, Joannis Bonaventura de dicto officio. Collatione salva.

Universitas vero praedicta Calatagironi per Federicum Bobbes eius procuratorem ob mortem Domini Nostri Ferdinandi Regis a D. Joanne de Luna Praeside cepit investituram de dictis feudis, videlicet Xhamopetro, San Peri et Racasemi, et aliis redditibus et cabellis ipsius universitatis die 22 Decembris V Inditionis, notatam in libro Cancellariae anni 1316. f. 419, et iuravit dictus procurator dicta feuda, cabellae et redditus reddere uncias duas mille. 07. 2000

De Feudo et Castro Tavi

Castrum et feudum Tavi sita et posita in valle Castri Joannis huius Siciliae ultra farum regni, antiquitus per quondam Antonium de Vigintimilio olim Golisani Comitem, ut in vim privilegij domini Regis Martini dati Jacij 25 Iunij prime Inditionis 1393, notati in libro anni 1392 f. 66, possidebantur, tamquam Regiae Curiae apertam ob rebellionem condam Rogerij de Passaneto illius detemptoris, et postmodum ob eiusdem Comititis rebellionem ipsa castrum et feudum reginali curiae aperta fuerunt et devoluta una cum illius bonis feudalibus et burgensaticis ac dignitatibus, officiis et beneficijs, sententialiter et in scriptis, ut per verba in quodam privilegio Domini Regis Martini descripta late patet. Ob quam rebellionem ipsorumque bonorum curiae aperturam et devolutionem, Dominus Rex Martinus ipse ipsa castrum et feudum Tavi quondam Bernardo Berengario de Perapertusa suisque heredibus de suo corpore legitime descendentibus in feudum sub debito et consueto militari servitio ac ut viverent iure Francorum, videlicet quod maior natu minoribus et masculus feminis preferatur, dedit et concessit; renunciatis tamen prius per eundem Bernardum Berengarium dictae Curiae Regiae certis iuribus tractarum per gloriosos Principes praedecessores suos eidem Bernardo super maritimis ipsius regni concessis, et praesertim uncis ducentis sibi anno quolibet per eosdem Reges super iuribus tractarum portus Agrigenti assignatis, cum clausula videlicet constitutionibus Domini Regis Iacobi et aliorum retroregum super demanialibus editis semper salvis, prout haec et alia tenore dicti privilegij dati Cathaniae 16 Ianuarij VI^a Inditionis 1397 serius exarantur, notati in libro anni 1398 septime inditionis f. 38.

Quo quidem Bernardo Berengario de Perapertusa ab hac vita decedente, ei in dictis castro et feudo Tavi Gulielmus de Perapertusa illius filius legitimus et naturalis ac maior natu successit, qui Gullelmus investituram aliquam de eisdem feudo et castro accepisse non apparet; ipsoque Gullelmo de Perapertusa defuncto, in eodem castro et feudo Joannes de Perapertusa alias Castellar eiusdem Gullelmi filius legitimus et naturalis ac maior natu successit. Qui Joannes confirmationem dictorum castri et feudi Tavi investituram a quondam Domino

Lop Ximen Durrea tunc huius regni Prorege pro se suisque heredibus et successoribus de suo corpore legitime descendentibus in perpetuum obtinuit et ut viverent iure Francorum etc, sub debito militari servitio et reservationibus antedictis, ut in dicta investitura data Panormi 14 Iulij prime Indictionis 1453 apparet notata in libro Investiturarum dicti anni f. 71.

Defuncto autem prefato Joanne Castellar alias Perapertusa, eisdem in Castro et feudo Thavi ei successit, ut asseritur, Franciscus de Perapertusa ipsius Joannis filius legitimus et naturalis ac maior natus, qui nullam de dictis castro et feudo investituram habuit. Tandem ipso Francisco mortuo, ei predictis in castro et feudo Gullelmus Castellar alias de Perapertusa successit ipsius Francisci frater et prenominati Joannis filius secundogenitus. Qui Gullelmus de eisdem castro et feudo a quondam Domino Gaspare de Spes huius regni tunc Vicerege investituram consequutus est die primo Novembris XIII Indictionis 1480, ut in dicta investitura patet notata in libro anni predicti f.º 40.

Qui quidem Gullelmus de Castellar alias de Perapertusa exinde ipsa feudum et castrum Tavi cum suis iuribus etc. quondam Petro lo Campo pro certo pretio vendidit, de quibus ipse Petrus lo Campo a dicto quondam Domino Gaspare Prorege investituram habuit 3 Decembris 2 Indictionis 1483, ut in ipsa continetur notata in libro annorum 1483, 1484 f. 201.

Deinde vero dictus Petrus lo Campo predicta castrum et feudum Tavi quondam Joanni de Ansalone doctori vendidit. Qui Joannes de eis a dicto Don Gaspare de Spes Vicerege investituram accepit die 20 Januarij 2 Indictionis 1483, ut in ea est videre notata eodem in libro 1483, 1484 in cartis 60.

Postmodum autem ipsa castrum et feudum Tavi, ut asseritur, antedicto Gulielmo Castellar alias de Perapertusa restituta fuere, quo tamen titulo illa recuperaverit non invenitur. Postremo vero Guglielmus ipse dicta castrum et feudum domine Helisabet de Caetano vigore contractus celebrati manu notarii Anthonii de . . . 25 Junij V Indictionis 1487 iterum vendidit. Quae Helisabet de illis a quondam domino Iuliano Centelles, hoc in Regno Praeside, investituram adeptam est, die VI Iunij VI Indictionis 1488, ut in illa apparet notata in libro anni 1487 f.º 469.

Que quidem domina Helisabet de huiusmodi castro et feudo Thavi donnae Belledammae eius filiae, uxori domini Nicolai Melchioris de Branchifortibus nunc Comitis Mazareni, donationem fecit, de quibus Comes ipse, tamquam principalis procurator dictae donnae Belledammae eius uxoris, investituram a quondam Don Joanne de Lanuça, tunc ipsius regni Prorege, obtinuit die 15 Januarii prime Indictionis 1497, ut in ea patet notata in libro dicti anni f.º 219.

Et in presentiarum, currente anno 1513, dictum feudum possidetur per eandem Belladamam et reddit quolibet anno uncias tricentas sive 07. 300

Ipsaque Belladamma de dicto feudo et castro Thavi ob mortem Domini nostri Regis Ferdinandi a Don Joanne de Luna Preside cepit investituram die 21 Ianuarij V Indictionis notatam in libro anni 1516 f.º 407, et Antonius Cotta eius procurator iuravit dictum feudum reddere tantundem.

**De feudo cum fortilitio Grassiliati, nec non et feudis
lu Cundro et la Gatta**

Feudum cum fortilitio Grassiliati situm et positum in valle Nothi, antiquitus possidebatur per condam Rogerium de Passaneto. Item duo feuda, videlicet lu Cundro et la Gatta, sita in eadem valle, etiam per Ioannem de Oberto possidebantur, qui quomodo et qualiter feuda huiusmodi habebant et possidebant in Cancellaria nullus apparet titulus; tamen tam dictus Rogerius de Passaneto, quam prelibatus Ioannes de Oberto contra Regiam Coronam dominorum Regum utriusque Martini se inaniter rebellarunt, ob quorum rebellionem dictum fortilitium et feudum Grassiliati predicti domini Reges uterque Martinus, prima facie, concesserunt quondam Don Jaymo de Prades et dato deinde sibi equivalenti excambio, iterum dictum feudum Regiae Curiae restitutum extitit; et sic dicti domini Reges fortilitium Grassiliati predictum, nec non et dicta feuda lu Cundro et la Gatta quondam Nicolao de Branchifortibus et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub debito militari servitio

dederunt et concesserunt una cum uncijs quinquaginta annualibus, super bonis tam feudalibus quam burgensaticis dicti quondam Ioannis de Alibertis cum hac clausula, videlicet: cum introitibus, exitibus et accessibus eorum spectantibus de iure ad fortilitium, et feuda predicta cum quibus et alijs iuribus praefati Rogerius de Passaneto et Ioannes de Aliberto proditores nostri tenuerunt et possederunt temporibus retrohactis etc., nec non et cum clausula constitutionibus et capitulis domini Regis Iacobi aliorumque retroregum super demanialibus editis semper salvis. Item et in eodem privilegiis dicitur, quod si aliquis vel aliqui in fortilitio vel feudis predictis aliquod ius habere pretendentes et questionem moveri volentes super proprietate vel possessione ipsorum bonorum, nullo modo audiantur. Immo talis questio ageretur per dictum Dominum Regem Martinum, et eius curiam et fiscum et fecit in hoc curiam ipsam defensatricem etc. cum clausula etiam de potestatis plenitudine etc. Item et cum obligatione dandi equivalens excambium illi vel illis ius habentibus in dictis bonis etc. quemadmodum diffusius continetur in privilegio dicti Domini Regis sive ducis Montis Albi, dato Platiae VI decembris 2 Indictionis 1393, notato in libro annorum 1393, 1396, 1397, f.º 3 (si trovà nel registro 5ª Indictione 1396, f.º 3) (1).

Eodemque Nicolao vita functo, successit sibi Thomasius de Brancifortibus eiusdem Nicolai filius; qui Thomasius in ultimis quibus decessit suum instituit heredem Federicum de Brancifortibus, etiam filium dicti Nicolai et fratrem dicti Thomasij, ipseque Federicus hereditatem adhibuit cum inventarij beneficio et precipue eodem in feudo Grassiliati, qui Federicus habuit et consecutus est a domino, bonae memoriae, Infante Ioanne tunc in regno Vicario confirmationem et investituram cum inserto tenore privilegij dictorum dominorum Regum utriusque Martini, tituli dicti quondam Nicolai primi acquisite, et in confirmatione ipsa ita est notatum videlicet: et auditori nostro humiliter supplicavit, ut cum dictus Federicus de iure succedere debeat ac velit tam dicto quondam patri suo, quam dicto condam Thomasio fratri suo, qui, ut prefertur, ipsum Federicum instituit suum heredem, ad quem dicta fortilitia hereditas atque successio, mortuo dicto condam Nicolao patre eorum, pervenerat; qui Thomasius frater eius in ultimis quibus decessit eundem Federicum fratrem suum instituit, ut praedicitur, heredem, ut eiusdem testamenti se-

(1) Quest'avvertenza è del copista, e conferma che il lavoro è stato eseguito dagli amanuensi della Cancelleria del Regno.

ries latius declarat. Cuius hereditatem beneficio inventarij primo dictus Federicus adivit praecipue in eodem fortilitio Grassiliati, in quo succedere de iure debet ac vult, ut premittitur, vigore ultimarum voluntatum premissarum eius fratris et patris, desuper tenore cuiusdam conventionis, et concordiae dudum inter ipsum Federicum et eundem quondam Thomasium eius fratrem celebrate; in qua clarius continetur, quod si eundem Thomasium mori contingeret sine heredibus de suo corpore legitime descendentibus, quod antedictum feudum seu fortilitium Grassiliati cum suis iuribus omnibus ipsius conventionis vigore ad eundem Fredericum revertantur, ut in quodam publico instrumento facto manu Thomasij de Constantino suprascripto sunt haec et alia reservata, confecto XI Ianuarij X Indictionis sub anno Domini 1401: quod Excellentiae Nostrae humiliter oblatum fecimus etiam diligenter inscrutari, cum dictus Thomasius frater eius sit praemortuus filiis de suo corpore legitime descendentibus minime derelictis, et per consequens pactum antedictum sit adimplendum, videlicet, quod fortilitium Grassiliati cum suis iuribus et pertinencijs debet ad eundem Federicum reverti etc. Quorum quidem verborum virtute, dictus Federicus pro se suisque heredibus de suo corpore legitimis etc. habuit confirmationem et investituram a dicto Domino Infante Ioanne cum reservatione constitutionum Domini Regis Iacobi, et aliorum retroregum etc, ut patet in eius privilegio dato Cathaniae 17 Februarij 9 Indictionis 1415, notato in libro dicti anni f.º 75.

Mortuo vero dicto Federico, successit sibi in dictis feudis Grassiliati et alijs Nicolaus de Brancifortibus, eiusdem Frederici filius legitimus et naturalis ac maior natu, qui Nicolaus pro se suisque heredibus de suo corpore legitime descendentibus habuit investituram de feudo huiusmodi a quondam Nicolao de Speciali tunc Vicerege, datam Cathaniae penultimo mensis Aprilis septime Indictionis 1429, cum reservatione constitutionum Domini Regis Iacobi, ut praefertur. Ipsoque Nicolao decedente, successit sibi in eisdem feudis Ioannes de Brancifortibus, eiusdem Nicolai filius legitimus et naturalis ac maior natu, qui Ioannes pro se et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus habuit investituram a quondam Vicerege, qui tunc erat, de eisdem feudis in forma cum reservatione dictarum constitutionum Domini Regis Iacobi et aliorum retroregum, datam Panormi 21 Iunij prime Indictionis 1453, notatam in libro investiturarum dicti anni f.º 4.

Quo quidem Ioanne de Brancifortibus vita casso, successit sibi in dicto feudo Grassiliati Nicolaus Melchior de Brancifortibus eiusdem Ioannis filius legitimus et naturalis ac primogenitus, qui habuit investituram dicti feudi a quondam domino Vicerege, qui tunc erat, pro se heredibus de suo corpore legitime descendantibus more Francorum; etc. die 19 Octobris 4 Indictionis 1470, notatam in libro Iuramentorum prestitorum per Barones regni predicti 1470 f.º 48.

Et in presentiarum, currente anno 1510, feudum ipsum Grassiliati possidetur per dictum Nicolaum Melchiorem et reddit anno quolibet

07. 900

Super mero imperio

Et nichilominus silentio pretermittendum non censui meri et mixti imperij, ac regie iurisdictionis altae et baxae usurpationem per istos de Brancifortibus factam in dicto Mazareni et Grassiliati comitatu, ac in feudis Gallitani, Gibiliusi, Auzacuda, Suffiana, Porcaria, Bauci, Mandrablanca et Chandigagliuni. Que usurpatio, per litem sive altercationem inter moderntum dicti comitatus comitem et eius consanguineos noviter ortam, detecta est et publicata; asseritur enim olim barones et postmodum comites Mazareni absque legitimo titulo eodem mero et mixto imperio per longum temporis spatium indebite et iniuste usos fuisse. Ad quod demonstrandum exponitur, quod Serenissimus Rex Alfonsus Vestri Regij Culminis patruus sui tempore regiminis quondam Ioanni de Brancifortibus tunc Mazareni baroni, eadem in Mazareni terra et Grassiliati feudo merum et mixtum imperium, ad Regiae tamen dignitatis beneplacitum, concessit, sicut in eiusdem Alfonsi Regis privilegio, dato Caietae XI Martii 8 Indictionis 1441, diffusius continetur.

Qui quidem Ioannes de Brancifortibus, vita dicti Regis Alfonsi perdurante, prenotati regij privilegij virtute ipsum merum et mixtum imperium tenuit et possedit.

Mortuo tandem Rege Alfonso antedicto, Serenissimoque Rege Ioanne Vestrae Catholicae Maiestatis genitore in regno succedente, cum regium huius regni patrimonium, ob innumeras demanialium rerum et patrimonialium concessionem per Siciliae Reges, et signanter

per dictum Regem Alfonsum, contra regni constitutiones et statuta factas, exhaustum comperisset; ab eodem Rege Ioanne pragmatica sanctio emanavit, cum universae concessionem, donationes et gratiae quodcumque et qualitercumque ac sub quavis verborum expressione et clausularum robore, quibuscumque personis per ipsum Regem Alfonso ad suae Regiae dignitatis beneplacitum eodem in regno generali factae, exceptis dumtaxat, quae per ipsum et Regem Joannem confirmatae seu de novo concessae extiterant, revocatae fuerunt et penitus annullatae quemadmodum ipsa in Regia prammatica sanctione, data Valentiae 26 Aprilis 1459, de qua viceregiae emanarunt executoriae, datae Panormi V Iulij 8 Indictionis eiusdem anni 1459, et in Regiae Cancellariae libro 1458, in cartis 231, notata diffusius apparet.

Ecce ergo quod huiusmodi concessio meri et mixti imperij per ipsum Regem Alfonso predicto Joanni de Brancifortibus, ad Regie dignitatis beneplacitum, ut supra facta, ad invicem revocata fuit penitus et annullata. Quodque in vim huiusmodi generalis revocationis meri et mixti imperii per dictum Regem Joannem factae, predictus Ioannes de Brancifortibus ipso mero et mixto imperio amplius uti dubitaverit clarissime demonstratur. Nam Ioannes ipse de Brancifortibus nonnullique alij regni barones per tunc regni legatos eidem Regi Ioanni supplicare fecerunt, ut illis merum et mixtum imperium concederet, qui Rex tandem eidem Joanni de Brancifortibus ad Regium tamen beneplacitum eisdem in tunc baronijs Mazareni et Grassiliati merum et mixtum imperium eius cum Regio privilegio concessit, non nominatis in aliquo ipsius Ioannis de Brancifortibus eodem cum privilegio filiis sive heredibus, prout ipso in privilegio dato Barchinone ultima Ianuarij 8 Indictionis 1460, de quo viceregiae emanarunt executoriae datae Cataniae 29 Novembris dicti anni libro (*sic*) in cartis notatis latius exaratur.

Defuncto tandem eodem Ioanne de Brancifortibus, sibi in dictis tunc Mazareni et Grassiliati Baronijs successit Nicolaus Melchior de Brancifortibus eius filius, qui Nicolaus Melchior nichil faciens quod dictum merum et mixtum imperium dicto eius patri tamen et non ipsius Ioannis filiis sive heredibus per dictum Regem Joannem ad Regium beneplacitum concessum extiterat, cuius Ioannis morte ipsum merum et mixtum imperium extinctum fuerat, per annos fere 35 absque titulo sive regia provisione a Vestra Regia Celsitudine, ut legitime eodem Regno succedente, concessa ipsius meri et mixti imperii exercitio usus fuit; quod merum et mixtum imperium in ipsis duabus Baronijs Mazareni et Grassiliati eidem Nicolao Melchiori de Bran-

cifortibus anno quolibet, ut ex nonnullorum eius affinium relatione percipi, plus utilitatis elargiebatur, quod sunt uncias centum ultra quod percipere consuevit pro dicti meri et mixti imperij exercitio, per eum in prenominatis feudis Galitani et per ipsos de Brancifortibus, ut patet, noviter emptis, facto siculi in illorum capitulo in cartis 36 notato continetur.

Et quod peius est, morte dicti Regis Ioannis secuta, cum per Vestram Catholicam Maiestatem omnes ipsius Regis Ioannis concessionem ad Regium beneplacitum facte, Regia mediante provisione, data die mense anno et in Regie Cancellarie libro anni in cartis notata, revocate extitissent; Nicolaus ipse Melchior de Brancifortibus merum et mixtum imperium predictum absque titulo a vestra Regia Celsitudine sibi concessio exercere non dubitavit; quod cum male factum fuisse cognovisset, verereturque an sibi noceri potuisset si huiusmodi fraus et iurisdictionis usurpatio detecta esset coram Maiestate Vestra Partenopeia in civitate, moram trahente, comparens, prenarratis omnibus silentio pretermisissis ac Regiorum beneplacitorum previjs revocationibus postpositis, primum privilegium Regis Alfonsi dicto eius patri ad Regie dignitatis beneplacitum, ut predicatur, concessum vestro Regio Culmini solummodo demonstravit, tacensque preterea pragmaticam sanctionem Regie dignitatis beneplacitorum revocatoriam per dictum Regem Ioannem celebratam, concessionemque per eundem Regem Ioannem dicto Ioanni de Brancifortibus ad Regium beneplacitum exinde factam, Vestrae Regiae Serenitati supplicavit ut previam antiquam dicti Regis Alfonsi provisionem sibi confirmaret. Quapropter Vestra Catholica Maiestas tamquam de his non informata sibi persuadens quod in vim eiusdem provisionis Regis Alfonsi, que in heredes predicti Ioannis de Brancifortibus non transit, ipse Nicolaus Melchior eodem mero et mixto imperio usus fuisset, ad illius sinistram informationem ipsius Regis Alfonsi provisionem sibi confirmavit, et quatenus opus esset merum et mixtum imperium predictum ad Regie dignitatis beneplacitum concessit, sicuti vestro in Regio privilegio cum inserto tenore dicte provisionis Regis Alfonsi, dato Neapoli 26 Februarij X Indictionis 1507, et in Regie Cancellariae libro anni 1506 in cartis 527 notato, clarissime demonstratur.

Et nichilominus viso per me ac toto dicti vestri Regij privilegij tenore perlecto, inveni, quod tam in supplicatione sive narrativa privilegij ipsius, quam in eius conclusione et mandato, ipse Nicolaus Melchior de Brancifortibus tantummodo nominatur, quo casu in eius

heredes non transit, verum eadem in conclusione sine mandato verba hec inter alia descripta reperi, videlicet: quatenus nostram huiusmodi laudationem, ratificationem, confirmationem et novam concessionem omniaque et singula desuper contenta et specificata, vobis eidem D. Nicolao Melchiori et successoribus, regie dignitatis beneplacito predicto perdurante, ad unguem teneant et observent etc. Et sic cum nulla in parte dicte Regiae provisionis vestre successores ipsius Nicolai Melchioris nominati fuerint, sitque in fine ipsius vestre Regiae provisionis, ubi positum nihil deservit, illud verbum siccum et nudum, puta, *successoribus*, et non sequantur illa verba, videlicet, vestri *inperpetuum*; verbum ipsum *successoribus* cum adeo substantiale existat mihi occasionem elargitur ut credam, quod ipsa vestra Regia provisio falsificata fuerit, illique adiunctum verbum illud *successoribus*. Nichilominus registro Vestri Secretarij Joannis Royz de Calcena, in quo provisio ipsa de verbo ad verbum notata est, ac etiam ipsius secretarij relationi me remitto, sed ut Vestre Catholicae Maiestati notum sit quod huiusmodi falsitas evidenter apparet, dico, quod in dicti Regis Alfonsi provisione, quam Vestra Regia Celsitudo confirmavit, exponitur dictum merum et mixtum imperium predicto Joanni de Brancifortibus tantum et non suis successoribus concessum fuisse; sed si Vestra Regia Celsitudo ad maioris gratiae cumulum eidem Nicolao Melchiori et suis in perpetuum heredibus et successoribus ipsum merum et mixtum imperium concedere voluisset, oportuisset eosdem heredes et successores tribus ad minus in locis dictae Vestrae Regiae provisionis nominari, in supplicatione videlicet sive narrativa partis informati in gratiae concessione et in conclusione, in qua officialibus mandatur ut ille huiusmodi provisionem observent, et hoc iuxta stilum et ordinem in talibus fieri solitum et assuetum. Attento igitur quantum huiusmodi fraus et lesio importet, ac in deservitium Vestrae Regiae Serenitatis tendat, suo de Regio mandato huiusmodi per me informatio facta extitit, ut per eam veritas elucescat et Vestra Regia Celsitudo, quae sui Regalis servitij fiunt salubrius, providere valeat.

Mortuo vero predicto Nicolao Melchiore de Brancifortibus, successit sibi in dicto feudo Grassiliati Joannes de Brancifortibus Comes Mazareni eius filius; qui pro se suisque heredibus de suo corpore etc. iure Francorum de dicto castro et feudo obtinuit investituram a Domino Ugone de Moncada Vicerege, datam Panormi 26 Ianuarij 14 Indictionis 1511, notatam in libro anni 1510, f.º 282.

Et ultra de dicto feudo et castro Grassiliati ob mortem Domini

Regis Ferdinandi a domino Ioanne de Luna Preside cepit investituram die 22 Ianuarij 1517, notatam in libro anni 1516, f.º 566, et iuravit reddere 07. 900

feuda

Gallitanum, Gibiliusi, Auzacuda, Sufflana, Porcaria, Bauci, Mandrublanco, Chandigagluni, Ursitu.

Feuda Gallitanum, Gibiliusi, Auzacuda, Sufflana, Porcaria, Bauci, Mandrublanco et Chandigagluni et Ursitu nuncupata, in valle Nothi circumcirca Mazareni et Graxiliati comitatum sita et posita, per condam Ioannem de Branchifortibus eiusdem comitatus comitem hodie anno 1511 currente possidentur: de quibus quidem feudis cum verba facere oporteat, de feudis Gallitani et Gibiliusi primo dicendum esse duxi.

Dico enim quod in Regie Cancellariae registris nullum de feudis eisdem Gallitani et Gibiliusi concessionis privilegium istis de Branchifortibus sive alteri cuicumque persone concessum reperitur; verum enimvero eadem in Cancellaria quedam apparet dictorum feudorum Gallitani et Gibiliusi investiture nota, per quam apparet condam Nicolaum Melchiorem de Branchifortibus tunc terre Mazareni baronem in eisdem Gallitani et Gibiliusi feudis, ob mortem condam Ioannis de Branchifortibus eius patris, pro se et eius heredibus in forma iuris Francorum sub consueto militari servicio successisse. De quibus forma et servicio constare dicitur quodam Viceregie confirmationis privilegio, dato Cathanie VIII Marcij XI Indicionis 1417, quod realiter ipsa in Cancellaria non invenitur, cum in ea anni eiusdem registrum non appareat, sicuti ipsa in investiture nota, data in anno 1470 et in eiusdem Cancellariae iuramentorum libro in cartis 190 notata, late patet.

Mortuo postmodum prelibato Nicolao Melchiore de Branchifortibus, sibi in eisdem Gallitani et Gibiliusi feudis successit prenomiatus Ioannes de Branchifortibus modernus comes, eius filius legi-

timus et naturalis. Qui Nicolaus Melchior de feudis ipsis cum investituram pecijisset, ipsorum feudorum titulus sive privilegium, eo quod in ipsa Cancellaria non invenitur, ex parte regij fisci petitum extitit ut videretur quomodo et per quem feuda ipsa sibi concessa fuissent. Et tandem cum dictum titulum demonstrare non valuisset, Don Ugo de Montecatheno, in presentiarum in regno Prorex, eidem Ioanni de Branchifortibus de feudis ipsis investituram Panhormi expeditam ultimo Ianuarii XIII^o Inditionis 1511, et in Regie Cancellarie libro anni 1510, in cartis 305 notatam, concessit, cum clausula, scilicet, salvis iuribus Regie Curie, quibus non intelligantur factum per presentem notam tacite vel expresse preiudicium, sed stent semper in suis robore et firmitate etc.

Noviter autem ex informatione per Stephanum de Adamo regium Algozirium mihi oretenus facta percepi, sibi ut regio officiali denuntiatur extitisse ab aliquibus Vestrae Regiae Celsitudini, quando opus erit per eum nominandis omnia prenominata feuda, que maximi sunt redditus scilicet:

Gallitanum redditus	07	C
Auzacuda redditus	•	XXX
Suffiana redditus	•	LX
Porcaria redditus	•	XXXX
Bauci redditus	•	LX
Mandrublancu redditus et	•	LX
Chandigagluni redditus	•	L

Que pecuniarum quantitates in universo summam capiunt unciarum quadringentarum annui redditus ultra illud, quod Gibiliusi feudum reddit, per dictos Ioannem de Branchifortibus seniore et Nicolaum Melchiorem de Branchifortibus patrem et filium usurpata et occupata extitisse hoc modo, scilicet: quod omnia prenominata feuda circumcirca dictum Mazareni et Graxiliati comitatum existentia, cum regij fuissent demanij, per particulares personas sub territoriorum et non feudorum nomine possessa ipsi de Branchifortibus ab ipsorum possessoribus absque principis licentia diversis vicibus de uno in unum emerunt, eademque sub nobilium feudorum nomine semper in titularunt, et pro nobilibus feudis illa semper vendiderunt seu in cabellam concesserunt, ac anno quolibet vendunt seu in gabellam concedunt, nulla per eos a regali corona debita infeudatione prehabita. Minusque feuda ipsa in feudorum rollo notata

reperiuntur, ut videri possit equorum et hominum armatorum quantitas, ad quam feuda ipsa iuxta illorum redditus pro regio militari servicio tenentur ana scilicet uncias XX pro quolibet equo armato, iuxta regni consuetudines et statuta; et sic apparet eosdem de Branchifortibus regiam curiam in dicto militari regio servitio fraude et dolo colluisse et regiarum constitutionum formam transgressos fuisse. Et quod peius est in dictis feudis ipsi de Branchifortibus mero et mixto imperio semper usi sunt et utuntur. Volentes in illis huiusmodi iurisdictionem in vim privilegij meri et mixti imperij in comitatu Mazareni et Graxiliati concessi tacite exercere, intercludentesque sub involucro et tacita veritate feuda eadem inter membra, et tanquam de membris eiusdem comitatus Mazareni et Graxiliati, que, ut predicatur, de ipsius comitatus membris numquam fuerunt neque sunt, nisi territoria a parvo tempore citra precio empta et absque principis licentia infendata. In quibus meri et mixti imperij iurisdictione usurpativo modo exercetur regium militare servicium penitus occupando. Et quod hoc sit verum puplicos fuisse celebratos contractus, asseritur, quibus apparet dicta feuda demanialia territoria fuisse per istos de Branchifortibus a particularibus personis precio empta. Quod cum ita fuerit, ita regia curia ad se feuda prelibata omnino facillime revocare posset.

Et nichilominus ad conscientie exonerationem et levamen singulos Regie Cancellariae codices perquirere volui, et tandem nullum titulum seu privilegium inveni, quo videri possit an feuda ipsa antiqua feuda et paterna fuerint, et alicui per Sicilie Reges concessa.

Deinde vero prefatus Ioannes de Branchifortibus Mazareni comes ex prenomatis feudis quatuor don Alfonso de Cardona eius sororio pro certo precio puplico, mediante contractu manu notarij Francisci Agrigentini XV Ianuarii XIII Indictionis 1511 celebrato, vendidit ac in solutum et satisfactionem florenorum sexdecim milium et unciarum sexaginta quatuor pro dotibus sibi promissis, carta tamen gratie reddimendi mediante, puta feudum Gallitanum, feudum Gibiliusi, feudum Suffiana, et feudum Ursiti concessit. Et sic dictus Don Alfonsus pro se suisque heredibus et successoribus iuxta formam privilegiorum dictorum feudorum de ipsis primo Iulii XV Indictionis 1512, investituram in Regie Cancellariae libro 1511 anni in cartis 732 notatam habuit. Et per eum in presentiarum anno 1513 decurrente possidentur et reddunt anno quolibet 07. . . .

Exinde dictus don Alfonsus de Cardona de dictis quatuor feudis puta Gallitani, Gibiliusi, Suffiana et Ursiti, ob mortem domini Regis Ferdinandi cepit a don Ioanne de Luna investituram die XVIII Ia-

nuarii V Indictionis notatam in libro anni 1516 f.º 422, et notarius Gismundus de Marino eius procurator iuravit in animam constituentis reddere scilicet: Gallitanum 07. C, Suffiana 07. LX, Gibiliusi et Ursito 07. L, que summam capiunt 07. (CCX).

Feudum Draffurussu Suprano et Suptano

Feudum Draffurussu Suprano et Subtano vulgo nuncupatum, de membris et iuribus feudi Grassiliati, situm et positum in valle Nothi per Ioannem de Branchifortibus comitatus Mazareni comitem et ipsius feudi Grassiliati baronem, viceregia licentia preunte, Ieronymo de Calaxibecta, sive illius tutoribus eius nomine, pro certo precio, publico mediante contractu manu notarij Ioannis de Comite XXIII Marcij XV Indicionis 1512 celebrato, venditum fuit. Cuius virtute idem Ieronymus de Calaxibecta pro se suisque heredibus et successoribus iuxta formam sui privilegij de feudo ipso a don Ugone de Montecatheno regni moderno Prorege XXVIII Maij XV Indicionis 1512 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1511 in cartis 608 notatam, reportavit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Draffurussu per prefatum Ieronymum de Calaxibecta possidetur, quod anno quolibet reddit 07. . . .

Dictus vero Ieronymus Calaxibecte de dicto feudo Draffurussu cepit a domino don Ioanne de Luna Presidente in regno investituram ob mortem Domini Nostri Ferdinandi Regis, die XXX Decembris V Indicionis 1517, notatam in libro dicti anni f.º 303, et iuravit Philippus Cumilo eius procurator, tactis scripturis, reddere 07. LV

Fenda vocata Lu Cundro et La Gacta

De feudis predictis vocatis lu Cundro et la Gacta, de quibus in precedenti capitulo feudi Grassiliati verba feci, in hoc capitulo quid sentiam exprimere non pretermittam. Et primo loquar de feudo Cundroni, dicens quod revolutis per me omnibus codicibus et annalibus regie Cancellariae inveni in feudo ipso Cundroni fuisse castrum et terram muratam, illaque possessa fuisse per Scalorium de Ubertis olim comitem terre Asari et ob feloniam, offensam et gravissimam prodicionem per dictum Scalorium commissam contra Infantem Ioannem tunc ducem ducatum Athenarum et Neopatriae, marchionem Randacij et tocius Vallis Castellionis et Francaville, Comitem etiam comitatus Minei et Calatafimi, dominum terrarum Traijne, Butere et Montis Albani ac nobilis civitatis Messane gubernatorem, huiusque Sicilie regni Vicarium generalem, omnia eiusdem Scalorij bona feudalia, allodialia et burgensatica, una cum quibuscumque bonis illorum de Palicio reproborum et insimul proditorum Regie Curie aperta et penitus devoluta fuisse. Ob quod exinde dictus dominus Dux Vicarius generalis, ut preleritur, dicta castrum et terram Cundroni universitatibus terrarum Placie et Castri Ioannis dedit et perpetuo concessit cum clausula, scilicet, fidelitate regia, devocione nostra, servicio regie curie sive nostre, si quod inde debetur, et iuribus alterius semper salvis: ut patet in privilegio dicti domini ducis Ioannis dato Cathanie XXI Iulij VIII Indictionis 1340.

Quam quidem concessionem eisdem universitatibus per dictum ducem Ioannem factam, nec non et divisionem per universitates ipsas de feudo predicto tunc de conscientia dicti domini ducis celebrandam prefate Universitati terre Castri Ioannis, sub debito et consueto militari servitio, Dominus Rex Ludovicus, nepos dicti domini Ducis Ioannis eius patruus, huius et tutoris acceptavit, ratificavit et confirmavit, cum reservatione tamen constitutionum Domini Regis Iacobi aliorumque retroregum et cuiuslibet alterius iuribus semper salvis: quemadmodum in privilegio dicti domini Regis Ludovici, dato Messane VII Augusti XI Indictionis 1343, clare patet.

Et a tempore mortis dicti domini Regis Ludovici usque ad successionem et regimen domini Regis Alfonsi, videlicet usque ad an-

num 1453, non invenitur in Regia Cancellaria aliqua investitura per dictas universitates capta de huiusmodi feudo lu Cundro. Verum in dicto anno 1453 prime Indictionis quondam don Lop Ximen Durrea tunc in regno Vicerege (*sic*) concessit Universitati dicte terre Placie investituram medietatis pro indiviso dicti feudi Cundroni cum inserto tenore privilegiorum dictorum ducis Ioannis et Regis Ludovici supra expressorum, sub debito et consueto militari servitio, constitutionibus domini Regis Iacobi iuribus Curie et alterius semper salvis; quemadmodum in ipsa investitura patet notata in libro Investiturarum dicti anni 1453, f.º 24. Preterea in alio eiusdem Regie Cancellarie libro dicti anni 1453 II^e Indictionis in cartis 467 quandam inveni investituram per Panhormitanum Archiepiscopum, regni Presidem, Pollidoro de Aurifice filio legitimo et naturali quondam Nicolay de Aurifice et Grigisio de Herbicella filio quondam Simonis de Herbicella ac Rogerio de Terri XVII Septembris II Indictionis 1453 concessam, per quam apparet universitatem dicte terre Castri Ioannis medietatem dicti feudi Cundro ad se pertinentem et spectantem prefatis Nicolao de Aurifice et Simoni Herbicella ac Rogerio de Terri pro uncijs CCC liberum et expeditum ab omni vinculo, lite, questione, molestia, obligatione, onere census, iure decime et tarenis et alia qualibet servitute pro reddimendo secretias Castri Ioannis et Calaxibecte ac castellanias et iura ipsarum in manibus quondam Gulielmi Raymundi de Montecatheno existentia, puplico mediante contractu manu notarii Thomci de Iampapa XVI Iunij VIII Indictionis 1445 celebrato, vendidisse. Quam venditionem et quotam feudi, ut supra venditam, dicti regni Preses eisdem Pollidoro de Aurifice, Grigisio de Herbicella et Rogerio de Terri eorumque heredibus in comuni pro indiviso sub consueto militari servitio, antiquis regaliis regni constitutionibus iuribusque Curie et alterius semper salvis, cum dicta eius presidali investitura confirmavit.

Mortuoque dicto domino Rege Alfonso et succedente sibi in regnis Aragonum et Sicilie domino Rege Ioanne, dicte universitates nullam ceperunt investituram de dicto feudo ob successionem ipsius domini regis; in anno vero 1479 Universitas terre Placie cepit investituram a domino Vicerege, qui tunc erat, ob mortem dicti domini Regis Ioannis et felicissimam successionem Vestre Catholice Maiestatis, ut patet in libro dicti anni 1479, f. 279.

Minusque apparet prefatos Polidorum de Aurifice, Grigisium de Herbicella et Rogerium de Terri sive eorum successores, tam ob

mortem regum quam eorum progenitorum, alios se de predicta eorum quota feudi investisse. Et sic rationem dare nequeo penes quem remaneat et sit, et si ab ipsius Polidoro, Grigisio et Rogerio defecit et quomodo ab ipsis defecerit.

Verum in presentiarum, currente anno 1510, feudum ipsum Cundroni per dictas Universitates, videlicet earum quamlibet pro una medietate possidetur et medietas Universitatis Placie reddit quolibet anno

Dicta vero universitas terre Castri Ioannis de dicta sua medietate feudi Cundroni ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die VII^o Ianuarii V Inditionis notatam in libro Cancellarie anni 1516 f^o. 374; et Bernardinus de Perricono procurator ad hec dicte universitatis iuravit dictam medietatem ipsius feudi reddere quolibet anno uncias . . CC

Et universitas terre Placie ob mortem dicti domini Regis Ferdinandi a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram de sua medietate feudi Cundroni die XVIII^o Ianuarij V^o Inditionis 1517 notatam in libro anni 1516 f^o. 462, et dominus Silvester Romanus legum doctor eius procurator iuravit dictam feudi medietatem reddere uncias CXXVIII

Et nihilominus ad Vestrae Catholicae Maiestatis notitiam iuxta informacionem nuperrime mihi oretenus factam, dico, quod prenominatus Scalorius de Ubertis Asari comes, qui rebellis dictus est et ob cuius rebellionem feudum Cundroni antedictum prelibatis Universitatibus Castri Ioannis et Placie concessum extitit, ut patet in capitulo, fuit reconciliatus; ac illi in vim capitulorum pacis olim inter Serenissimum Regem Federicum et regni barones et proceres inhite restitutus dictus Asari comitatus omniaque eius feuda ab eo ablata et aliis postmodum concessa iterum reintegrata.

Quo quidem comite Scalorio, ut predicatur, restituto et habita per eum dicti eius status possessione, et postmodum decedente, sibi in eodem eius statu successit comes Andreas de Ubertis eius filius,

qui Andreas toto eius tempore vite regali corone fidelis dictus est; et duos habuit filios Ioannem scilicet de Ubertis et Antoniam mulierem. Et in ultimis, quibus ipse Andreas decessit, suo cum testamento disposuit, quod si dictum Ioannem absque liberis suo de corpore legitime descendentibus mori contigisset, illi in toto dicto eius statu prelibata Antonia, illa scilicet que Aloysio de Monteaperto connubio iuncta fuit succederet.

Et tandem prenomiatus Ioannes de Ubertis prefati Andree filius possessionem dicti eius status retinens, contra Serenissimos Reges Martinum et Mariam rebellionem patravit, et in ipsa rebellionem vitam finivit; ob quod dictus eius status et feuda Regie Curie iterum aperta fuere et devoluta, et per consequens dicta Anthonia ac omnes eius cognatae et cognati ab ipsorum honorum et feudorum successione exclusi fuere et penitus abhorrentes.

Ecce quod illa concessio de dicto Cundroni feudo per Serenissimum Duceim Ioannem et Regem Ludovicum predictis Universitatibus Placie et Castri Ioannis in prima reconsiliacione et pacis capitulo ac in integrum restitutione dicti Comitum Scalorij de Ubertis facta, nullius fuit et momenti. Quomodo ergo in vim dicti nulli privilegij dicte universitates pro secunda rebellionem comitis Ioannis de Ubertis filii dicti Andree et nepotis prefati Scalorii feudum Cundroni prelibatum sibi incorporarunt, illudque absque titulo possederunt. Quod quidem feudum eximie est importancie et in se de suis pertinentijs feuda infrascripta retinet, scilicet:

feudum la Balata redditus unciarum	07	L
feudum la Balatella redditus	›	L
feudum la Forma redditus	›	L
feudum la Mendula redditus	›	L
feudum Cafechi redditus	›	L
feudum Castani redditus	›	C
feudum lu Conu redditus	›	XXXX
feudum lu Chappazu redditus	›	XXX
feudum lu Spitalocto redditus	›	C
feudum Gructa Cauda redditus	›	CX

(Quod quidem feudum de Gructa Calida dicta Universitas terre Placie pro certo precio, carta graciae reddimendi mediante, quondam Ioanni de Coffitella doctori vendidit, sicuti in quadam investiture nota eidem Ioanni de Coffitella per don Gasparem de Spes, tunc in regno Proregem, XX Ianuarii II. Indictionis 1484 concessa, et in Regie

Cancellarie libro annorum 1483, 1484 in cartis 261 notata continetur).

feudum Risargluni redditus	07	LX
feudum li Runci redditus	,	XXXX

(Que duo feuda monasterium sancti Placiti possidet).

feudum de Gallinica redditus	07	L
feudum de Altimemi redditus	,	LX

(Que duo alia feuda monasterium sancti Andree de Placia possidet).

Que feuda in universo singulis annis reddunt circa uncias mille, ultra illud quod feuda Cundroni et Gacte reddunt, ipsaque feuda in Regie Cancellarie repertorio non reperiuntur, sed per memoriale mihi tradita fuere et sic ad illud quod veritas dictat me refero.

Satis late per me in capitulo precedenti expressum est atque probatum de titulo et possessione dicti feudi Cundroni in favorem Universitatum terrarum Placie et Castri Ioannis, contra quas Vestra C. Maiestas haberet ius pelendi iura investiturarum non captarum ob mortem dominorum regum et successionem successorum, a tempore scilicet mortis domini Regis Ludovici in anno 1343 usque ad annum 1453. Cum dicte universitates habuerint investituras iuribus Curie et alterius ac constitutionibus domini Regis Iacobi et aliorum retroregum semper salvis, nec non dicte universitates minime curaverint investituram dicti feudi habere ob mortem domini Regis Alfonsi et successionem domini Regis Ioannis; item Vestra Catholica Maiestas habet ius petendi titulum illius quondam Scalorij de Ubertis primi possessoris dicti feudi. Qui una cum illis de Palicio fuit maximus rebellis et usurpator rerum demanialium, et in eadem pessima damnatione perijt eorumque bona ad invicem Regie Curie applicata et devoluta fuere, ut videatur si feudum ipsum Cundroni, quod tunc temporis habebat castrum et in illo erat terra murata cum hominibus utriusque sexus habitantibus in ea, fuisset de regio demanio etc. nam per illam constitutionem « *Si dubitatio* » et aliam que incipit « *Ab officiliabus comuni dominio pro nobis faciente* » etc, ut multotiens in alio capibrevio comitatuum et terrarum Regni dixi, dicte universitates que nunc possident edere tenentur, hoc omnino ut intelligatur quomodo feudum ipsum inco-latum amisit et castrum. Quapropter revolutis per me Regie Can-

cellarie codicibus, ut aliquid in favorem Regie Curie Vestre C. Maiestatis inveniretur, actencto quod universitates ipse Placie et Castri Ioannis per tantum temporis intervallum, puta CX annos, et tot regibus succedentibus investituras dicti feudi capere neglexerunt. Inveni pheudum ipsum Cundroni simul cum feudo vocato la Gacta per quondam Ioannem de Ubertis Agrigetinum descendentem ex illo Scalorio de Ubertis comite Asari fuisse possessum, qui in ipsius rebellionis perfidia defunctus est. Qui quidem Ioannes de Ubertis etiam diabolica fraude deceptus contra Dominum Regem Martinum inmaniter se rebellavit, ob quam rebellionem feuda ipsa, ut in verbis textus dicti domini Regis Martini patet, regio demanio iterum aperta fuere et devoluta. Et postmodum ipse Dominus Rex Martinus feuda iamdicta Cundroni et la Gacta quondam Nicholao de Branchifortibus et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus more Francorum, sub debito militari servitio concessit et donavit, ut patet in privilegio dicti domini Regis Martini dato Placie VI Decembris II Indictionis 1393, notato in libro annorum 1393, 1396, 1397 f.º 3; de quo etiam mencionem feci in precedentii capitulo feudi Grassiliati. Et deinde coram dicto domino Rege Martino comparente Aloisio de Monteaperto nomine et pro parte Antonie eius uxoris, sororis dicti Joannis de Ubertis rebellis, exposuit quod dicta duo feuda lu Cundro et la Gacta fuerant quondam Andree de Ubertis et Limburge iugalium, comunium parentum dictorum Antonie et Joannis rebellis. Quodque virtute dispositionis testamentarie prefatorum Andree et Limburge iugalium, qui disposerant quod si dictus Ioannes absque liberis decederet, omnia eius bona ad dictam Antoniam eius sororem pervenirent, et hac de causa ad eandem Antoniam feuda ipsa de iure spectabant et pertinebant. Tandem ad ipsius Anthonie et Aloisi de Monteaperto coniugum supplicationem, dictus dominus Rex Martinus, attencta dicta dispositione paterna et materna etc, eidem Anthonie et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus feuda ipsa lu Cundro et la Gacta confirmavit, acceptavit, ratificavit et de novo concessit, transferens ei omnia iura regia et sui regii fisci et poneus illam in locum suum et ipsius regii fisci in illa parte cum clausula, non obstante concessione facta de dictis feudis prelibato Nicholao de Branchifortibus, et non obstante etiam pragmatica sive constitutione per dictum Dominum Regem Martinum illis diebus factam, per quam declaravit feuda omnia cuiuscumque vassalli sue Maiestatis rebellis ad regium fiscum dumtaxat spectare et pleno iure reddere debere, exclusis omnibus agnatis et cognatis ipsius vassalli rebellis, et non obstante rebellionem dicti Ioannis de Ubertis et aliis qui-

buscumque huiusmodi privilegio contrariis aut quoquo modo contradicentibus, que et quas de sua certa regia scientia et potestatis plenitudine legibus absoluta pro bono pacis et statu reipublice huius regni, et ad tollendum scandala et odia, que inter subditos occasione dictarum donationum oriri possent, revocavit, annullavit et penitus evacuavit, cum clausula etiam, iuribus universitatum terrarum Placie et Castri Joannis, que in dictis feudis haberent Regie Curie et cuiuslibet alterius semper salvis, quemadmodum in quodam alio privilegio dicti quondam Regis Martini dato Cathaniae penultimo Marcij V Indictionis 1397, notato in libro annorum 1393, 1396, 1397 f.º 89, late patet.

Unde tanti temporis distancia et intervallo consideratis ab anno scilicet 1343, quo anno privilegium dicti domini Regis Ludovici fuit concessum, usque ad annum 1453, per quod tempus centum et decem anni connumerantur; mirandum est quare Don Lop Ximen Durrea huius Regnis Prorex de eodem Cundroni feudo dictis universitatibus investituram post tot regum successiones concesserit. Nam post ipsius Domini Regis Ludovici mortem Dominus Rex Federicus, Dominique Reges uterque Martinus, Dominus Rex Ferdinandus et Dominus Rex Alfonsus successerunt, et tamen per totum dictum tempus annorum centum et decem de dicto feudo nullam dicte universitates ceperunt investituram; immo potius de contrario patet per illas duas concessiones per dictum Dominum Regem Martinum de dicto feudo factas, unam videlicet Nicolao de Branchifortibus ob rebellionem dicti Ioannis de Ubertis rebellis descendens a Scalorio de Ubertis comitis Asari, qui in eadem perfida rebellionem decessit, aliam vero Antonie uxori Loysii de Monteaperto sorori dicti quondam Joannis de Ubertis rebellis. Per que quidem privilegia clarissime liquet dictum Ioannem de Ubertis tempore dicti Domini Regis Martini in possessione dicti feudi Cundroni fuisse; quomodo ergo esse potest dictas universitates in captione investiture predictae prefatum don Lop Viceregem eis concessisse tot annis iam decursis, puta centum et decem annis, probasse dictas universitates eas in possessione dicti feudi continuatis temporibus prestitisse ab anno scilicet dato dicti privilegii Domini Regis Ludovici in antea? Si tempore dicti Domini Regis Martini, qui regnavit multo post dictum Dominum Regem Ludovicum et ante dictum dominum Regem Alfonsum; per diuturni temporis discursum fuerunt per dictum Dominum Regem Martinum facte predictae due concessiones dictorum Nicolai de Branchifortibus et Antonie de Monteaperto. Quapropter firmissime teneo prefatam investituram surrepticie et

obrepticie ac non sine fraude in preiudicium tam regii demanii quam partis dicte Antonie de Monteaperto fuisse impetratam et obtentam, que investitura nullo pacto concedi debebat et precipue ad solam ostensionem privilegii dicti Domini Regis Ludovici ita antiqui, nulla precedente nec subsequente alia informacione. Et sic sciat Vestra Catholica Maiestas, quod declarato predicta privilegia dicti Domini Regis Martini veridica esse, que pro verissimis tenenda sunt, cum ea Regia in Cancellaria omnibus sollempnitatibus debitis registrata et annotata esse videantur, facillime Vestra Regia Celsitudo feudum predictum Cundroni ad regium demanium revocare poterit, quoniam dictus Ioannes de Ubertis semel fuit rebellis et eadem in rebellionem obiit, eiusque bona ad invicem ad dictum demanium devoluta fuerunt. Et licet ob ipsius Ioannis de Ubertis nefariam rebellionem feudum antedictum Cundroni Nicolao de Branchifortibus concessum fuerit, tamen pro equivalenti excambio idem Dominus Rex Martinus feudum ipsum regio demanio restituit, privilegium ipsi Nicholao concessum abolendo et annullando. Nec tamen obstat restitucio sive concessio de eodem feudo per dictum Dominum Regem Martinum prenominatè Antonie de Monteaperto sorori dicti Ioannis de Ubertis rebellis facta, sub illo quesito colore quod ad ipsam Antoniam spectabat ex testamentaria dispositione paterna et materna et ut descendentem a prefatis Andrea de Ubertis et Limburga Iugalibus eius parentibus. Nam ob nephandam prodictionem tam prenominati Scallorii de Ubertis, quam deinde prelibati Ioannis de Ubertis, omnes agnati et cognati ex eisdem descendentibus a possessione tam dicti feudi quam aliorum bonorum eorum feudalium, allodialium et burgensaticorum exclusi fuerunt et sunt; et ideo his et alijs rationibus et causis, quas brevitatis causa obmicto, Vestra Catholica Maiestas feudum ipsum Cundroni ad ipsum sacrum regium demanium merito et de iure revocare posset.

Feudum vocatum la Gacta

De feudo vocato la Gacta sito et posito in valle Nothi prope territorium terrae Platiae, de quo non nihil dixi in feudis Grassiliati et Cundroni, hoc in capitulo quid de eo invenerim sufficienter dicam.

Inveni enim quod cum feudum ipsum ob mortem quondam Ro-

gerii de Scandolfo sine filijs decedentis, ob morosam et diutinam absentiam quondam Antonij de Villaraguto ab isto Siciliae regno, qui tunc in remotis Cataloniae regionibus morabatur et ibi cum tota eius familia domicilium fovebat, regnum ipsum Siciliae relinquens, cuius incola esse desierat, Regiae Curiae devolutum esset, Serenissimus Rex Federicus quondam Blasio Gregorio de Taranto Cataniensi suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus sub consueto militari servicio eius cum regio privilegio, (quod) in Regie Cancellarie libro anni 1371 in cartis 110 inveni, concessit. Inveni etiam quomodo isti de Monteaperto possidentes illud successerunt in feudo ipso, videlicet ex successione Antoniae uxoris Aloysij de Monteaperto sororis quondam Ioannis de Ubertis rebellis, sub illo quesito colore quod Antonia ipsa successerit Andree de Ubertis et Limburge iugalibus ex dispositione testamentaria paterna et materna etc. videlicet quod mortuo dicto Ioanne de Ubertis absque liberis feuda et alia eius bona pervenirent ipsi Antoniae ut diffusius in privilegio Domini Regis Martini continetur, de quo fit per me expressa mentio in capitulo superiori feudi Cundroni in cartis 33 et magis late inferius referam. Inde mortuis dictis Anthonia et Aloysio de Monteaperto iugalibus, successit eis in feudo predicto di la Gacta nec non et feudis Sancti Laurentii et Chicalbi et aliis bonis burgensaticis situatis in territorio Agrigenti, tamquam de bonis dicti quondam Ioannis de Ubertis rebellis, Gaspar de Monteaperto eorum filius legitimus et naturalis. Quo mortuo, successit ei in eisdem feudis et bonis Bartolomeus de Monteaperto eiusdem Gasparis filius legitimus et naturalis, qui Bartholomeus habuit a Don Lop Ximen Durrea, tunc Vicerege, investituram ipsorum feudorum di la Gacta, Sancti Laurentij et Chicalbi, iuxta formam dicti privilegij domini Regis Martini, quod est insertum in dicta investitura cum clausula, iuribus Curiae ac constitutionibus domini Regis Iacobi semper salvis, ut patet in dicta investitura notata in libro investiturarum anni 1453 f.º 178.

Postmodum vero ipse Bartholomeus cepit investituram a Domino Vicerege, qui tunc erat, de dictis feudis ob mortem Domini Regis Ioannis, ut patet in libro anni 1478 f.º 560.

Quo quidem Bartolomeo ab hac vita sublato, successit sibi in dictis feudis Gactae, Sancti Lauerentij et Chicalbi ac Raphadali, Petrus de Monteaperto, cui Petro et suis heredibus de suo corpore etc. more Francorum fuit concessa investitura per quondam D. Ioannem de Lanuça tunc in regno Viceregem, die 30 Martij XV Indictionis 1496, notata in libro anni predicti f.º 335.

Et in presentiarum currente anno 1510, feuda ipsa per dictum Petrum de Monteaperto possidentur et reddunt quolibet anno O7. LXXX.

Alligatio feudi la Gacta

Et ad totalem informationem Vestrae Catholicae Maiestatis dico, quod feudum Grassiliati, quod antiquitus sub comitatus titulo erat, ob rebellionem illorum de Passaneto ipsius comitatus nomen amisit. Item et feudum Cundroni cum feudo predicto de la Gaçta simul et coniunctim concessa fuerunt per Dominum Regem Martinum quondam Nicolao de Branchifortibus et suis heredibus de suo corpore legitime descendantibus sub consueto militari servicio, ut superius in capitulis precedentibus uniusque feudi Grassiliati et Cundroni late dixi. Tamen, post concessionem dictorum feudorum per dictum Dominum Regem Martinum factam eidem Nicolao de Branchifortibus, apparet aliud privilegium dicti Domini Regis restitutionis aut novae donationis ipsorum feudorum Cundroni et Gactae, factae quondam Antonie uxori Aloysij de Monteaperto tamquam descendenti a Ioanne de Ubertis et Limburga iugalibus, de quibus prima facie Ioannes de Ubertis eiusdem Antonie frater, qui dictus est rebellis et in eadem damnatione cum bonorum ammissione defunctus.

Feudum vero Cundroni, ut privilegium dicti Domini Regis Martini dictat, nunquam venit in posse dictae Antoniae et Aloysij iugalium, sed, ut in capitulo dicti feudi Cundroni assertum est, in posse universitatis Platiae et Castri Ioannis venit in vim cuiusdam antiqui privilegij Domini Infantis Ioannis, tunc in Regno Vicarii Generalis, et postmodum Domini Regis Ludovici, quibus eorumque Regiae Curiae feuda ipsa Cundroni et di la Gacta ob rebellionem primi Sca-
lorij de Ubertis Comitis Asari tunc possessoris aperta fuerant. Que quidem concessio ipsorum Dominorum Infantis Ioannis et Regis Ludovici acta extitit per diuturnum tempus ante concessionem per dictum Dominum Regem Martinum factam et successivis temporibus dictum feudum Cundroni eisdem universitatibus confirmatum fuit, pro ut de presenti universitates ipse illud tenent et possident, ut patet in capitulo.

Sed quid dicam quod feudum di la Gacta in presentiarum penes istos de Monteaperto invenitur, qui successerunt virtute dicti privilegij Domini Regis Martini concessionis utriusque feudi in personam dicte quondam Antonie et Aloysij iugalium ex successione paterna et materna ac descendencia ab illo Andrea de Ubertis et Lim-

burga iugalibus, qui jam descendebant de primo Scalorio de Uber-
tis rebelli; cum sit quod privilegium predictum dicti Domini Regis
Martini de feudo Cundroni concessionis utriusque feudi (habuit ef-
fectum) in dictas universitates et feudum (di la Gacta) de quo agitur,
in posse dicte Anthonie (et dictorum) de Monteaperto eius descen-
dentium (pervenit) in derogationem dictorum privilegiorum (ex
quo) (1) aliqua dictarum partium ius possidendi utrumque feudum
habere deberet? Propter quod non parum confundor, immo maxime
miror considerare me non posse quibus rationibus et causis con-
tra privilegium dicti Domini Regis Martini dicta duo feuda Cun-
droni et Gacte, coniunctim concessa, separata esse videantur dictum-
que privilegium Domini Regis Martini effectum habuisse in dicto
feudo di la Gacta tantum eidem Anthonie concesso, privilegiaque
antiqua dictorum dominorum Infantis Ioannis et Regis Ludovici ef-
fectum habuisse in dicto feudi Cundroni tantum eisdem universi-
tatis concessa, quod videtur duo contraria in uno et eodem subiecto
esse, que nullatenus simul stare possunt, nam dicta duo feuda in
posse unius ex dictis partibus venire et non separata stare debeant.
Quapropter hoc non sine collusionem, dolo et fraude factum esse reor
in non modicum damnum, preiudicium et interesse Regie Curie Ve-
strae Catholicae Maiestatis rationibus et causis predictis et alijs per me
in allegatione capituli feudi predicti Cundroni expressatis; in qua con-
tinetur quod cum universitates predictae Placie et Castri Ioannis per
centum et decem annos steterint in non capiendo confirmationem et
investituram dicti feudi Cundroni, et exinde tempore dicti Domini
Regis Martini alia apparere privilegia concessionis dictorum duorum
feudorum in personam primo dicti Nicholai de Branchifortibus et se-
cundario in personam dicte Anthonie, ita et taliter quod successo-
res ipsius Anthonie in possessione dicti feudi di la Gacta esse in-
veniantur; mirandum est quomodo dicte universitates continuatam pos-
sessionem dicti feudi Cundroni demonstraverint, per quam ita de fa-
cili eis dicta investitura concessa sit, cum de toto opposito constet,
nam tempore dicti Domini Regis Martini prefatus Ioannes de Uber-
tis rebellis ipsorum feudorum possessor fuit et ob illius rebellionem
feuda ipsa Regie Curie devoluta fuere. Quo casu manifeste apparet
investituram per dictum Don Lop eisdem universitatibus concessam
subrepticie et obrepticie fuisse impetratam, quibus rationibus impos-
sibile quodammodo videtur universitates ipsas continuatam posses-

(1) Ho posto tra parentesi le parole scomparse per vetustà del ms.
autentico e supplite dalla copia conservata nella Biblioteca Nazionale.

sionem probasse, actento quod per possessionem istorum de Monteaperto tamquam ius et causam habentium a dicta Antonia, virtute privilegii dicti Domini Regis Martini, quod distincte privilegijs dictorum Dominorum Infantis Ioannis et Regis Ludovici derogari videtur, totum demonstratur contrarium et oppositum et sic hec duo feuda Cundroni et Gacte bis Regie Curie devoluta et aperta dignoscuntur. Prima fronte, ob rebellionem dicti condam Scalorij primi possessoris rebellis et in eadem rebellionis damnatione defuncti, ut alias dixi, et nulla apparuit nec apparet remissio, et in integrum restitucio illi nec suis facta, quo casu omnes agnati et cognati eius inhabiles sunt et incapaces circa recuperationem bonorum ipsius rebellis ammissorum; et secundo, ob rebellionem dicti Ioannis de Ubertis etiam rebellis et in eadem rebellionis perfidia defuncti. Quomodo ergo dicta Antonia se ex successione paterna et materna dictorum Andree et Limburge iugalium in dictis feudis successisse asseruit, nullam de proxima rebellionem dicti quondam Scalorij de Ubertis mentionem faciendo, per quam iam penitus dicta feuda ammissa fuere, quorum unum, puta, Cundroni feudum per dictas universitates possidetur ob concessionem, ut prefertur, dicti Domini Regis Martini, aliud vero per dictos de Monteaperto, videlicet Gacte feudum, quare certo tenendum est quod si successio ipsa vera fuisset et iusta, utrumque feudum isti de Monteaperto et non dicte universitates possiderent. Unde quicquid sit de maxima collusionem, fraude et obreptionem, tam per dictas universitates, quam per dictam Anthoniam de Monteaperto facta, manifeste liquet. Quapropter hijs causis et rationibus, ac alijs consideratis Vestra Catholica Maiestas utrumque feudum tam Cundroni, quam di la Gacta, suo regio demanio de iure revocare posset.

Nec obstat dictum Regem Martinum, suo in privilegio dicte Anthonie sorori prelibati Ioannis de Ubertis rebellis et Loysio de Monteaperto iugalibus pretactis concesso, dispensasse pragmatice contra rebelles per eum celebrate, scilicet, quod omnes agnati et cognati cuiusvis rebellis a feudorum successione excludantur. Nam post celebratam pragmaticam antedictam fuit per eundem Regem Martinum eiusque sacrum Senatum, servatis servandis, lata et promulgata definitiva sententia, que est huiusmodi, scilicet: Et quia inter alia dubia in dicta causa facta fuit dubitatum an agnati et aliqui consanguinei alicuius vassalli nostri rei criminis lese Maiestatis admitti debeant ad successionem honorum feudalium dicti vassalli proditoris, ne super ipso dubio alia in futurum dubitatio oriatur, ad eternam rei memoriam, cum plena et sollempni deliberatione dictorum no-

strorum assessorum et omnium singulorum iudicum predictorum, tenore presentium declaramus: omnes agnatos et cognatos utriusque sexus exclusos fore et excludimus ab omni successione quorumcumque rebellium et proditorum Regie Maiestatis presentium et futurorum, sive fuerit feudum antiquum avitum, aut novum, aut alterius cuiuscumque conditionis seu nature; et quod in notoriis rebellibus facti permanentis sententia non sit necessaria, immo, ipso facto, et sine aliqua sententia, bona eius possint occupari et ad manus nostras reduci et per nos concedi, et tamquam de rebus nostris et fisci nostri disponi et ordinari, cum etiam sic hactenus fuerit assuetum fieri in toto dicto Regno Sicilie, quam declaramus pro lege et eam mandamus in toto dicto regno inviolabiliter observari. Et sic, quia de ipsa regia sententia in dicto privilegio prefatis Loysio de Monteaperto et Antonie iugalibus concessa ut supra, nulla extitit facta mentio; ac per ea, que per me superius exposita sunt, nec non ob rigorem et efficaciam dicte sententie firmissime teneo, dictam Antoniam de Monteaperto eiusque successores, ut sororem et agnatos sive cognatos prelibati Scalorij, et Ioannis de Ubertis rebellium, a dictorum feudorum successione excludendos esse feudaque ipsa regio Demanio restitui et applicari debere.

Feudum et castrum Cassari et feudum Didini

De feudo et castro Cassari necnon de feudo Didini, sitis et positus in valle Nothi quicquid inveni in partis possidentis favorem explicabo. Et primo, Vestra Catholica Maiestas intelligat quod, ut percipere potuit, feuda ipsa per condam Petrum de Cassaro militem possidebantur, quomodo tamen dicta feuda in eius posse pervenerint nullus apparet titulus; tandem prefato Petro de Cassaro ab intestato vita functo, successit ei in dictis castro et feudis, necnon in alijs bonis mobilibus et stabilibus eiusdem Petri, Anselmus de Spatafora Mesanensis tanquam legitimus successor ac proximior in gradu dicto quondam Petro de Cassaro, vigore cuiusdam sententie per Magnam Regiam Curiam late, XIII Novembris VI Indictionis 1397. Que quidem sententia huiusmodi est seriei, scilicet: XIII Novembris VI Indictionis anno Dominice Incarnationis 1397. Providenda est questio

petitionis declarationis cognationis, propinquitatis seu consanguinitatis Anselmi Spatafora quondam domino Petro de Cassaro militi, nec non facultatis, facultatis seu possibilitatis habendi hereditatem iacentem dicti quondam domini Petri ab intestato defuncti; necnon petitionis immissionis in possessionem et assignationem castri seu fortilicii vocati lu Cassaro, siti et positi in valle Nothi cum feudis, molendinis et aliis iuribus et pertinencijs, et cuiusdam alterius feudi vocati lu Didinu cum omnibus iuribus et pertinencijs ad dicta feuda spectantibus, et immissionis in possessionem omnium bonorum mobilium et stabilium detentorum et possessorum per dictum quondam Petrum de Cassaro, tempore vite ipsius et usque ad tempus, et tempore obitus sui, que vertitur inter dictum Anselmum Spatafora actorem, et Matheum Nigrinum servientem Magne Regie Curie curatorem, datum hereditati iacenti dicti quondam Domini Petri, ut constitit, auditis nec minus oppositionibus factis presenti liti per notarium Federicum Cumata procuratorem fisci. Provisum est, quod declaretur dictum Anselmum actorem fore et esse proximiorum in iure cognationis seu propinquitatis dicto quondam Domino Petro de Cassaro militi, ac etiam fore et esse habilem ad adendam hereditatem dicti quondam Domini Petri ab intestato defuncti; necnon eundem Anselmum poni debere in corporalem possessionem fortilicij Cassari cum feudis, molendinis et iuribus aliis, et pertinencijs suis, ac etiam in possessionem feudi Didini et aliorum honorum mobilium et stabilium ubicumque melius apparentium possessorum per dictum quondam dominum Petrum tempore vite sue, et usque ad tempus et tempore obitus sui, oppositionibus factis per procuratorem fisci non obstantibus. Qui quidem Anselmus feuda ipsa cum castro tenuit et possedit, ipsoque Anselmo de Spatafora ab hac luce substracto, ei in bonis dicti Anselmi successit quondam Regalis eius filia legitima et naturalis ac uxor quondam Pauli de Maleti Messanensis, que tandem pro se et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus a Domino Rege Alfonso privilegium et investituram cum inserto tenore dicte sententiae de dicto feudo cum fortilitio Cassari obtinuit. In quo quidem privilegio et regia investitura non nominatur dictum feudum Didini nisi tantum feudum cum fortilitio Cassari, ut preferitur, sub debito et consueto militari servicio more Francorum et cum clausula, reservatis constitutionibus Domini Regis Iacobi et aliorum retro Regum super demanialibus editis, quemadmodum in ipso privilegio, dato Panormi 20 Februarii XIV Indictionis 1420, clare patet.

Decedenteque dicta Regali, successit sibi in dicto feudo cum Ca-

stro quondam Spata de Spatafora vel de Muleti eiusdem Regalis filius legitimus et naturalis, in qua investitura nulla fit mentio de feudo Didini, nisi de dicto feudo cum fortilitio Cassari.

Ipsaque Spata de Spatafora migrante, successit ei Nicolaus de Spatafora et de Muleti ipsius Spate filius legitimus et naturalis, qui obtinuit a quondam don Lop Ximen Durrea, tunc in Regno Vice-rege, de huiusmodi successione investituram pro se suisque heredibus de suo corpore legitime descendentibus, iuribus Curie et constitutionibus Domini Regis Iacobi semper salvis. Verum quod in ipsa investitura non nominantur nec expressantur nomina dictorum feudorum Cassari et Didini, nisi tantum hec verba, videlicet: dictus Nicolaus tanquam eius filius legitimus et naturalis dicto eius patri in dictis castro et feudis successerit et succedere voluerit et vult etc. ut patet in ipsa Viceregia investitura, data Panormi X Augusti prime Indictionis 1453, notata in libro Investiturarum dicti anni 1453 in cartis 704.

Quo quidem Nicolao de Spatafora alias de Muleti vitam cum morte commutante, successit illi in prefatis castro et feudo Cassari Ioannes Mattheus de Muleti alias Spatafora tunc minor, qui de feudo et castro Cassari antedictis investituram a tunc huius Régni Presidente pro se suisque heredibus de suo corpore legitime descendentibus sub consueto militari servicio, et quoad vivat more Francorum, assecutus est, ut patet in ipsa investitura data Panormi ultimo Aprilis XII Indictionis 1479, notata in libro anni 1478 f.º 501, in qua investitura nulla de feudo predicto Didini fit mentio.

Prefatoque Ioanne Matteo de Muleti alias Spatafora sine liberis vita casso, successit ei in sepe dictis castro et feudo Cassari domina Margarita de Muleti alias Spatafora filia prenominati quondam Nicolai de Muleti alias Spatafora et soror prefati Ioannis Matthei de Muleti alias Spatafora in capillo existens, que de eisdem castro et feudo Cassari tantum pro se et suis heredibus in perpetuum, iuxta formam privilegiorum suorum, investituram a quondam don Ferdinando de Acuña tunc in Regno Vicerege obtinuit, ut patet in ipsa investitura data Panormi 8 Octobris 9 Indictionis 1490, notata in libro dicti anni 1490 in cartis 104.

Deinde vero prefata Margarita nupsit Petro de Siracusis et in anno 1492 obtinuit a quondam don Ferdinando de Acuña, tunc in Regno Prorege, de dicto feudo et castro Cassari debitam investituram notatam in libro anni 1491, f.º 374.

In presentiarum vero currente anno 1510, dictum feudum cum castro Cassari per dictum Petrum de Siraculis tanquam maritum et

legitimum administratorem predicte Margarite eius uxoris possideatur, dictumque feudum anno quolibet reddit 07. 100

Exinde vero dictus Petrus de Siraculis mortuus extitit et dicta eius uxor remansit in viduitate et sic ipsa Margarita, ob mortem domini Regis Ferdinandi, de dicto feudo Cassari a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die 21 Ianuarij V Indictionis, notata in libro anni 1516 f.º 450 et eius procurator iuravit reddere tantundem.

Didini Feudum

Feudi vero Didini Regia in Cancellaria nulla alia scriptura reperitur nisi prenotate usque ad annum 1453. A quo tempore usque ad hodiernum annum 1513, de feudo ipso Didini nulla invenitur investitura, quod forte evenit quia feudum predictum in territorio Siracusano, quod est regionalis Camere, consitum est; in cuius regionali archivio ipsius feudi acta et scripture forte reperientur.

Verum quia tempore quo Serenissima quondam Regina Elisabeth, Vestri Regij Culminis prima Consors, nature satisfecit, ob illius obitum Cammera ipsa regio Demanio devoluta fuerat. Catherinella de Speciali, ad quam tanquam filiam quondam Nicholai de Speciali dicti Didini feudi medietatem pro indiviso ob mortem Blancucie eius sororis pervenerat, de ipsa feudi medietate a condani Joanne de Lanuça tunc Regni Prorege, ob ipsius Blancucie obitum, XIIº Decembris VIII Indicionis 1505 investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 280 notatam obtinuit.

Et in presentiarum anno 1513 decurrente, ipsum Didini feudum per prefatam Catherinellam possidetur, quod anno quolibet reddit 07

De reliqua autem feudi ipsius medietate exinde, ipsa in Cancellaria non reperitur investitura aliqua sive privilegium, aliave scriptura; nulla dari potest ratio in cuius posse existat. Et ideo possessor inquiri deberet, ut rationem daret quo iure ad illum pervenerit pro Curie cautela.

Adversus ea, que de feudo et castro Cassari cum feudo Didini superius enarrata sunt, hec dicenda esse decrevi. Dico enim prima facie, titulum quondam Petri de Cassaro, cui Anselmus de Spatafora

ut predicatur successit, habendum esse possidentemque ad illum edendum cogendum fore, ut ipsorum feudorum et castri concessionis forma dignoscatur. Et deinde processum, super quo preinserta sententia in favorem prefati Anselmi lata fuit, esse videndum esse, qui Anselmus prefato quondam Petro de Cassaro in anno 1397 VI^o Inditionis successit; et hoc ut iura per procuratorem regij fisci super dictis feudis adversus antedictum Anselmum tunc temporis pretensa, discutiri possint. Qui quidem processus, si in Magne Regie Curie Archivio inveniri posset, plenior de iure suo informationem Vestrae Catholicae Maiestatis haberet.

Preterea advertendum est, quod in ipsa preinserta sententia utrumque feudum, Cassari scilicet et Didini, tamquam de bonis dicti quondam Petri de Cassaro exprimitur; et tamen in privilegio per Dominum Regem Alfonsum quondam Regali dicti Anselmi filie, et Pauli de Muleti uxori, ut prefertur, concesso, de feudo cum fortitio Cassari tantummodo fit mentio, ut ex ipsius privilegii serie percipi potest. Similiter autem considerandum est, quod in alijs dicti feudi Cassari investituris successive concessis, dictum Didini feudum in aliquo non nominatur, nisi tantum feudum cum fortitio Cassari, et licet omnes Regie Cancellarie codices revoluerim, nullus tamen alius titulus inventus est, minusque quomodo a dicto Cassaro feudo segregatum fuerit nec qualiter non sit successorum dicti quondam Petri de Cassaro invenitur; verumtamen hoc tantum apparet, quod ipsius Didini feudi medietas in presentiarum currente anno 1510 (1) penes Catherinellam quondam Nicholai de Speciali filiam invenitur. In qua feudi predicti medietate, ob mortem dicti quondam eius patris, successisse videtur, prout in investitura, quam de ipsius feudi medietate a quondam Don Joanne de Lanuça, tunc in Regno Preside, XII^o Decembris VIII^o Indicionis 1505 obtinuit, clarissime liquet; que quidem investitura est notata in libro dicti anni 1505, f.º 280; et quia nil aliud preterquam quod superius declaratum est invenitur, nullam propterea rationem dare possum. Cogantur iccirco possessores ipsorum feudorum ad edendum omnes titulos et processum predictum, ut plenam de omnibus notitiam Vestra Catholica Maiestas habere valeat.

(1) Notisi che non corrisponde questa data con quella indicata sopra a pag. 67.

De feudo et Castro Bilichi

Feudum cum castro Bilichi in Castroioannis valle, secus utriusque Petralie territoria, situm et positum, prout per infra notanda percipere potui, de pertinencijs et membris Girachij comitatus et illius iurisdictione antiquitus extitit. Qui comitatus per condam Franciscum de Vigintimilio seniore ipsius Girachij comitatus et maioris Iscle comitem priscis temporibus possidebatur. Sed quemadmodum in dicti Girachij comitatus capitulo, qui comitatus in presentiarum marchionatus intitulatur, per me diffusius exaratum est, requisitis revisisque per me omnibus Regie Cancellarie codicibus et registris, nullum concessionis dicti Girachij comitatus in ipsius Comitatus Francisci senioris personam suorumque antecessorum privilegium invenire potui. Et propterea Vestram Catholicam Maiestatem informare non valeo, qualiter dictus Comitatus illiusque terre a sacro regio Demanio segregate fuerint, nec etiam si comitatus ipse antiquum feudum extiterit, dixi tamen ipsius Comitatus possessorem ad edendum titulum dicti condam Francisci senioris cogendum fore, allegatis per me in dicto capitulo claris et efficacibus iuribus, qualiter Vestra Catholica Maiestas tanquam commune dominium habens a suis baronibus et feudatarijs, verum et legitimum titulum petere debet.

Quod etiam de hoc feudo et Castro Bilichij enarro, nam dictis Regie Cancellarie per me perquisitis registris, nullum privilegium, nullamque de eis concessionem dicti Girachij comitatus olim possessoribus factam inveni. Et licet successive in quodam vendicionis dicti feudi Bilichij contractu per condam Petrum de Cardona Gulsani comitem facte condam Cristophoro de Benedictis expressa mentio fiat, quod dictum Bilichij feudum erat de dicti Gulsani comitatus membris et pertinencijs; tamen, in rei veritate, illud antiquitus per dictum condam comitem Franciscum de Vigintimilio seniore possessum fuisse reperitur, et postmodum per Emanuelem de Vigintimilio eius filium. Qui Comes Emanuel possidens dictum Comitatum Girachij, tanquam filius et heres dicti condam Francisci senioris eius patris, innumerabilibus actentis servicijs ipsi comiti Emanueli per Franciscum de Vigintimilio iuniorem Gulsani comitem eius fratrem

et filium prenominati Comitis Francisci senioris prestitis, donationem eidem Francisco iuniori eius fratri et suis heredibus in perpetuum de terris utriusque Petralie et dicti feudi et castri Bilichij irrevocabilem fecit inter vivos, easdem terras utriusque Petralie et Bilichij feudum a dicto comitatu Girachij cum expresso assensu condam Francisci de Vigintimilio ipsius Emanuelis filij et predicti Comitis Francisci iunioris nepotis segregando. Que quidem segregatio et donatio per dictos Dominos Reges Ludovicum et Federicum fratres confirmata et validata extitit; quemadmodum predicta et alia in illorum amplis privilegiis datis Cathanie XX^o Iunij VII^o Inditionis 1354 notatis in libro annorum 1360, 1366 f.º 398 latius explicantur. In quibus quidem privilegiis de legitimo titulo, qualiter dictus Girachij comitatus et utriusque Petralie terre ac Bilichij feudum in istorum de Vigintimilio posse iuridice pervenerint nulla fit mentio.

Verum enim est quod, prout alias in alio terrarum habitatarum Capibrevio in capitulo comitatus Golisani dixi, comitatus ipse Golisani etiam per eundem comitem Franciscum de Vigintimilio seniore Girachij comitem et Ysle maioris antiquitus possidebatur. Qui comes Franciscus senior ille fuit, qui Golisani terras tunc temporis membra Comitatus Girachij a predicto Girachij comitatu segregavit, comitatumque Golisani predictum prenominato Francisco de Vigintimilio iuniori eius filio dedit et concessit; tamen quia titulus primi Francisci de Vigintimilio senioris non apparet, nullam dare possum rationem, si ipse comes Franciscus senior fuit dicti Girachij comitatus primus acquisitor; et si poterat in Regie Curie preiudicium predictam segregationem et donationem iuridice facere. Tandem nullum privilegium vel titulum inveni, quo appareret qualiter dictus Golisani comitatus in posse dicti comitis Francisci senioris pervenerit, ob quod super ipsius tituli petitione similes allegationes feci. Noviter autem in mei posse quatuor antiqui registri Dominorum Regum Ludovici, Federici et Martini pervenerunt, qui a Regie Cancellarie archivio, quo utor, olim per quendam officialem iam mortuum, cui Deus parcat, usurpati fuerant; et ut Altissimo placuit nuper mihi restituti fuere. De quibus cum repertorium fecerim, in uno eorum quoddam privilegium Domini Regis Ludovici inveni, per Dominum Regem Federicum eius fratrem confirmatum ad instantiam comitis Francisci de Vigintimilio iunioris antedicti, filii dicti condam comitis Francisci senioris, et dicti Comitis Emanuelis fratris emanatum; in quo fit mentio, quo pacto Golisani terra et Caronie foresta ac Gracteri terra, de Domini Regis Petri secundi permissu et licentia, per eundem comitem Franciscum seniore a pre-

nominato Girachij comitatu segregate fuere et in unum corpus reducte, et sub comitatus vocabulo nuncupate. Ultra quam licentiam per eundem Dominum Regem Petrum secundum de ipsa segregatione et donatione terrarum Golisani etc. concessam, ipse Dominus Rex Petrus secundus prefato comiti Francisco seniori forestam Caronie predictam concessit, cum clausula, scilicet, forestam ipsius terre Caronie non obstante quod ad dignitatem regiam pertineret, de eius certa scientia eidem comiti Francisco seniori patri dicti exponentis ac suis heredibus et successoribus in perpetuum contulit graciose etc, per que verba luce clarius apparet forestam ipsam de sacro regio Demanio fuisse.

Dictus vero Golisani comitatus, ut predicatur, per dictum comitem Franciscum seniore prefato Francisco iuniori eius filio concessus extitit et donatus, quam donationem etiam idem Dominus Rex Petrus Secundus confirmavit et acceptavit.

Sed quoniam per emulationem ipsis comiti Francisco seniori, comiti Francisco iuniori et comiti Emanueli, patri et filiis ex proditionis materia criminis lese maiestatis nota et infamia, per nonnullos eorum emulos nequiter imposita fuit, illis imponendo quod a regia fidelitate Dominorum Regum Ludovici et Federici devianti regnum hoc alieno submictere imperio conabantur, in terras et castra eorum exteros equites et pedites alterius domini introducere cupientes eos diutius hinc inde vagari oportuit; ob quod de eisdem terris per Dominos Reges Ludovicum et Federicum ac Reginam Constantiam aliquibus personis et precipue de prole regia concessio facta extitit. Tandem exinde veritate contrarium demonstrante, prefati Domini Reges Ludovicus et Federicus eidem Comiti Francisco iuniori et suis heredibus in perpetuum dictum Golisani comitatum, forestam Caronie et Gracteri terram restituerunt, sive de novo concessere; declarantes tam dictum comitem Franciscum seniore, qui tunc iam mortuus erat, quam dictum comitem Franciscum iuniorem eius filium fideles ac fidelissimos vassallos semper fuisse, nequiterque et perperam dictam proditionis notam per eorum emulatores illis impositam extitisse, prout hec et alia quamplurima in quodam privilegio dictorum Regum Ludovici et Federici, dato Cathanie XX^o Iunij VII^o Inditionis 1354, notato in quodam ex dictis usurpatis libris annorum 1360, 1366 f.^o 395 late patent. Nihilominus in dicto restitutionis privilegio nulla de iusto et legitimo titulo primeve concessionis fit mentio, scilicet, si tam comitatus Gerachij, quam Golisani cum feudo Bilichij erant ex antiquo feuda, et per retroprincipes prefato comiti Francisco seniori vel suis predecessoribus iuridice concessa, adeo quod ut alias dixi, oportet omnino primo edi

titulum et nihilominus in dicto privilegio non nominatur in aliquo predictum Bilichii feudum.

Ecce quod de Golisani comitatu hoc tantum apparet privilegium pro titulo et possessione illius Comitis Francisci de Vigintimilio iunioris, de quo in alio Capibrevio in capitulo dicti comitatus causa rapine dictorum registorum nullam facere potui mentionem: tamen nullo pacto prima concessio apparet, et sic de Girachij marchionatu et Golisani comitatu cum dicti Bilichij feudo verus titulus non invenitur. Aliud vero privilegium Domini Regis Fiderici notatum in dicto libro annorum 1360, 1366, f.º 352 apparet, in quo fit mentio dictum Franciscum de Vigintimilij de dicto feudo Bilichij donationem irrevocabiliter fecisse Guidoni de Vigintimiliis eius fratri et suis heredibus in perpetuum, quam donationem dictus Dominus Rex eidem Guidoni confirmavit sub servicio unius equi armati per eum et eius heredes prestando. Et nihilominus, ut inferius patebit, dictum feudum Bilichij venit exinde in posse Anthonij de Vigintimilio, filii dicti comitis Francisci donatoris, et ideo patet, quod dicta donatio non habuit effectum: nihilominus pro Curie cautela videatur veritas. Quapropter Vestre Catholice Maiestati rationem dare non possum quomodo ad illos de Vigintimilio pervenerint, quod etiam de Bilichij feudo dico, quod possidens ad dandum et edendum dictum titulum cogatur, prout de dictis marchionatu et comitatu titulus ipse petitur.

Preterea in anno 1392 quoddam aliud privilegium Dominorum Regum Martini et Mariae invenitur, qui domini Reges Anthonio de Vigintimilio, filio Comitis Francisci de Vigintimilio iunioris et suis heredibus in perpetuum omnia illa iura concesserunt, que Andreas de Lumbardo seu quicumque alii tunc rebelles de Panhormo in dicta terra et castro Golisani aut aliis terris et locis, que per dictum comitem Antonium possidebantur, habebant et habere poterant; cum clausula, scilicet, itaque ius acquisitum Curie Regie in predictis propter prodictionem et rebellionem predictorum plene transeat et sit acquisitum eidem comiti suisque successoribus perpetuo et infinite etc; ut diffusius in dicto privilegio dictorum Dominorum Regum Martini et Marie, dato in obsidione apud Panhormum, XX Aprilis 1392, notato in libro annorum 1348 et 1392, f.º 36 continetur. Et nihilominus in dicto privilegio non nominatur in aliquo dictum Bilichij feudum, tamen miror quomodo exinde dicta Golisani terra in posse dicti Andree Lumbardo et aliorum rebellium de Panhormo pervenerit, postquam semel apparet constatque ipsam per illos de Vigintimilio fuisse possessam, verum contingere potuisset quod ob rebellionem ab ipsis de Vigintimilio forte factam terra ipsa Regie Curie devoluta fuisset

et per eosdem Dominos Reges Martinum et Mariam iura ipsis regibus spectantia super dicta terra prefato comiti Antonio de Vigintimilio et suis heredibus fuisse retrocessa, sed quia de hoc nulla fit in dicto privilegio mentio aliam rationem dare minus possum.

In anno vero 1398, prefatus comes Anthonius de Vigintimilio contra Dominum Regem Martinum rebellionem exercuit, pro qua rebellionem comitatus Golisani antedictus Curie Regie apertus et devolutus fuit. In cuius comitatus possessione dicta Regia Curia persistente, fuit per eundem Dominum Regem Martinum Don Iaymo de Prades, Raymundo de Bages et Loysio de Rayadellis commissarius per hec verba descriptum, videlicet: Itaque ad humilem supplicationem quorundam nostrorum baronum fidelium, asserentium Anthonium de Vigintimilio olim comitem Golisani, quem tedet, ut asseritur, a semitis nostre naturalis fidei deviasse, velle cum proceribus et sequacibus suis ianuam clementie nostre humiliter propulsare et ad cultum fidei nostre redire, vobis, de quorum fide Celsitudo Nostra plene confidit, commictimus per presentes, quod vos tres omnes vel duo ex vobis, in absentia alterius tertii, auctoritate nostra regia nobis presentibus impartita, hinc ad finem mensis Maij proxime sequentis huius presentis anni VI^o inditionis libere possitis et valeatis pro parte nostra regia dictum Anthonium de Vigintimilio, olim Comitem Golisani, fratres, consanguineos, proceres, sequaces et coadherentes sibi in sinu nostre gratie et in numero nostrorum fidelium suscipere et perpetuo agregare, eisdem remittere et dimictere omnia crimina lese maiestatis, dolos, culpas, offensas, revolutiones et prodictiones per ipsos et quemlibet eorum contra Maiestates Nostras et statum pacificum dicti regni nostri quoquomodo commissas, dolose, scienter vel ignoranter, motu eorum proprio vel alieno, relaxando eis et cuilibet eorum omnem penam civilem et criminalem, quam in personis et hominis eorum, procul pulsus criminibus predictis, merentur et quod etiam possitis eosdem et quemlibet eorum restituere et reintegrare ad pristinum esse et ad bonam famam et ad omnia officia, dignitates, honores, comitatus, baronias, omnia feudalialia et burgensatica ac sese moventia et credita eorum et cuiuslibet ipsorum necnon et valeatis annullare omnes et singulas donaciones, concessionones, provisiones et promissiones, per nos forsitan factas de bonis eorum predictis ac confirmare eisdem omnia privilegia, donationes et gratias eis et predecessoribus eorum concessas per nos et gloriosos dominos principes, predecessores nostros memorie recolende, sub illis pactis, conditionibus, clausulis et conventionibus, quibus discrecioni vestre videbitur melius expedire. Nos autem etc. ut in predicto mandato notato in libro anni 1396 f.^o 98, late patet.

Ex post autem aliud privilegium apparet eiusdem domini Regis Martini, datum in terra Randacij XIII Augusti VI. Indionis 1398 de remissione et gratia per eundem Regem prefato Anthonio de Vigintimilio indulta cum restitutione Comitatus Golisani, cum feudo Calchusi terre Gracteri cum eius castro, castri cum terra Caronie, casalis et feudi Danichi, castri Rocelle et baronie utriusque Petralie ac feudi castri Bilichij nec non feudi li Muxini cum illorum iuribus etc. ut in dicto privilegio remissionis antedictæ, notato in libro anni 1397 VI Indictionis f.º 174. late continetur.

Exinde vero dictus comes Anthonius de Vigintimilio de Golisani comitatu antedicto cum terra Gracteri, Roccella, baronia utriusque Petralie et feudo cum castro Bilichij primo donationem propter nuptias Francisco de Vigintimilio eius filio fecit. Qui comes Franciscus matrimonium cum Isabella de Prades contraxit, deinde ipsa Ysabella vita functa, ob ipsius matrimonij dissolutionem prefatus comes Antonius de Vigintimilio predictam donacionem revocavit ipsumque comitatum cum terris et feudis antedictis Henrico de Vigintimilio, alio eius filio ex se et comitissa Albira genito, donavit et concessit tunc eodem Henrico in infantia constituto, cum hoc tamen quod teneretur comes Henricus ipse donatarius Constantiam ipsius comitis Anthonij filiam et dicti comitis Henrici sororem alicui honorifice matrimonio copulare, cum promissione unciarum mille et quingentarum, ut in ipsius donationis contractu predictum Dominum Regem Martinum prefato comiti Henrico et suis heredibus et successoribus in perpetuum confirmato diffusius exprimitur, ut patet in dicto confirmationis privilegio, notato in libro anni 1407 prime Indictionis f.º 169, et prout de predictis diffusius in alio Capibrevio per me annotatum est. Decedente postmodum dicto comite Anthonio de Vigintimilio donatore et prefato Henrico eius filio donatario, ut ex relatione percepti, absque prole, in dicto Comitatu, terris et feudis successit prenominata Constantia, eiusdem Comitis Henrici soror, in quo statu, ut asseritur, dictus Franciscus de Vigintimilio ex prefato Comite Antonio et illius prima uxore procreatus succedere debebat. Que Constantia Gilberto Centelles conjugio iuncta est, ex quibus Gilberto et Constantia nonnulli filij nati sunt. Quorum primogenito nomen Anthonius (*sic*) de Vigintimilio alias de Centelles impositum est. Qui Anthonius de Vigintimilio alias Centelles exinde Cutroni marchionatum in partibus Calabriae constitutum obtinuit. Vivente tamen dicto Comite Giliberto Centelles, ipsius Anthonij de Vigintimilio et Centelles patre, Anthonius ipse serenissimo domino Rege Alfonso rebellis extitit, ob quam rebellionem Comitatus et terre ac feuda antedicta Curie Regie aperta et devoluta fuere, et ob dictam devolucionem

et aperturam dictus Golisani comitatus cum feudo et Castro Bilichij ac alijs feudis et terris antedictis per eundem Dominum Regem Alfonso concessus et donatus perpetuo extitit in feudum cum iurisdictione civili et criminali, mero ac misto imperio condam Don Petro de Cardona ipsius Domini Regis affini, et suis heredibus et successoribus de suo corpore legitime descendentibus tam natis, quam nascituris. ut in privilegio domini Regis Alfonsi, dato die primo Decembris VIII Indicionis 1444, in quoddam alio confirmationis dicti Comitatus privilegio inserto, de quo viceregia emanavit exequutoria; late videri potest, notata in libro anni 1446, X Indicionis, f.º 461. Preterea prefatus Don Petrus de Cardona deinde aliud privilegium confirmationis dicti comitatus et terrarum predictarum a dicto Domino Rege Alfonso consequutus est, cum ampliacione pro se suisque heredibus utriusque sexus natis et nascituris, legitimis et illegitimis a quibusvis personis tam illi propinquis, quam extraneis et quibus voluerit in forma amplissima, ut in privilegio dato in civitate Tibuli X Ianuarii X Indicionis 1447, clarissime liquet.

Quo quidem Don Petro de Cardona prefatum comitatum Golisani cum feudo Bilichij et alijs terris et feudis dicti comitatus tenente et possidente, feudum Bilichij antedictum per ipsum don Petrum comitem Cristoforo de Benedictis legum doctori et suis heredibus et successoribus in perpetuum venditum fuit de regia licentia, sub militari servicio; de quo feudo cum castro Bilichij idem Cristoforus de Benedictis investituram pro se et suis heredibus et successoribus perpetuo, sub debito et consueto militari servicio, iuxta formam contractus dicte venditionis, iuribus curie et alterius ac constitutionibus Domini Regis Iacobi et aliorum retroregum semper salvis, prout hec in dicta investitura cum insercione dicti venditionis contractus, data Panhormi VIII Februarij II Indicionis 1454, diffusius apparent: quam investituram dictus Cristoforus de Benedictis a tunc in regno Presidente obtinuit, notato in libro anni 1453, II Indicionis f.º 786.

Mortuo exinde predicto don Petro de Cardona, eodem in comitatu et terris Artalis de Cardona eius filius primogenitus legitimus et naturalis successit. Qui a dicto Domino Rege Alfonso confirmationis et investiture privilegium dicti comitatus et terrarum cum feudo et castro Bilichij pro se suisque heredibus et utriusque sexus successoribus quibuscumque assecutus est ac cum mero et mixto imperio gladiique potestate, nec non civili et criminali iurisdictione, alta et baxia, quemadmodum comitatum et terras antedictas prefatus condam don Petrus de Cardona eius pater, dum vixit, tenuit et possedit; ut in dicto Regis Alfonsi privilegio dato Neapolis XXV Augusti

XIII Indictionis 1451, de quo viceregia extracta est executoria data Panhormi XVI Ianuarii prime Indicionis 1452, notata in primo investiturarum libro feudorum anni 1453, f.º 110.

Dicto vero don Artale de Cardona vitam cum morte commutante, sibi in dicto comitatu et terris don Petrus de Cardona eius filius primogenitus legitimus et naturalis successit, ob cuius domini Artalis obitum idem don Petrus eius filius non apparet investituram cepisse de dicto comitatu; verum in dicta Cancellaria quedam investiture nota de comitatu Golisani, feudo Bilichij et aliis terris dicti comitatus apparet per Dominam Mariam uxorem relictam dicti condam don Artalis, ut baliam et dicti don Petri tutricem, capte ob mortem Serenissimi domini Regis Ioannis, ut in libro anni 1479, f.º 222 continetur. Que Domina Maria dictam investituram nomine et pro parte prefati don Petri de Cardona et suorum heredum et successorum de suo corpore legitime descendentium sub militari servicio et cum reservationibus etc. a condam Don Gaspare de Spes tunc in regno prorege obtinuit.

Feudum Lupriolo

Lupriolo feudum, antiquitus territorium burgensaticum, possessum in presentiarum per Federicum de Leto legum doctorem, ereptum in feudum nobile ad provisionem viceregiam, sub servicio unius paris calcarium deoratorum, quod est situm in territorio Castri Ioannis, de qua viceregia emanavit executoria et confirmatio a Catholica Maiestate Vestra cum inserto tenore dicte viceregie provisionis in oppido Maioreti date die XX Aprilis II Indictionis 1514; de quo privilegio viceregia emanavit executoria data Panhormi XI Novembris III Indictionis 1514, notata in libro Cancellarie dicti anni f.º 144, et reddit 07. XXV. Dictusque dominus Fridericus de Leto ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis a don Ioanne de Luna Preside de huiusmodi feudo cepit investituram die VIIº Ianuarii V Inditionis, notatam in libro anni 1516, f.º 414, et iuravit reddere tantumdem 07. XXV.

De feudo sive Casale Callari et feudo Buccarrati

Casale Callari, situm et positum in valle Noti, prope territorium Leontini per quondam Ugolinum de Callaro militem antiquitus possidebatur, ob cuius Ugolini rebellionem seu adherentiam hostibus domini Regis Friderici tertii, casale ipsum ad manus Regiae Curiae devenit, ob quod dictus Dominus Rex Fridericus exinde casale ipsum Callari condam Ricardo Guarna et suis heredibus in perpetuum more Francorum etc. dedit et concessit sub debito et consueto militari servicio (1).

Mortuo vero dicto Riccardo Guarna, Ioannucius Guarna, dicti Riccardi filius et heres legitimus, virtute testamenti per Riccardum ipsum conditi a dicto domino Friderico tertio confirmationem donationis et concessionis dicti casalis in feudum pro se et suis in perpetuum heredibus more Francorum obtinuit, iuribus tamen Curie et alterius cuiuscunque semper salvis, ut patet in privilegio dicti Domini Regis Friderici tertii dato Messane 13 Iulii X Indictionis 1312.

In quo tamen privilegio nulla de Buccarrati feudo mentio expressatur, nisi tantum de Casale Callari antedicto. In anno vero 1404. XII Indictionis, regnante domino Rege Martino, coram sua regia maiestate comparuit Petrus de Bonfilio, miles de Messana, asserens per Serenissimos Principes et Sicilie Reges illius predecessores condam Riccardo Guarna predicto feudum Callari antedictum et aliud feudum vocatum Buccarrati fuisse concessa, quodque feuda ipsa idem Riccardus usque ad sue vite terminum tenuit et possedit. Quo Riccardo defuncto, ad Ioannem Guarnam ipsius Riccardi filium feuda ipsa pervenerunt, per quae etiam Ioannes ipse eiusdem Callari casalis a dicto Domino Rege Federico tertio confirmationem, ut prefertur, habuit et consequutus fuit, in quo quidem privilegio dicti Domini Regis Martini privilegium eiusdem domini Regis Friderici tertii de verbo ad verbum insertum extitit.

(1) La pagina intera con altre poche linee della seguente manca nel codice autentico, ov'è stata supplita di officio con caratteri non anteriori ai primi lustri del secolo.

Essa è però monca e scorretta, sicché ho creduto ricostituire il testo confrontando diligentemente i m.ss. delle Biblioteche Comunale e Nazionale.

Miror tamen quomodo in narrativa privilegii Domini Regis Martini dicta duo feuda Callari scilicet et Buccarrati nominentur, in privilegio autem dicti Domini Regis Friderici tertii de dicto Callari feudo tantum mentio fiat; et nichilominus in narrativa etiam verborum dicti privilegii eiusdem domini Regis Martini, post insertionem privilegii dicti domini regis Friderici tertii dicta duo feuda, et non unum tantum exprimuntur, videlicet quod per mortem dicti Ioannis Guarna prelibata Callari et Buccarrati feuda pervenerunt ad manus et posse Philippi Guarna agnati proximioris in gradu dicti condam Ioannis Guarna, ex quo de illius Philippi successione nullus apparet actus aut alia scriptura, ob quod ignoro, si Philippus ipse dicto Riccardo Guarna primo acquisite successerit. Nam, cum Ricardus ipse predictum Ioannem Guarnam habuerit filium, dictusque Ioannes absque liberis decesserit, quomodo ergo Philippus ipse, non descendens a dicto Riccardo primo acquiretore vel a Ioanne Guarna, ipsius Riccardi filio, poterat in feudis ipsis absque titulo succedere? Nichilominus quicquid sit, Philippus ipse dixit quod usque ad eius obitum feuda ipsa possedit?

Ipsoque Philippo exinde decedente, feuda predicta ad Nicolaum Guarnam militem eiusdem Philippi filium primogenitum et heredem pervenerunt, quo Nicholao in ultimis vite adveniente, per illius testamentariam dispositionem Sandella mulier, illius soror ac predicti Philippi filia, fuit eius heres per eum universalis instituta: tamen quenam fuerit ipsius Sandelle mater, an si legitima ipsius Philippi uxor fuerit, in dicto privilegio nulla fit expressio, nam fieri posset Sandellam ipsam ex legitimo matrimonio natam non fuisse, ex quo quenam fuerit ipsius Sandelle mater in privilegio ipso silencio preteritur, ut predicatur.

Deinde autem Sandella ipsa vite sue finem imponens, in ultimis quibus decessit, suum similiter condidit testamentum, in quo super omnibus eius bonis, et precipue in feudis antedictis Callari et Buccarrati, Nicolaum et Franciscam eius filios legitimos et naturales ex se et condam Thomasio de Massaro milite procreatos suos instituit heredes universales, volens et mandans, quod si dictus Nicholaus eius filius in minori etate vel ab intestato decederet, illi dicta Francisca succederet. Qua Sandella defuncta, ex testamentaria dispositione predicta prefatus Nicholaus de Massaro successit, ipsoque etiam Nicholao mortuo, iam dicte dispositionis virtute successit sibi antedicta Francisca. Que Francisca exinde cum Petro de Bonfilio milite matrimonium contraxit, ipsaque Francisca gravida existente, suum condidit testamentum, in quo suos heredes universales instituit posthumum

seu posthumam nasciturum seu nascituram ex suo ventre, unum vel plures, quos ad invicem substituit, et si dictos postumos unum vel plures in minori etate vel ab intestato mori contigerit, tunc ei vel eis in feudis predictis dictum Petrum de Bonfilio eius maritum et ipsorum posthumi vel posthumorum patrem substituit; deinde Francisca ipsa filium peperit Bonfilium de Bonfilio nomine et sub sua predicta testamentaria dispositione vitam finivit, superstite prefato Bonfilio de Bonfilio, qui illi in dictis eius bonis et feudis successit. Postmodum vero predictus Bonfilius de Bonfilio in etate infantili, scilicet ante completum etatis sue biennium decessit, cui Petrus de Bonfilio eius pater antedictus ipsius testamenti vigore successit et maxime in feudis antedictis. Sed miror, postquam titulus antiquus dictorum feudorum erat et est in forma stricta more Francorum etc., ut prefertur et non in forma larga, quomodo iste Petrus de Bonfilio non descendens ex recta linea predicti Riccardi Guarna, primi acquisite virtute dicte testamentarie dispositionis, in feudis ipsis succedere potuisset in rerum et iurium excadentiarum sacri regii demanii prejudicium et iacturam? Tamen simili respectu et consideratione ductus condam Petrus de Claramonte, miles regius algozirius ac castellanus Castri Ursini Cathanie, asserens quod feuda ipsa erant rationabiliter aperta regio fisco, obtinuit pro se et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus a dicto domino Rege Martino concessionem iurium, que Regia Curia habebat, et quoquomodo habere poterat, super feudis iamdictis, virtute cuiusdam provisionis data Pannormi VI Octobris XI^e Indictionis 1402. Adversus quam iurium cessionem dictus Petrus de Bonfilio se opposuit et tandem confecto processu fuit per Magnam Regiam Curiam lata sententia contra dictum Petrum de Claramonte, ipseque Petrus de Bonfilio, ut asseritur, fuit a petitione dictorum feudorum sententialiter absolutus a qua quidem sententia dictus Petrus de Claramonte ad auditorium sacre regie conscientie appellavit et devoluto processu questionis predictae in examine iudicis, dicte sacre regie conscientie, dictus Petrus de Claramonte agnoscens bonam fidem eidem Petro de Bonfilio liti cessit. Eapropter prelibatus dominus Rex Martinus prefato Petro de Bonfilio et suis in perpetuum heredibus institutionem seu substitutionem per dictam condam Franciscam, eius uxorem, de dictis feudis Callari et Buccarrati factam acceptavit, ratificavit et confirmavit in perpetuum sub dicto militari servicio, iuribus tamen Curie et alterius semper salvis, ut patet in privilegio dicti Domini Regis Martini, dato Messane XV Iulii XII^e Indictionis 1404, notato in libro dicti anni f.º 14, Quapropter in mea predicta opinione etiam persistens, dico quod cre-

;)

dere non possum, quod prefatus Petrus de Bonfilio de alia agnatione et genealogia in feudis predictis succedere potuisset, virtute testamenti dicte Francisce, que ipsorum feudorum acquisitrix prima non fuit stante precipue concessione feudorum ipsorum in forma stricta more Francorum, ut predictur, reservato tamen semper meliori iudicio.

Et nihilominus ex adverso quoddam aliud privilegium dicti domini Regis Martini inveni actum sive concessum per decennium vel circa ante concessionem prelibati privilegii per prenommatum Petrum de Bonfilio impetrati, quod quidem antierius privilegium fuit in favorem condam Mathey de Facio de terra Leontini emanatum, notatum in libro anni 1294 II^o Indictionis f.º 84, quod est tenoris sequentis, videlicet. Nos Martinus et Maria etc. et Infans Martinus etc. Pro parte vestri fidelis nostri Mathei de Facio terre Leontini fuit nobis humiliter supplicatum, quod ex solita clementia dignaremur laudare approbare, ratificare ac etiam confirmare venditionem quandam factam vobis et successoribus vestris per fidelem et familiarem nostrum Petrum Siminat militem in posse Anthonij Turparelli, notarii Leontini X die Novembris III Inditionis, anno dominice Incarnationis 1394, prout in eo latius continetur de quodam feudo vocato Callari, sito et posito in territorio terre predicte, quod fuit Thomasii de Massaro milite quodque fuit Nostre Curie applicatum et confiscatum de iure propter rebellionem incautam adversus Celsitudines Nostras commissam per predictum Thomasium, quem propterea proditorem nostrum et reum lese criminis Maiestatis adiudicavimus et eius bona, previjs legitimo processu et iudiciali sententia, duximus fisco regio applicanda prout in processu et sententia supradictis, quas hic haberi volumus pro insertis, lacius continetur. Quod quidem feudum dicto Petro pertinebat ratione assignationis et donationis facte eidem per Anthonium Detimera constitutum et ordinatum super recollectione, perceptione et habicione omnium honorum proditorum in terra et territorio terre Leontini et Anthonium Speciarium dicte terre vicesecretum, familiares et fideles nostros, vigore commissionis per nos eis facte seu per Falconum de Falcono et Matheum de Pedeamplio fideles nostros, tamquam substitutos et habentes plenariam potestatem ab eo, per quos quidem Falconum et Matheum cum consilio certorum proborum hominum dicte terre in talibus expertorum fuit extimatum feudum predictum ad uncias auri quinquaginta ponderis generalis, de quibus quidem uncias quinquaginta dictus Petrus restituit nobis seu Curie nostre sufficientes cautelas eorum que sibi per nostram curiam debebantur. Nos vera supplicationi huiusmodi benigne inclinati, vendicionem predictam factam vobis de feudo predicto,

iuxta ipsius seriem et tenorem laudamus, approbamus, ratificamus ac etiam confirmamus, eamque tantum valere decrevimus ac si per nos personaliter facta esset, mandantes per hanc eandem magistro iusticiario, iudicibus Magne Curie, nec non capitaneo, iudicibus et iuratis ceterisque universis et singulis officialibus nostris et subditis dicte terre ac alijs, ad quos spectet dictorumque officialium locatentibus presentibus et futuris, quatenus laudationem, approbacionem, ratificacionem et confirmationem nostras huiusmodi et omnia et singula contenta in eis ratas, gratas et firmas habeant, teneant et observent et non contraveniant, nec aliquem contravenire permittant aliqua ratione, quin potius vos et successores vestros in possessione pacifica feudi predicti manteneant et defendant et alias faciant de fructibus, redditibus, emolumentis et iuribus integre responderi et vos in premissis non impediant quovis modo; nos enim eis et eorum cuilibet faciendi oppositum cum hac eadem potestatem omnimodam abdicamus. In cuius rei testimonium hanc fieri iussimus sigillo nostri dicti ducis, cum nondum regia sigilla sint facta, impendentia, munitum. Vidit Petrus promotor. Lo duch.

Datum in civitate Cathanie per nobilem Petrum de Fenolletto militem, vicecomitem insole et de Caneto regnique Sicilie cancellarium, consiliarium, familiarem et fidelem nostrum dilectum, XXII die Decembris III Indictionis, anno ab incarnatione Domini 1394, regnique dicti Regis anno tercio et dicte Regine XVIII. Dominus Dux mandavit mihi notario Antonio de Bifaro relatori Hugonis de Sancta Pace Camerlingi.

Ea que in contrarium utriusque privilegii superius expressati sentio, inferius in allegacione per me de dictis feudis facienda exponam, et quoniam percepi in toto regno nonnisi unum tantum feudum Callari reperiri, hac de causa, si forte eiusdem nominis duo feuda invenirentur, in ipsa allegacione, que per me explicabantur pro utroque feudo tam coniunctim quam divisim comprehendi poterunt.

Deinde vero prefatus Petrus de Bonfilio suum condidit testamentum clausum manu notarii Andree de Azarello, in anno 1411 conditum, in quo testamento Petrus ipse in dictis feudis Ioannem de Bonfilio eius fratrem instituit. Postmodum vero in anno 1414, idem Petrus de Bonfilio suis cum codicillis feuda ipsa Callari et Buccarrati prefato Ioanni et Philippo de Bonfilio, eius fratribus legitimis, dimisit videlicet cuilibet eorum medietatem dictorum feudorum Sub qua codicillari dispositione Petrus ipse decessit, superstitibus et sibi succedentibus in dictis feudis comuniter et pro indiviso prefatis Ioanne et Philippo de Bonfilio fratribus; exinde vero Ioannes de Bonfilio pre-

dictus ob fraternalem amorem, quem erga dictum Philippum eius fratrem gessit et gerebat, eidem Philippo fratri suo donatione inter vivos irrevocabili medietatem dictorum feudorum integram ipsi Ioanni contingentem, vigore dicte codicillaris dispositionis, donavit, refutavit et cessit, ut contineri dicitur vigore publici instrumenti acti manu notarii Thomasij de Andreolo de Messana V Maij XIII Indictionis 1420. Quamquidem donationem dicte medietatis feudorum ipsorum domini vicereges, qui tunc erant in regno, eidem Philippo de Bonfilio et suis in perpetuum heredibus ratificaverunt, acceptaverunt et confirmaverunt, cum clausula scilicet quatenus rite, iuste et rationabiliter facta fuerit, prout in ipsa viceregia confirmatione patet, data Panhormi XXII Maij XIII Indictionis 1420, notata in libro anni 1419, f.º 349.

Mortuo deinde prefato Philippo de Bonfilio successit sibi in dictis feudis Callari et Buccarrati Nicolaus de Bonfilio, eius filius legitimus et naturalis, per quem nulla apparet capta investitura.

Ipsoque Nicholao de Bonfilio decedente in ipsis feudis, Ioannes Philippus de Bonfilio, illius filius legitimus et naturalis, sibi successit. Qui Ioannes Philippus a condam Simone Panhormitano Archiepiscopo pro se suisque heredibus in perpetuum sub consueto militari servicio de dictis Callari et Buccarrati feudis investituram obtinuit cum iurium Regie curie et alterius cuiuscumque reservatione, quemadmodum in dicta investitura apparet, data Panhormi XX Septembris IIº Indictionis 1453, notata in libro dicti anni f.º 180.

Dictus vero Ioannes Philippus de Bonfilio in anno VIIIº Indictionis 1505, vitam cum morte commutavit, relictis et superstitibus sibi tribus tantum, filiis uno videlicet masculo et duabus feminis masculus autem exinde fuit interemptus, femine vero hodie currente anno 1510 vivunt, quarum una Francisco de Vigintimilio matrimonio data est, altera vero Ieronimo la Roccha coniugio iuncta est, que adhuc de dictis feudis nullam ceperunt investituram, quapropter nullam dare possum rationem, si pheuda ipsa per easdem possidentur et reddunt anno quolibet uncias centum 07. C.

Verum in libro Cancellarie (1) anni 1511 in cartis 591, quedam reperitur investitura per Ieronimum de Bonfilio ob mortem quondam Thomae de Bonfilio eius patris de dictis feudis Callari et Buccarrati capta, in qua non exponitur quo jure dictus condam Thomas in ipsis feudis successerit et ab heredibus dicti condam Ioan-

(1) Tanto in questo tratto, quanto nel seguente scorgesi un leggiero frego di penna, che parrebbe accennare ad una cancellatura.

nis Philippi de Bonfilio ipsa feuda defecerint, et ideo, ut de his plena habeatur noticia, prefatus Ieronimus de Bonfilio qui in presentiarum anno 1513 decurrente feuda ipsa possidet, ad eius iura edendum compelli deberet.

Dictusque Ieronimus de Bonfilio de dictis feudis Callari et Buccarrati cepit a don Ugone de Moncada Vicerege investituram ob mortem Domini Regis Ferdinandi die XVIII Iulii III^o Inditionis 1516 notatam in libro Cancellarie anni V^o Inditionis 1516. f.º 62, et iuravit tactis scripturis reddere tantundem scilicet 07. C.

Allegatio de feudis Callari et Buccarrati

Viso et per me diligenter recognito ac percepto tenore privilegii dicti Domini Regis Martini concessio Matheo de Facio per decennium fere emanatum ante predictum privilegium eiusdem et Domini Regis Martini concessum prenominato Petro de Bonfilio, non parum mirari me contigit quomodo feudum Callari antedictum in manibus et posse dicti Petri de Bonfilio suisque heredibus pervenerit, in preiudicium et derogationem preinserti privilegii eidem Matheo de Facio concessi, cum de eo nulla in privilegio dicti Petri de Bonfilio mentio fiat expressa. Nichilominus quiquid sit, certi iuris est feudum ipsum pro debito unciarum quinquaginta in pecuniis per Regiam Curiam dicti Domini Regis Martini condamnatum Petro de Semmenat debitarum per Anthonium la Timera tunc commissarium constitutum et deputatum in rebus et bonis proditorum dicte terre Leontini ipsi Petro de Bonfilio donatum et assignatum fuisse. Nunc vero reperitur feudum antedictum Callari annis singulis uncias centum vel circa reddere, quamobrem Regia Curia Vestre Catholice Maiestatis in amplissima summa ultra dimidiam iusti precii lesa et gravata remanet et ideo videndum est et diligenter attendendum si regie pragmatice virtute Post BELLA vocate pro eodem debito unciarum quinquaginta Regia Curia ipsa potest et valet feudum ipsum sibi vindicare et regio demanio agregare vel si possessor illius potest et debet de iure ad revenditionem de illo faciendam ipsi Curie Regie cogi et compelli, prout alias fuit per me in capitulo informacionis terre

Mussumellis in alio terrarum et baroniarum regni capibrevio expositum et declaratum in cartis 874.

Et si forte preinsertum privilegium nullam efficaciam et executionem habuisset, esset diligenter attendendum et videndum, si dictus Petrus de Bonfilio, virtute testamentarie dispositionis dicte Franciscæ ipsius Petri de Bonfilio uxoris, mortuis et deficientibus eius filijs ac etiam agnatis et descendantibus dicti condam Riccardi Guarna primi acquisite, poterat in dictis Callari et Buccarrati feudis succedere, nam in previa opinione mea persisto, quod prefatus Petrus de Bonfilio et sui heredes nullo pacto in dictis feudis succedere poterant minusque dicta Francisca eius uxor poterat eundem Petrum eius virum in dictis feudis heredem instituere, immo dico, quod virtute regiarum excandeciarum, propter extinctam et deperditam genologiam primi acquisite feuda ipsa Regie Curie devolvi et apertiri debent; mirorque magnopere contra hanc opinionem talem, ut prefertur, fuisse latam sententiam, stante maxime forma stricta, ut superius dictum est.

Quo vero ad feudum Buccarrati iam per me superius de eo fuit nonnihil dictum, nihilominus possessor illius compellatur ad edendum verum et legitimum titulum feudi ipsius Buccarrati, ut Regie Curie iura videri possint, nam cum Ioannes Guarna filius Riccardi primi acquisite in privilegio domini Regis Federici tertij nominati de ipso Buccarrati feudo confirmationem non petierit, nisi tantum de dicto Callari feudo: ob quod suspicio non modica generari potest, actento quod de dicti Buccarrati feudi concessione nullus apparet titulus, necesse est, quod titulus ipse in lucem prodeat, ut regii demanii iura non deperdantur.

Preterea est dubium ponendum prefate codicillari dispositioni per dictum Petrum de Bonfilio facte Ioanni et Philippo de Bonfilio eius fratribus, actento quod forma tituli antiqui fuit et est stricta et non larga et ideo attendendum est, si dictum testamentum vel codicillum est validum, vel ne, precipue cum dictus Petrus heres a dicta Francisca eius uxore institutus filios non habuerit, nisi tantum unum, qui, ut predicatur, in etate infantili obiit et propterea ad ius Regie Curie omnino attendatur.

De feudo et Castro Castellucij

Castrum et feudum Castellucij, situm et positum in regno Sicilie in valle Nothi, prope Heracliam, fuit per Dominum Regem Federicum in feudum sub consueto militari servicio concessum condam Perrello de Mohac de Calatagirono et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus, et quod vivant iure Francorum etc., cum clausola scilicet, eidem Perrello tamquam benemerito et condigno et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus in perpetuum fortilicium quod dicitur lu Castelluzu, situm in valle Nothi prope terram Heraclie, cum omnibus territoriis, tenementis, pertinentiis et iuribus suis universis Nostre Curie rationabiliter pertinens sub debito militari servicio etc., ut patet in privilegio dicti Domini Regis Federici, dato olim die IX, notato in libro anni 1364 f.º 69. Per que verba, scilicet, Nostre Curie pertinens, comprehenditur quod castrum predictum Castellucii erat de sacro regio demanio, et ista concessio dicti Domini Regis Federici fuit prima segregatio et enervatio dicti castri a dicto sacro regio demanio; que concessio Regni Constitutionum virtute nullo pacto fieri poterat in ipsius demanij prejudicium.

Cumque firmissime teneam, quod dictum Castrum cum iuribus ac territoriis suis de dicto fuerat et erat sacro regio demanio et non poterat ab illo, ut superius dixi, segregari; volui nichilominus videre, si forte in ipso castro legitimi successores dicti condam Perrelli de Mohac successerint, an Regia Curia illud aliquando sibi forte revocaverit: tandem perquisitis per me Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1364 usque ad presens, currente anno 1510, nulla investitura sive confirmatio actusve invenitur de dicto castro legitimis successoribus dicti condam Perrelli primi acquiritoris concessus, sed facta per me diligenti indagatione, in cuius posse dictum castrum hodie inveniatur, percepi qualiter dictum Castellucij feudum cum suis territorijs per don Carolum de Aragona, nunc baronem et possessorem dicte terre Heraclie sive Terre Nove, tenetur et possidetur, tamen non invenio quomodo in ipsius posse devenit et hoc quia nullus de hoc titulus in ipsa Regia Cancellaria reperitur. Nichilominus quicquid sit, iam per me in alio baroniarum et terrarum regni capibrevio dictum fuit de dicta Heraclie terra, et probavi qualiter dicta terra cum omnibus et singulis suis terri-

torii et pertinencijs fuerit et erat de antiquo regio demanio; et efficacissimis iuribus probavi etiam illam cum fructibus et omni causa eidem sacro regio demanio agregari debere. Et sic similiter evenire potuisset, quod dictum castrum Castellucij cum suis territoriis et iuribus eidem baroni terre Heraclie pervenisset, et absque legitimo titulo illud possideat. Tamen ad maiorem veritatis dilucidationem vidi investituram, de dicta Heraclie terra Beatrici de Aragonia, a qua dictus baro hodie ipsius terre possessor descendit, concessam; in qua quidem investitura illa clausula continetur, videlicet: quodque illi, quibus in territorijs dictorum castri et terre habent aliqua iura, possessiones et bona per retroreges divi recordij aut per dominum Regem concessa, ea teneant et possideant prout ipsis ipsa per eos vel dominum Regem concessa fuerunt etc: ut patet in dicta investitura notata in libro anni 1453 II Inditionis f.º 798. Postquam ergo semel apparet concessionem de dicto castro cum territorijs suis per dominum Regem Federicum condam Perrello de Mohac et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus, more Francorum, ut supra, fuisse factam, et dictum castrum in presentiarum in posse dicti don Caroli de Aragonia invenitur. Qui Don Carolus virtute dicti privilegii Domini Regis Federici castrum ipsum Castellucij cum suis territoriis non potest nec debet tenere, dico, quod tam virtute dicte clausule reservative, quam quia Castrum Castellucij predictum fuit de regio Demanio et alienari non poterat, quam etiam quia forte genealogia vere et legitime successionis dicti condam Perrelli de Mohac finita, extincta et deperdita est, quo casu virtute regiarum excadentiarum dictum castrum cum suis territorijs esset Regie Curie apertum et devolutum, deberet omnino diligenter inspicere ac circa recuperationem dicti castri Castellucij cum suis territorijs provideri, ut illud ipsi sacro Regio demanio reduceretur et aggregetur.

Preterea oculariter inspexi quoddam privilegium Domini Regis Alfonsi, per quod quondam Ximeno de Corrella Sue Maiestatis pincerne sive copperio, de terra Heraclie sive Terre Nove et castro Castellucij, concessionem fecit sub his verbis, scilicet: eidem Ximeno de Corrella et suis heredibus et successoribus de suo corpore legitime descendentibus in perpetuum castrum et terram Terre Nove partium nostri regni Sicilie et Castrum Castellucij eidem terrae vicinum cum eorum iuribus et pertinencijs universis etc. Et paulo inferius in ipso privilegio infrascripta verba notata sunt videlicet: ac etiam supradictum castrum Castellucij eidem Terre Nove vicinum, quod fuit condam viri nobilis Rogerii Inplanella militis, quod propter ipsius castri alienationem factam per dictum Rogerium sine nostro vel no-

strorum predecessorum assensu, et propterea non factam per dictum Rogerium revocationem alienationis castri predicti infra tempus a iure statutum et ordinatum, ac etiam quia non habitavit in Regno. Item quia alienationes castrorum fieri debent personis nobis gratis, ut Regnum in firma pace persistat, fuit et est similiter ad dictas manus nostras et ipsius Nostre Curie iuste et rationabiliter devolutum etc., quemadmodum hec et alia in privilegio dicti Domini Regis Alfonsi diffusius exprimentur; quod privilegium fuit datum in regali castro civitatis Averse XVIII^o Octobris 1422, notatum et conservatum in officio Conservatoris huius Regni, ad quod me refero.

Et licet privilegium ipsum non appareat, ut moris est, expeditum, videlicet cum in illo non appareat descripta manus secretarij, qui privilegium predictum celebravit, minusque privilegium prenotatum in Regia huius regni Cancellaria inveniatur, ob quod dici posset illud efficaciam non habuisse, actento maxime quod non constat dictam terram Heraclie sive Terre Nove et feudum Castellucij antedictum ipsius privilegii virtute in posse predicti Ximenij nec suorum heredum pervenisse; tamen, quia clare apparet iddem Castellucij castrum expresse esse nominatum in eodem privilegio tamquam castrum seu feudum ab ipsa Heraclia terra segregatum; et per consequens, cum in privilegio eiusdem terre concessio hodierno possessori ipsius terre dictum Castellucij castrum expresse non nominetur, dico, quod prefatum castrum seu feudum Castellucij fuit et est a sacro regio Demanio usurpatum. Quapropter iuribus et causis, supra expressis, ac aliis sua die allegandis, castrum ipsum Castellucij cum illius fructibus et omni causa ipsi regio demanio restitui debet.

De alio castro Castellucij et feudo Churca

Aliud castrum similiter vocatum lu Castelluzo di Noto cum feudis et pertinencijs suis, situm et positum in hoc Sicilie regno, in Valle Noti, prope territorium dicte terre, una cum feudo vocato Churca, per quondam Matheum de Palicio antiquitus, ut asseritur, possidebantur; ob cuius rebellionem feuda ipsa in posse Regie Curie devenerunt et postmodum ad quondam Gulielmum Raymundum de Montecatheno Meliveti marchionem pervenerunt. Ob cuius quidem Gulielmi Raymundi et fratrum ac filiorum suorum proditionem et rebellio-

nem in vim sententiae Magne Regie Curie castrum et feuda predicta Castellucij eidem Regie Curie iuridice una cum aliis eorum bonis aperta et devoluta fuere, et presertim dictum feudum Churca alienatum iam, ut prefertur, et translatum per dictum Gulielmum Raymundum in Matheum de Facio, qui similiter tunc Regie Maiestati rebellis extitit publicus; tandem dictum Castrum Castellucij et feudum predictum per dominum Regem Martinum donata et concessa fuere condam Sallimbenio de Marchisio legum doctori de Messana et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus in perpetuum, more Francorum etc., sub debito et consueto militari servicio, ana videlicet unzi vinti pro quolibet equo armato, secundum annuos redditus et provenctus castri et feudi predictorum, cum reservatione Constitutionum et Capitulorum Domini Regis Iacobi et aliorum retro regum, iuriumque Regie Curie et alterius cuiuslibet. Renunciatis prius per eundem Sallimbenium expresse in manibus Regie Curie omnibus iuribus sibi forsitan competentibus ex gratia seu gratis sibi vel predecessoribus suis per dominos retroreges super iuribus cuiusvis secretie seu super exituris et tractis portuum et maritimorum Regni forte factis; quemadmodum in privilegio dicti Domini Regis Martini diffusius continetur, dato Cathanie XIII^o Februarij, VI Inditionis 1397, notato in libro dicti anni f.º 100.

Nichilominus in eodem anno scilicet XX^o Ianuarij, VI^o Inditionis predictae, invenitur quedam provisio emanata in favorem dicti Sallimbeni de Marchisio super danda possessione dictorum castri et feudi, notata in alio libro anni 1397 V^o Indictionis f.º 114, in qua fit espressa mentio de privilegio concessionis dictorum castri et feudi facte eidem Sallimbenio et heredibus suis, ut supra, per dictum Dominum Regem Martinum. Sed actento quod talis provisio, in qua privilegium impetratum mentionatur, data seu emanata fuit XX^o Ianuarij, VI^o Inditionis; que provisio declarat privilegium ipsum fuisse iam emanatum, privilegium vero veridice ipsius concessionis datum sive expeditum fuit XIII^o Februarij, Inditionis predictae, et sic apparet dictam provisionem de danda possessione per dies fere viginti quatuor fuisse prius emanatam quam ipsum privilegium; propterea non modica in animo meo insurrexit suspicio, et quia in Regia Cancellaria nullus apparet titulus quomodo dictus Matheus de Palicio feuda ipsa tenebat, nec etiam invenitur titulus dicti Gulielmi Raimundi de Montecatheno, nullam rationem dare possum si predictum Castrum Castellucij et feudum Curca erant de demanio vel non.

Decursis autem annis viginti vel circa post predictam concessionem eiusdem feudi et castri Castellucij, numerando scilicet ab

anno 1397 usque ad annum 1417, in ipso anno 1417 per condam Salimbenium de Marchisio militem prothonotarium fuit facta venditio de dictis castro, et feudis Castellucij condam Nicolao de Speciali et suis heredibus de suo corpore legitime descendantibus sub certa forma, publico, ut asseritur, documento mediante, sub debito militari servicio; ipsamque venditionem exinde Episcopus Illerdensis et Antonius de Cardona tunc in regno proreges ad eorum provisionem datam Alami XX^o Octobris, XI^o Inditionis 1417, acceptarunt et confirmarunt. Et cum alio privilegio dato in castello novo Neapolis III^o Aprilis 1422 Dominus Rex Alfonsus eidem Nicholao de Speciali concessit licentiam habitandi, fortificandi et edificandi dictum castrum Castellucij, nec non eidem Nicholao de Speciali formam strictam ad formam largam ampliavit, scilicet pro heredibus et successoribus quibuscumque et qualitercumque et cum iurisdictione civili et criminali, alta et baxia, meroque et mixto imperio. Quam quidem Viceregiam provisionem datam Alami XX^o Octobris, ac etiam prenotatum privilegium datum in castro novo Neapolis III^o Aprilis idem dominus Rex Alfonsus acceptavit et confirmavit, ipsique etiam Nicholao de Speciali et suis quibuscumque dictum servitium militare relaxavit ad parvum calcarium auratorum tantum, de sua certa regia scientia et potestatis plenitudine, cum clausula, non obstantibus constitutionibus, capitulis, ordinationibus, pragmaticis, ritibus, legibus, actibus Curie seu generalis Parlamenti et aliis etc.; quemadmodum hec et alia latius continentur in alio privilegio dicti domini Regis Alfonsi dato Valentie XVIII^o Februarii 1426.

Mortuo vero exinde prefato Nicholao de Speciali, successit sibi in ipso castro et feudis Castellucij Petrus de Speciale eiusdem Nicolay filius legitimus et naturalis; qui Petrus pro se et eorum heredibus et successoribus suis de dicto feudo a prefato Domino Rege Alfonso cum inserto tenore dicti sui regii privilegii investituram obtinuit, cum clausula, scilicet, constitutionibus et capitulis domini Regis Iacobi aliorumque retroregum super demanialibus editis ac iuribus Regie Curie et alterius cuiuslibet semper salvis; ut patet in privilegio ipsius Domini Regis Alfonsi, dato in dicto castello novo Neapolis X^o Augusti, prime Inditionis anni 1453: de quo Viceregia emanavit exequutoria a quondam Simone Panhormitano Archiepiscopo tunc in regno Preside, data Panormi die VI^o Februarii, II^o Inditionis anni 1453, notata in libro dicti anni in cartis 68.

Post obitum vero dicti Petri de Speciali, castrum Castellucij antedictum cum feudis suis in posse condam Ioannis Mathei de Speciali eiusdem Petri nepotis pervenit, qui Ioannes Matheus de dictis feudis

et castro investituram cepit die 9 mensis Iunii VIII^o Inditionis 1475, registratam in libro anni 1474 f. 226.

Quo quidem Ioanne Matheo mortuo, in ipso feudo et castro Castellucij successit sibi Nicholaus de Speciali eiusdem Ioannis Mathei filius, minusque apparet eundem Nicholaum de huiusmodi castro et feudo investituram obtinuisse.

Defunctoque dicto Nicholao de Speciali, dicta castrum et feudum Castellucij in posse Blancucie filie primogenite legitime et naturalis predicti Nicholai de Speciali devenit, et nichilominus in ipsa Regia Cancellaria non apparet eandem Blancuciam investituram de dictis castro et feudo Castellucij cepisse.

Tandem ipsa Blancucia decedente, successit sibi in eisdem castro et feudo Catherinella eiusdem Blancuciae soror, filia etiam dicti quondam Nicholai de Speciali; que Catherinella pro se et suis successoribus a quondam Ioanne de Lanuça tunc in regno Vicerege de ipsis castro et feudo Castellucij investituram consecuta est die XII^o Decembris IX^o Inditionis 1505, notatam in libro dicti anni f. 248.

In presentiarium autem, currente anno 1510, dictum castrum et feudum Castellucij per eandem Catherinellam tenetur, et reddunt annis singulis ultra, una cum feudo Graneri in confuso, uncias CXXX.

Que Catherinella ob mortem Catholici domini Ferdinandi Regis de dictis feudis Castellucij et Graneri a Don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die XVIII^o Ianuarii, V^o Inditionis, notatam in libro anni 1516 f. 399; et don Augustinus de Costantino procurator iuravit dicta feuda reddere CXXX

De feudo Churca

Feudum Churca, situm in valle Nothi in territorio Palacioli, de quo supra in capitulo sit mentio per verba narrata in privilegio domini Regis Martini concessionis utriusque feudi, Castellucij scilicet et Churca, patet per condam Matheum de Palicio possessum fuisse, et ob eius rebellionem in posse Gulielmi Raymundi de Montecathino venisse. Qui Gulielmus Raymundus feudum Churca predictum in condam Matheum de Facio alienavit, et tam dictus Gulielmus Raymundus, quam dictus Matheus de Facio in rebellionem etiam devenerunt,

et sic ob illorum etiam rebellionem domini Reges Martinus et Maria cum ipsomet privilegio feuda ipsa Castellucij et Churca condam Sallimbenio de Marchisio legum doctori et huius regni tunc prothonotario et suis heredibus de suo corpore legitime descendantibus dederunt et concesserunt in feudum perpetuum, sub debito et consueto militari servicio, iure Francorum etc., et cum reservacione iurium Regie Curie et alterius cuiusvis, necnon Constitucionum ac Capitulorum domini Regis Iacobi et aliorum retroregum super demanialibus editorum, ut patet in privilegio dictorum dominorum regum dato Cathanie XIII^o Februarii, VI. Inditionis 1397, notato in libro dicti anni f. 100.

Qui quidem Sallimbenius de Marchisio, dum in humanis egit, feudum ipsum Churca, ut percepi, tenuit et possedit et in ultimis quibus vitam cum morte commutavit, ex cuius testamentaria dispositione in dicto Churca feudo sibi Marchisius Sallimbeni de Marchisio eius nepos successit; qui Marchisius Sallimbenius de Marchisio de dicto Churca feudo a Vicerege, qui tunc erat in regno, investituram pro se heredibusque suis de eius corpore legitime descendantibus obtinuit, cum reservacione etiam dictorum iurium Regie Curie et Constitucionum predictarum, ut in ipsa investitura patet, data Cathanie XVI^o Martii, X^o Inditionis 1431, notata in libro dicti anni in cartis 184.

Ipsa vero Marchisio Sallimbenio de Marchisio vita functo, nonnullis relictis filiis, prout percipere potui, videlicet Ioanne Sallimbenio de Marchisio et Sallimbenio de Marchisio ac Antonella; Antonella ipsa Iulio Sancio de Platamone connubio coniuncta fuit, cuius matrimonij contemplacione in fine anni confirmationis dicti matrimonij consequi et habere debebat ab inde in antea cum perceptione omnium reddituum prelibatum feudum Churca pro unciis centum quinquaginta sibi in dotem promissum in tantumdem excomputacionem docium predictarum: hac conditione adiecta, quod si infra annos tres numerandos a fine dicti anni Sallimbenius de Marchisio, filius dicti Sallimbenii iunioris et frater dicte Antonelle, traderet et assignari faceret dicto Iulio Sancio predictas uncias centum quinquaginta; quibus solutis dictum feudum Churca ad eundem Sallimbenium de Marchisio et heredes suos omni pleno iure revertatur, et quod interim ipsi Iulio Sancio fructus dicti feudi per eundem Iulium percepti acquirantur, nulla facta excomputacione cum dictis unciis centum quinquaginta, immo dictus Iulius Sanctius fructus ipsos pro interusorio dictarum unciarum centum quinquaginta et propter onera matrimonij consequatur et habeat alias; elapso dicto termino annorum trium numerandorum ut supra, et ipsis unciis centum quin-

quaginta non solutis, feudum ipsum de Churca habeatur ab inde pro soluto, dato et consignato ipsi Iulio Sanctio in dotem et pro parte dotis ipsius matrimonii et maxime propter integram satisfactionem dictarum unciarum centum quinquaginta, et licitum sit dicto Iulio Sanctio in eo casu de feudo ipso tamquam de feudo prefate Anthonelle eius uxoris pro libito voluntatis disponere: tandem dictum tempus annorum trium iam expiravit. Et sic prefatus Iulius Sanctius de Platamone pro se et heredibus ex se et dicta Anthonella legitime descendentibus a condam don Lop Ximen Durrea, tunc in regno Prorege, de dicto feudo Churca investituram et confirmationem obtinuit sub debito militari servicio, iure Francorum, iuribus Curie et alterius semper salvis: ut in ipsa investitura patet, data Panormi XXVII^o Octobris, VIII^o Inditionis 1445, notata in libro dicti anni in cartis 154. Perquisitis itaque et successive annuatim per me recognitis Regie Cancellarie registris a dicto anno scilicet 1445 usque ad presens, currente anno 1510, nullam investituram, nullumque alium actum invenire potui, in quem feudum Churca antedictum pervenerit, nullamque preterea noticiam habeo per quem ad presens feudum ipsum possideatur. Quapropter fiat per regium fiscum diligens inquisitio de dicti feudi possessore, ut videatur quomodo in illius posse pervenerit, ut quid iuris fuerit fieri posset, quod quidem feudum reddere solebat ultra uncias

Facta postmodum diligenti indagacione, reperitur ipsum feudum Churca in posse Blancefloris tunc uxoris Iacobi de Tudisco, cum quo secundarie filios procreavit, devenisse. Que tandem suo filio Ioanni Andree de Tudisco nuncupato de dicto Churca feudo donacionem fecit, sicut in ipsa donatione, acta manu notarii Iacobi de Caymo Messanensis XIII^o Iulii, X^o Indictionis 1492, late patet. Qui Ioannes Andreas pro se suisque heredibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, a tunc Prorege VIII^o Augusti, XI^o Inditionis 1493, de ipso feudo investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 356 notatam, reportavit.

In presentiarium autem, currente anno 1512, ipsum feudum Churca per prefatum Ioannem Andream de Tudisco possidetur et reddit anno quolibet

Et ideo possidens feudi ipsius cogi debet ad edendum verum titulum et geneologiam legitime successionis prefate Blancefloris pro Curie cautela.

Qui quidem Ioannes Andreas de Tudisco ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi de dicto feudo Churca a don Ioanne de Luna preside investituram obtinuit, die VII^o Ianuarii, V^o Inditionis, notatam

in libro anni 1516 f. 357; et Bernardinus de Perricono in animam
constituentis iuravit reddere uncias.

Alligatio de feudo Churca

Non parum mihi mirari contingit si ita est, quod prenominatus Sallimbenius de Marchisio, prefate Anthonelle frater, fuerit secundo genitus post Ioannem Sallimbenium de Marchisio et filius Marchisii Sallimbenii de Marchisio, nepotis senioris Sallimbenii de Marchisio primi acquiritoris dicti feudi; et quod idem Sallimbenius de Marchisio se obligare voluerit dotibus eiusdem Anthonelle ipsius sororis cum pactis et conditionibus preexpressis, quodque persolutis predictis unciis centum quinquaginta, dictum Churca feudum omni iure prefato Sallimbenio reverteretur in primogeniti tamen preiudicium, actento quod feudum ipsum in forma stricta concessum extitit iure Francorum. Tamen contingere potuisset, quod hic Sallimbenius de Marchisio non fuisset filius predicti Marchisii Sallimbenii de Marchisio, illius scilicet cui terra Scalecte aliaque feuda pervenerunt, esseque etiam posset quod dictus Sallimbenius fuisset ille Marchisius Sallimbenius, qui in toto dicto statu successit, et errore scripture illum non nominassent Marchisium Sallimbenium, sed Sallimbenium de Marchisio. Et quoniam successores senioris Sallimbenij de Marchisio primi acquiritoris nomen, aut Sallimbenij de Marchisio, vel Marchisii de Salimbenio de Marchisio sortiti sunt iuxta ordinem, prout percipere potui, datum a dicto Sallimbenio seniore in chaos incidi cum veram et rectam geneologiam dicti quondam Sallimbenii senioris et primi acquiritoris invenire nequiverim. Verum inveni quod prefatus Sallimbenius senior dicitur fuisse avus paternus predicti Marchisii Sallimbenii de Marchisio, qui Marchisius tamquam nepos dicti Sallimbenii eius avi successit in hereditate eiusdem avi sui; tamen in nulla investitura et confirmatione invenitur cuius fuerit filius dictus Marchisius, vel si eius pater ipsi suo filio premortuus fuerit; immo in omnibus investituris, post mortem dicti Sallimbenij de Marchisio senioris et primi acquiritoris, captis, non exprimitur nomen illius cuius dictus Marchisius fuit filius, adeo quod suspicio in animo meo generatur ne forte dictus Marchisius Sallimbenius de Marchisio ab

illegitima successione descendat. Quod si ita esset, actenta forma stricta more Francorum ut superius dictum est, non tantum omnia feuda, de quibus inferius suo in loco verba faciam, verum et Scalecte terra ad Regiam Curiam devoluta essent; licet de terra ipsa Scalecte in alio baroniarum capibrevio dixerim qualiter Regia Curia ipsa in ea ius habeat, eo quod ille Nicholaus de Pactis, qui de terra ipsa donacionem fecit prefato Sallimbenio de Marchisio seniori et primo acquirenti ut supra, non erat verus et legitimus dominus et baro dicte terre. Quod in presentiarum oretenus mihi confirmatum extitit per Nicholaum Sollima utriusque iuris doctorem messanensem antiquum, qui pluries huius Regni Magne Regie Curie iudex fuit, dicendo quod ipsius Nicolay pater, etiam legum doctor, quandam invenerat scripturam, in qua continebatur dictum Nicholaum de Pactis pignoris nomine terram ipsam Scalecte pro unciis centum tenuisse a Regia Curia; quod de facili credendum est causis et rationibus per me in capitulo dicte terre Scalecte in prefato capibrevio declaratis et expressis. Quapropter mihi videtur tam possessorem dicte terre Scalecte, quam aliorum feudorum possessores omnino compellendos fore ad edendum verum et legitimum titulum primeve concessionis, ut veritas discuti possit. Necnon et ultra possessores ipsos compellendos fore, dico ad demonstrandum et veridice docendum cuius erat filius prefatus Marchisius Sallimbenius de Marchisio, et quo nomine dictus eius pater appellabatur; ac etiam si dictus eius pater erat filius legitimus dicti quondam Sallimbenii de Marchisio senioris et primi acquirentis, et si ipse Marchisius Sallimbeni de Marchisio erat filius legitimus dicti sui patris, ut ab omni procul dubio Regia Curia removeatur.

Feudum Nissurie

Feudum sive casale Nissurie in territorio terre Asari, Sancti Philippi de Argirione et Nicosie vallis Castri Ioannis et Deemine positum et existens, per condam Virgilium de Catania antiquitus possidebatur, in cuius posse, quo iure pervenerit nullus in Regia Cancellaria titulus invenitur.

Patrata tamen per eundem Virgilium contra Serenissimum Re-

gem Fidericum tertium rebellione , casale antedictum sive feudum sacro Regio Demanio devolutum extitit.

Exinde Rex idem casale ipsum Raynaldo de Sano eiusdem terre sancti Philippi suisque in perpetuum heredibus, iure Francorum, sub debito et consueto militari servitio, iuribus tamen Curiae et alterius ac Regni Constitutionibus semper salvis, concessit, prout in eius regio privilegio dato apud Castrum Ioannem II^o Octobris XIII^o Inditionis 1299 latius continetur.

Quo quidem Raynaldo de Sano ab intestato decedente, sibi superstitibus Ioanne de Sano et alijs filiis ac heredibus , idem Ioannes de Sano tamquam maior natu predicto patri suo in dicto feudo successit et ab ipso Rege Friderico tertio pro se suisque in perpetuum heredibus, iure Francorum, et cum iurium Curie et alterius reservatione, de eodem feudo confirmationem et investituram obtinuit, sicut in alio regio privilegio dato Messane in anno 1312 hec et alia diffusius exarantur.

Ipsaque Ioanne de Sano absque liberis defuncto, ex eius testamentaria dispositione Nicolaus de Sano eius frater sibi in eodem feudo successit; qui Nicolaus pro se suisque in perpetuum heredibus et successoribus ab ipso Rege Friderico de dicto feudo confirmationem et investituram reportavit, quemadmodum in eius regio privilegio dato Messane in anno 1335 late patet. Mortuo preterea absque filiis dicto Nicolao de Sano, feudum Nisurie antedictum suo cum ultimo testamento eius nepoti Nicolao de Sano de Nichoxia legavit; quam testamentariam institutionem idem Rex Fridericus iuxta formam dicti primi privilegij cum clausula, scilicet, quatenus eadem hereditaria institutio iuste, rite et rationabiliter facta fuit et modo ac sub servitio, Capitulis , conditionibus et clausulis omnibus in privilegio prescripto destinatis etc., acceptavit et confirmavit, ut in alio privilegio seriusus exprimitur.

Postmodum autem eodem Nicolao de Sano nature satisfaciente, ex illius testamentaria dispositione Raynaldus de Sano eius filius primogenitus tunc minor sibi in dicto feudo successit, qui a Serenissimo Rege Ludovico de eodem feudo confirmationem et investituram etiam consecutus fuit cum dicta etiam clausula, quatenus iuste, rite et rationabiliter ipsa hereditaria institutio facta est , iuribus Curie et alterius semper salvis , prout in eius regio privilegio dato Cathanie in anno 1345 hec et alia extensius exarantur.

Obeunte autem sine prole prenominato Raynaldo de Sano iuniore, in ultimis quibus decessit suum condidit testamentum, per quod heredem in dicto feudo Nissurie notarium Matheum de Alexio sive de Sano de

Nichoxia eius consanguineum et affinem instituit. Qui notarius Matheus pro se suisque in perpetuum heredibus et successoribus, iure Francorum, a Serenissimo Rege Friderico eiusdem Regis Ludovici fratre, de dicta hereditaria institutione confirmationem habuit, cum clausula scilicet, sub debito tamen et consueto militari servitio etc., in forma Curie eatenus quatenus predicta hereditaria institutio de iure ac rite processit etc.; sicut in eiusdem Regis Friderici privilegio notato in Regie Cancellarie libro anni 1371 in cartis 56 amplissime demonstratur.

Et nihilominus est recte attendendum, si dictus Matheus de Alexio de veris et legitimis ex dicto Raynaldo de Sano seniore et primo dicti feudi acquirentore descendens fuerat; et si dictus Raynaldus iunior eidem notario Matheo eius consanguineo et affini predictum feudum legare poterat, nam videtur quod talis institutio dicto Notario Matheo de Alexio per dictum Raynaldum de Sano iuniorem facta iusta iuris dispositione non processit, cum enim instituerit dictum eius consanguineum et affinem, talis institutio fieri non potuit, tum quia consanguineus et affinis in feudis in forma stricta constitutis succedere non potest nisi sit de descendens; quod in isto casu non processit, nec reperitur istum fore de dictis descendens, tum quia isto notarius Matheus non fuit nec est de cognomine, et sic ita instituendo talis institutio rite et recte non processit, prout fuit de mente Sacre Regie Maiestatis per dictam clausulam seu confirmationem in dicto privilegio adiectam, per quam etiam non cavetur quod iste notarius Matheus sit de descendens ex linea dicti Raynaldi de Sano senioris primi acquirentis.

Et tandem tempore regiminis Serenissimi Regis Martini et Regine Marie, dictus Notarius Matheus de Alexio contra ipsos Reges rebellionem exercuit; qui Reges ob dictam rebellionem feudum ipsum iudici Petro de Bonsignore et suis heredibus, iure Francorum, sub consueto militari servitio, concesserunt, sicuti in eorum regio privilegio, dato Cathanie in anno 1393, et in Regie Cancellarie libro anni 1392, in cartis 64 notato cerni potest.

Finaliter autem nulla facta mentione de dicto privilegio eidem iudici Petro de Bonsignore concesso, quoddam aliud in ipsa Regia Cancellaria invenitur privilegium ab ipsis Regibus Martino et Maria emanatum et in ipsius Regie Cancellarie libro anni 1399 VIII^o Inditionis in cartis 133 notatum; in quo narratur, quod dictus notarius Matheus de Alexio in ipsa rebellionem multa, ut asseritur, bona condam Ioannis de Marchisio sibi occupavit et funditus destruxit: propter que damna eidem Ioanni de Marchisio illata Ioannes ipse in possessionem dicti

Nissurie feudi immissus fuit. Sed deinde eodem Matheo de Alexio rebelli ac universitate Nicoxie, que etiam in rebellionem persistebat, ad fidelitatem et obedientiam dictorum regum reductis, reges ipsi eidem Matheo de Alexio, qui dicebatur de Sano, pepercit cum restitutione dicti feudi, ut patet in privilegio dicte remissionis Domini Regis Martini, dato Siracensis XI^o Novembris V^e Inditionis 1396, notato in libro Cancellarie dicti anni f.^o 150 ac etiam et alias prefate Universitati offensam ipsam remiserunt.

Volentes tamen dicti Reges, quod dictus Matheus eidem Ioanni de Marchisio damna resarciret, que ad centum septuaginta quinque unciarum summam extimata fuere, et tandem idem Matheus de Alexio tanta remissione et gratia non contentus ingratitude vitio colligatus contra eosdem Reges iterum rebellionem exercuit; ob quam feudum ipsum per Reges predictos Ioanni de Taranto, Logothete et tunc Regie Magne Curie iudici, concessum extitit, ut patet in privilegio dato Cathanie anno 1398, XX^o Iunij VI^e Inditionis notato in libro anni predicti f.^o 101. Dictus vero Ioannes de Marchisio pro dampnis predictis contra eundem Ioannem de Taranto dicti feudi Nissurie possessorem litem movit, asserens ad ipsum Ioannem de Marchisio feudum predictum spectare et sic amicis comunibus intervenientibus, prefati Ioannes de Taranto et Ioannes de Marchisio ad concordiam devenerunt, scilicet, quod predictus Ioannes de Taranto liti cessit cum omnibus iuribus sibi super dicto feudo competentibus, prout de dicta liti et iurium cessione apparere dicitur tenore publici instrumenti celebrati manu notarii Sanctori de Porrecta apud Cathaniam die XXVI^o Novembris VIII^e Inditionis 1399. Ob quod prefati Reges uterque Martinus et Maria feudum Nissurie antedictum prefato Ioanni de Marchisio et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus et in eorum defectu fratribus suis et dictorum fratrum suorum liberis successive imperpetuum, more Francorum, sub debito et consueto militari servitio, confirmarunt et de novo concesserunt, Constitutionibus tamen Domini Regis Iacobi iuribusque Curie et alterius semper salvis, quemadmodum in privilegio dictorum dominorum Regum dato Cathanie XXVIII^o May VIII^e Inditionis 1400 late patet, quod privilegium in Cancellaria non invenitur.

Et tandem dicto Ioanne de Marchisio defuncto, nullis relictis de suo corpore filiis legitimis, sibi in dicto Nissurie feudo quondam Sallimbenius de Marchisio legum doctor et huius Sicilie Regni prothonotarius, ipsius Ioannis de Marchisio frater, dicti regii privilegii vigore successit. Qui quidem Sallimbenius de Marchisio de dicto feudo a Vice-rege, qui tunc erat, pro se et suis heredibus de suo corpore legitime

descendentibus ut supra, investituram cum inserto tenore dicti privilegii, datam in Castro Ioanne XVIII^o Iulij IX^o Inditionis 1431, et in Regie Cancellarie libro anni 1430 in cartis 267 notatam, obtinuit.

Quo quidem Sallimbenio de Marchisio ab hac luce sublato, sibi tam in dicto Nissurie feudo quam in alijs successionibus, puta terre Scalecte et foreste de Trayna ac prenominatorum feudorum Castellucij et Churca, Marchisius Sallimbenius de Marchisio, prefati Sallimbenii doctoris et protonotharij nepos, successit. Qui Marchisius Sallimbenius de Marchisio de dicto feudo a Vicerege, qui tunc erat, pro se et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus, iure Francorum, investituram consecutus est, datam Cathanie XIV^o Martij X^o Inditionis 1431 notatam in libro dicti anni f.^o 187.

Et tamen in ipsa investitura nulla fit mentio de nomine et cognomine patris ipsius Marchisii Sallimbenii de Marchisio; nam certi iuris est, quod dictus pater eiusdem Marchisij debebat esse filius legitimus et naturalis prenominati Sallimbenii de Marchisio senioris doctoris et protonotharij ut supra, cui pater dicti Marchisij si eiusdem Sallimbenii senioris filius fuit, tali casu virtute dicti privilegii dictorum dominorum regum utriusque Martini et Marie prefatus Marchisius legitime in omnibus dictis feudis succedere potuisset. Verum si non demonstraretur, et non constaret prefatum Sallimbenium de Marchisio seniore doctorem et prothonotarium filios legitimos et naturales de suo corpore legitime descendentes habuisse, esset luce clarius, quod actenta forma stricta data in dicto privilegio dictorum dominorum Regum utriusque Martini et Marie prefatus Marchisius in dictis feudis succedere non potuisset, immo feudum Nissurie antedictum cum omnibus alijs esset Regie Curie apertum et devolutum. Quapropter valde miror quam ex causa Vicerex, qui tunc erat, ceterique officiales, qui prefato Marchisio Sallimbenio de Marchisio ita oculis clausis hoc non advertentes investituram predictam concessere; quamobrem in eadem mea opinione persevero, credens prefatum Sallimbenium de Marchisio seniore doctorem et protonotharium primum acquisite filios legitimos et naturales de suo corpore legitime descendentes non procreasse, nisi naturales tantum.

Defuncto exinde predicto Marchisio Sallimbenio de Marchisio, successit sibi in dicto Nissurie feudo Ioannes Sallimbenius de Marchisio eius filius legitimus et naturalis, qui de feudo ipso pro se et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus, more Francorum, sub debito militari servitio, a condam Don Lop Ximen Durrea tunc in Regno prorege Investituram habuit, datam Panormi XX^o Iunii prime inditionis anni 1453, notatam in libro investiturarum dicti anni II^o Inditionis f.^o 165.



Decedente autem prenominato Ioanne Sallimbenio de Marchisio, successit sibi in eodem Nissurie feudo Sallimbenius de Marchisio eius filius legitimus et naturalis, qui de feudo predicto a Reverendissimo Domino Ioanne de Paternione Panormitano Archiepiscopo, tunc in regno Preside, investituram adeptus est die XV^o Decembris X^e Inditionis 1506 notatam in libro dicti anni in cartis f.^o 302.

Et in presentiarum, currente anno 1510, predictum Nissurie feudum per prefatum Sallimbenium de Marchisio possidetur, quod anno quolibet reddit ultra uncias

De feudo Gallici

Gallici feudum in terrae Castri Ioannis Siciliae ultra farum Regni territorio iuxta Cundronis et Caropipi feuda situm et positum, per quemdam Nicolaum de Branchifortibus antiquitus, ut asseritur, possessum fuit. Quo tamen pacto ad illius manus pervenerit nullus apparet titulus, nullumque invenitur privilegium, ob quod nullam dare valeo causam sive rationem quomodo ad eum pervenerit et a sacro regio demanio abstractum fuerit et segregatum.

Revolutis itaque et per me diligentissime perquisitis et examinatis Regie Cancellarie antiquis codicibus et modernis ad videndum si dicti Gallici feudi aliquis titulus inveniretur, nullum tamen feudi ipsius titulum inveni.

Perquisito per me etiam quinam ex dictorum de Branchifortibus prosapia primus fuerit, quique eidem nominis legitimi successoris, ut aliqua haberetur notitia, quomodo feudum Gallici predictum ipsi de Branchifortibus possederint, inveni tandem ex dicta de Branchifortibus progenie quemdam Stephanum de Branchifortibus antiquiorem fuisse et pro matrimonio inter Raphaellem de Branchifortibus ipsius Stephani filium ex una et Gratianam filiam Calcerandi de Villanova casalis et feudi Mazarini tunc asserti baronis parte ex altera contracto; nec non et pro precio unciarum mille et octingentarum, Stephanum ipsum et Raphaellem de Branchifortibus patrem et filium casale Mazarini predictum cum feudis Brachalechi et Gibelsen habuisse, quamquidem venditionem seu matrimonii contractionem dominus Rex Fridericus in anno 1324 exinde acceptavit et confirmavit.

Ex prefatis postmodum Raphaelae et Gratiana iugalibus natus et procreatus extitit Federicus de Branchifortibus, qui prefatis eius parentibus successit.

Ipsaque Federico de Branchifortibus defuncto, successit sibi Nicholaus de Branchifortibus eius filius. Quo quidem Nicholao de Branchifortibus decedente, Federicus de Branchifortibus, ipsius Nicholai et Iacobe iugalium filius, successit.

Mortuo exinde eodem Federico, Nicholaus de Branchifortibus dicti Federici filius sibi successit.

Qui quidem omnes de Branchifortibus privilegium de dicto Mazarenis casali et feudis Brayhalechi et Gibelsen habuerunt et de rege in regem ob eorum antecessorum mortem investituras de eis more solito successive obtinuerunt: in nulla tamen predictarum investiturarum dictum Gallici feudum nominatur ipsique de Branchifortibus minus dicere possunt nullum habere privilegium, nam tempore primi dictarum rerum feudalium acquisite usque ad presens omnes dicte Regie Cancellarie codices in esse reperiuntur. Nihilominus, quicquid sit, in anno 1417, quo tempore dominus Rex Alfonsus imperabat, quidam ex dictis Federici de Branchifortibus, condam scilicet Nicholai de Branchifortibus filius, qui Nicholaus primi Federici filius fuerat, asserendo tunc viceregibus, quod condam Federicus de Branchifortibus eius avus dictum Gallici feudum tenuit et possedit, quodque ipso Federico defuncto successit ei Nicolaus de Branchifortibus eius filius et ipsius Federici exponentis pater, quodque prefato Nicholao e vita migrante ipse Federicus de Branchifortibus exponens eiusdem Nicholai filius successit, iuramentoque affirmando quod propter bellorum discrimina in regno successa titulum seu privilegium dicti Gallici feudi amiserat; pro se suisque heredibus, iure Francorum, a Viceregibus, qui tunc in regno preerant, de ipso Gallici feudo cum iurium Regie Curie et Constitutionum domini Regis Iacobi reservatione investituram obtinuit.

Exinde autem in anno 1453 prime Inditionis prefato Federico de Branchifortibus posteriori vita functo, Ioannes de Branchifortibus eiusdem Federici filius a Don Lop Ximen Durrea, tunc in regno prorege, de dicto Gallici feudo investituram assecutus est, que in libro dicti anni in prima carta notata et registrata reperitur.

Et propterea non parum mirari contingit quam ratione ductus idem Federicus tale prestiterit iuramentum, videlicet se privilegium antedictum perdidisse, actento quod, ut predicatur, codices et registri dicte Regie Cancellarie a tempore primi Stephani et Raphaelis de Branchifortibus usque ad presens in ipsa Regia Cancellaria in esse integri-

ter reperiantur et in illis de ipso Gallici feudo nullom appareat privilegium.

Tantoque magis mirandum est quod, ut predicitur, primi dictorum feudorum acquirentes de Branchifortibus fuerunt Stephanus et Raphael de Branchifortibus, pater et filius, in anno scilicet 1324, et a dicto tempore usque ad annum 1417 anni nonaginta tres intersunt, omnesque prenominati de Branchifortibus per rectam lineam dictorum priorum acquirentium descenderunt et tamen illorum nullus invenitur, qui de dicto feudo privilegium habuerit et de illo investituram acceperit.

Ecce quod in anno 1392 quoddam a dominis Regibus utroque Martino et domina Regina Maria apparet emanatum privilegium in libro dicti anni registratum in cartis 63, per quod dicti domini Reges et Regina cuidam notario Antonio de Calcaterra de Castri Ioannis terra suisque heredibus de suo corpore legitime descendantibus iure Francorum et sub consueto militari servicio feudum Gallici predictum concesserunt. Quo quidem in privilegio verba infrascripta notata sunt, videlicet: tenore presentis feudum vocatum Gallici, situm et positum in territorio Castri Ioannis, iuxta feudum Cundronis, prope feudum Carupipi et alios eius confines, quod fuit Nicholay de Branchifortibus nostrarum Maiestatum proditoris et rebellis et ob proditoris et rebellionis crimen per eum commissum ad nos seu fiscum Curie Nostre devolutum seu etiam confiscatum, de liberalitate mera munifica et speciali gratia ac certa nostra scientia, vobis dicto notario Anthonio et vestris heredibus a vestro corpore legitime descendantibus in perpetuum concedimus et donamus etc.

Quomodo ergo possibile est, quod feudum Gallici sepedictum in posse dicti Federici de Branchifortibus, ut descendantis a dicto Nicholao asserto rebellis, devenerit? nam recognitis dicte Regie Cancellarie registris ad effectum ut inveniretur si forte dictus Nicholaus, qui rebellis dictus est, aliquo unquam tempore remissionem dicte sue rebellionis et in integrum restitutionem assecutus fuisset et tandem nulla remissio aut in integrum restitutio inventa est neque reperitur; et propterea ad maiorem veritatis dilucidationem a nonnullis fidedignis personis, civibus et oriundis a dicta Castri Ioannis terra, unde dictus notarius Antonius Calcaterra ortum habuit, percipere et intelligere volui, si in presentiarum in dicto Castri Ioannis terra aliquis appareret ex prefati notarii Anthonii Calcaterra descendantibus et successoribus et mihi relationem fecerunt quod ad presens nullus huiusmodi cognominis de Calcaterra invenitur: quo casu, forma dicti feudi strictissima more Francorum concessa prefato notario Anthonio

Calcaterra attencta, ipsius notarii Antonii prosapia deficiente legitimisque successoribus, feudum ipsum Gallici sacro regio demanio apertum fuisset. Quibus ex causis essem opinionis, quod dictus Federicus de Branchifortibus a prefato Nicholao de Branchifortibus, qui rebellis appellatus est, descendens, sub silentio preteriens que per me superius enarrata sunt, sub antique possessionis colore ante predictam rebellionem dictum feudum sibi occupavit, linea dicti notharii Antonij de Calcaterra presertim deficiente. Nam si quis ex dicti notarii Anthonij Calcaterra successoribus apparuisset vel appareret, feudum Gallici predictum in vim dicti privilegii dictorum dominorum Regum utriusque Martini et Regine Marie ad prefatos successores dicti notharii Anthonii pertineret, nisi prefata remissio et in integrum restitucio cum dicti privilegii eiusdem notarii Anthonij revocatione demonstraretur, sed quia nulla remissio et in integrum restitucio Nicholao de Branchifortibus facta invenitur, minusque apparent descendentes aliqui de Calcaterra, michi videtur quod omnino Regia Curia dictum feudum de iure sibi revocare posset.

Et ad continuatam istorum de Branchifortibus genelogiam redeundo, dico, quod mortuo prefato Nicholao de Branchifortibus, in dicto Casali Mazareni et feudis aliis Ioannes de Branchifortibus illius filius sibi successit. Qui Ioannes in anno 1453 II^e Inditionis de dicto Casali Mazareni et alijs feudis, a tunc presidentibus, investituram habuit, ut in libro dicti anni in cartis 621 late patet.

Et nihilominus in dicta investitura minus nominatur feudum predictum Gallici nec de illo aliqua apparet capta investitura.

Quo quidem Ioanne de Branchifortibus e vita migrante, successit sibi Nicholaus Melchior de Branchifortibus eius filius, qui de dicto Gallici feudo investituram a tunc viceregibus vigore simplicis note et absque alicuius privilegii insertione obtinuit, que data fuit XVIII^o Octobris, III^e Inditionis 1460, notata in libro iuramentorum feudalium in cartis 190.

Et sic tam propter allegata quam per non captas investituras Regie Curie ius clarissime demonstratur.

Noviter autem prefatus Nicholaus Melchior de Branchifortibus nature satisfecit, cui quidem Nicholao Melchiori successit Ioannes de Branchifortibus eius filius in omnibus feudalibus, qui de dicto Gallici feudo a Don Ugone de Montecatheno, in presentiarum regni prorege, ultimo Ianuarij XIII^e Inditionis 1510 investituram pro se et heredibus suis, iure Francorum, sub consueto militari servicio, iuribus curie semper salvis, obtinuit notatam in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 306, sicut in illa continetur.

In presentiarum autem, anno 1510 currente, dictum Gallici feudum per prelibatum Ioannem de Branchifortibus possidetur et reddit annis singulis CXXV.

Exinde vero dictum Gallici feudum fuit per dictum Ioannem de Branchifortibus comitem, in vim viceregie licentie date Messane III^o Maij, XV^o Inditionis 1512, carta gratie quandocumque reddimendi venditum domino Petro de Gregorijs legum doctori pro florenis sex millibus septigentis quinquaginta et sic per eundem dominum Petrum de Gregorijs a Don Ugone de Moncada moderno prorege obtenta fuit de dicto Gallici feudo investitura die V^o Maij, XV^o Inditionis 1522, notata in libro Cancellarie dicti anni in cartis 281.

Et in presentiarum, currente dicto anno 1512, feudum ipsum Gallici per eundem Dominum Petrum de Gregorijs possidetur, qui cepit etiam investituram de dicto feudo ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis a dicto Vicerege XVIII^o Iulii, III^o Inditionis, notata in libro Cancellarie dicti anni folio VI^o et iuravit reddere tantundem CXXV.

Feudum li Cugni di Incumbau

Feudum nuncupatum li Cugni d'Incumbau in valle Nothi Sicilie ultra farum Regni existens, quo titulo in posse Margarite filie condam Ioannis de Podio et uxoris Anthonii de Platamone legum doctoris nuper defuncte, devenerit, nullam dare valeo rationem. Verum ad presens Franciscus de Platamone ipsius condam Margarite filius comparens et de dicto feudo investituram exposcens, nonnulla privilegia et scripturas in Regie Cancellarie officio presentavit, per quas eius antecessores de dicto feudo investituram obtinuerant, et tandem quoddam Domini Regis Federici Tertii porrexit privilegium, datum apud terram Castri Ioannis XIII^o Augusti, XIII^o Inditionis 1500, per quod condam Combaldo de Podio et suis in perpetuum heredibus, more Francorum, sub consueto militari servicio, omnia bona stabilia, feudalia et burgensatica in terra et territorio Nothi posita, cum omnibus eorum iuribus et pertinencijs, videlicet, que sunt de demanio in demanium et que de servitio in servitium, que quondam Diaterne de Aspello et Ioannis de Aspello fuerant, dummodo bona ipsa nemini

elargita fuissent, concessa fuerunt, quemadmodum in ipsius Domini Regis Federici Tertii privilegio diffusius continetur.

Exinde vero (ut percaepi) defuncto dicto Combaldo de Podio, Anthonius de Podio eius filius eisdem in bonis sibi successit et nihilominus de dictorum bonorum possessione per dictum Antonium capta nulla apparet scriptura.

Deficiente autem prefato Antonio de Podjo, successit sibi in eisdem bonis Ioannes de Podio eius filius, qui de dicti Domini Federici Regis privilegio, iuxta sui seriem et tenorem, ac si et prout eodem privilegio usus fuerat et bona ipsa quatenus iuste et legitime melius possederat a Vicerege, qui tunc erat in regno, investituram et confirmationem pro se suisque in perpetuum heredibus, more Francorum, sub consueto militari servitio, Constitutionibus Domini Regis Iacobi aliorumque retro regum iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, assecutus est, prout in viceregia confirmatione data Catanie XXIII^o Augusti, XI^o Inditionis 1418, apparet. Et tamen in dicti domini Regis Federici privilegio et viceregia provisione confirmationis dicti privilegii nomina ipsorum bonorum et feudi di li Cugni antedicti non expressantur.

Prefato vero Joanne de Podio sine filiis masculis nature satisfaciente, masculorum filiorum defectu successit sibi prenominata Margarita eius filia legitima et naturalis, que a don Lop Ximen Durrea, tunc in Regno Prorege, predicti feudi di li Cugni confirmationem et investituram cum inserto tenore omnium predictorum privilegiorum obtinuit sub his verbis, scilicet: Et nobis humiliter supplicavit, quod cum condam Ioannes de Podio, in personam cuius preinsertum privilegium extitit celebratum, donec vixerit, tenuerit et possederit dictum feudum etc. Et tamen, ut predixi, in ipsis titulis et scripturis feudum predictum non nominatur nisi bona mobilia, stabilia, feudalia et burgensatica, que fuerunt Diaterne et Ioannis de Aspello; nihilominus valde miror, quod cum feudum ipsum aliqua in parte non exprimeretur, dictus Vicerex de illo investituram concesserit, dicendo, dum vixerit, tenuerit et possederit dictum feudum etc. Nam verba hec, scilicet dictum feudum, important feudum ipsum nominatum fuisse et nihilominus non nominatur; tandem prefata Margarita pro se suisque in perpetuum heredibus, more Francorum, de dicto feudo li Cugni ob solam informationem, quod illud in vim tituli possederat, investituram reportavit.

Miror preterea dicta bona prefatorum rebellium multa fuisse et non unum tantum feudum et in investitura per dictam Margaritam capta nullam de aliis bonis feudalibus, nisi de illo tantum feudo men-

tionem factam fuisse, prout in ipsa viceregia investitura, in qua Curiae iura reservantur, data Panormi V^o Iulij prime Inditionis 1453, in libro anni predicti in cartis 404 notata, continetur.

Que quidem Margarita dicto Antonio de Platamone matrimonio copulata extitit, qui iugales dum vitam in humanis duxerunt, feudum di li Cugni antedictum in vim prefate investiture tenuerunt et possederunt.

Defuncta postremo antedicta Margarita, successit sibi Franciscus de Platamone eius filius legitimus et naturalis primogenitus, qui pro se et suis heredibus et successoribus iure Francorum a Don Ugone de Moncada, in Regno Prorege, investituram obtinuit die VII^o Februarii, XIV^o Inditionis 1511, notatam in libro anni 1510, in cartis 331.

In presentiarum autem currente dicto anno 1511, predicta feuda per eundem Franciscum de Platamone possidentur, que annis singulis reddunt uncias CC.

Et ultra dictus Franciscus ob mortem Domini Regis Ferdinandi a don Ioanne de Luna presidente de dicto feudo li Cugni d'Incumbao seu li Salini cepit investituram die XII^o Ianuarii V^o Inditionis 1517, notatam in libro anni 1516, f^o 430. Et iuravit reddere uncias centum quinquaginta et ideo advertatur ad iuramentum factum contra primum.

Feudum li Savini.

Feudum nuncupatum li Savini, in valle Nothi huiusmodi Sicilie ultra farum Regni et in territorio dicte terre positum, per condam Pachitum de Girigia de Siracusa antiquitus possidebatur: quomodo tamen in illius posse devenerit, nullus in Regia Cancellaria titulus apparet. Tandem prefatus Pachitus dictum Savini feudum pretio unciarum centum quadraginta condam Gombaldo de Podio et suis in perpetuum heredibus sub militari servitio vendidit, onere et alijs clausulis et cautelis in publico dicte venditionis contractu contentis, celebrato in actis notarij Nicolay Carubeni de Notho olim die XI^o Ianuarii VIII^o Inditionis 1340. Quem venditionis dicti feudi contractum dominus Rex Petrus secundus prefato Combaldo de Podio et suis in perpetuum here-

dibus et successoribus more Francorum sub consueto militari servitio ratificavit et confirmavit cum clausula, scilicet; quatenus dicta venditio iuste rite et rationabiliter facta extitit etc., et cum iurium Regie Curie et alterius ac Constitutionum domini Regis Iacobi aliorumque retroregum reservatione, quemadmodum in privilegio cum inserto tenore dicti contractus per dictum dominum Regem Petrum concessio, dato die ultimo Ianuarii IX^o indictionis 1340, diffusius continetur.

Decedente tamen prefato Combaldo de Podio, successit sibi in dicto feudo Anthonius de Podio eius filius, qui de feudo ipso investituram non reportavit, et propterea nullam dare valeo rationem an dictus Antonius prefati Combaldi filius fuerit.

Quo Anthonio de Podio defuncto, successit sibi in dicto feudo Ioannes de Podio eius filius legitimus et naturalis, qui pro se suisque in perpetuum heredibus more Francorum, ut supra, a tunc viceregibus de dicto feudo iuxta formam privilegii dicti domini Regis Petri, cum iuribus et reservationibus in illo contentis ac iuribus Regie Curie et aliorum ac Regni Constitutionibus semper salvis, investituram et confirmationem consecutus est, datam Cathanie XVI^o Augusti XI^o Inditionis 1418, prout in illa continetur.

Mortuo vero dicto Ioanne de Podio sine filiis masculis, ipsorum masculorum defectu successit sibi in dicto feudo Margarita eius filia legitima et naturalis, que pro se suisque in perpetuum heredibus more Francorum sub debito militari servitio et cum iurium Curie reservatione a Don Ximen Durrea, tunc in Regno Prorege, investituram cum inserto tenore omnium predictorum privilegiorum et eiusmodi venditionis contractus tandem reportavit, datam Iulii prime inditionis 1453, notatam in libro dicti anni in cartis 408.

Que quidem Margarita Anthonio de Platamone legum doctore nupsit, cum quo nonnullos procreavit filios et tandem in dicti Savini feudo sibi successit Franciscus de Platamone dictorum iugalium filius legitimus et naturalis, per quem dictum feudum possidetur.

Qui Franciscus de Platamone in presentiarum, currente anno 1511, a Don Ugone de Montecatheno Prorege de dicto feudo li Savini pro se suisque in perpetuum heredibus et successoribus more Francorum sub consueto militari servitio, investituram obtinuit die VII^o Februarij dicti anni 1510 XIV^o Inditionis fol. 331, quod feudum anno quolibet reddit uncias

Et pro eadem quantitate officialium iura persolvit, que investitura in Regie Cancellarie libro anni 1510 in cartis 201 descripta est.

Allegatio feudi di li Savini.

Feudum antedictum di li Savini recte et iuste in posse dicti Francisci de Platamone illud ad presens possidentis devenit et propterea in contrarium nil aliud invenio, nisi tantum quod verum titulum ignoro, per quem prefatus Pachictus la Girigia feudum predictum detinebat; si tamen possessor ad edendum tenetur nec ne, ad iuris dispositionem me refero. Nihilominus advertendum est ad verba dicti Domini Regis Petri secundi in sua regia confirmatione contenta, scilicet: quatenus iuste, rite et rationabiliter facta extitit. Nam viso dicti Pachiti venditoris titulo, attendetur ad formam quomodo feudum ipsum li Savini prefatus Pachictus tenebat et qua ratione illud alienare poterat.

Feuda

Chandicactini Bachalveti li Baruni et

La fontana di la Mortilla

Quatuor feuda scilicet Chandicactini, Racalveti, li Baruni et la Fontana di la Murtilla in valle Nothi Sicilie ultra Farum Regni existentia, per condam Violantem relictam condam Thomasij Capichij Siracusane Civitatis antiquitus possidebantur, quae quomodo in illius manibus devenerint nullus apparet titulus. Tamen quomodocumque sit prefata Violans de omnibus dictis feudis condam Pandolfine Capichi eius filie, prius uxori Francisci de Mohac, et exinde Bartholomeij de Altavilla de Corleono tunc Magne Regie Curie Iudicis et suis in perpetuum heredibus et successoribus donationem fecit inter vivos irrevocabilem per Magnam Regiam Curiam insinuatam, quemadmodum in quodam donationis contractu manu notarij Thomasij de Balena de Siracusa. celebrato die XIV^o Augusti XIII^o Inditionis 1375 continetur. Quam quidem donationem dominus Rex Fidericus prefate

Pandolfine et suis in perpetuum heredibus et successoribus iure Francorum, sub debito militari servitio, Constitutionibus domini Regis Jacobi aliorumque retro regum super feudalibus editis ac iuribus Regie Curie et alterius cuiuslibet semper salvis, acceptavit et confirmavit, prout in ipsius domini Regis Federici privilegio cum inserto tenore de verbo ad verbum dicti contractus dato Siracensis XII^o Decembris XIV^o Inditionis 1375 et notato in libro dicti anni 1375-1343 (*sic*) in cartis 252, de huiusmodi regia confirmatione serius exaratur.

Prefata tandem Pandolfina Capichj uxor dicti Bartholomei de Altavilla ad mortem deveniens nullis relictis filiis de suo corpore legitime descendentibus, in ultimis quibus decessit, suum condidit testamentum manu notarij Andree de Agla celebratum die X^o Iulii VIII^o Inditionis 1385, per quod testamentum prefata Pandolfina pro eius anime exoneratione certam pecuniarum summam ad pias causas legavit et alia legata constituit ac prefatam Violantem eius matrem, que de dictis feudis ipsi Pandolfine donationem fecerat, ut dictum est, in quadam pecuniarum quantitate heredem instituit nec non et eundem Bartholomeum de Altavilla eius virum a certis pecunijs et aliis rebus de dotibus suis quietavit, liberavit et penitus absolvit. Mandavitque etiam dicta Pandolfina testatrix, quod testamentaria voluntas Francisci de Mohac eius primi viri iuxta formam sui testamenti, in quo Franciscus prefatus ipsam Pandolfinam eius uxorem in bonis suis heredem instituerat, ad unguem observaretur et ad effectum totalem perduceretur aliaque quamplurima Pandolfina ipsa suo cum testamento disponens eius fideicommissarios et dicti sui testamenti executores Episcopum Siracusanum et guardianum Sancti Francisci de Siracensis ac prefatum Bartholomeum eius virum instituit et ordinavit, quibus plenariam contulit potestatem intrandi, capiendi, vendendi et alienandi bona ipsius testatrix tam mobilia, stabilia et paganica, quam feudalina precio quo melius possent et de ipso precio satisfaciendi omnia et singula in dicto suo testamento disposita et ordinata ac etiam que in testamento dicti Francisci Mohac eius primi viri continetur, sub qua quidem dispositione Pandolfina ipsa diem suum clausit extremum.

Exinde vero prefatus Bartholomeus de Altavilla legum doctor coram domino Martino duce Montis Albi etc. tunc pro se et dominis Rege Martino et Regina Maria regente comparendo exposuit, quod ipse Bartholomeus, tamquam fideicommissarius et executor testamenti dicte Pandolfine eius uxoris, omnia legata in dicto testamento contenta de eius propria pecunia adimplevit, immo et alias testamen-

tarias dispositiones dicte eius uxoris in dicto testamento declaratas efficaciter executus fuit, animo tamen et intencione repetendi pecuniam suam super rebus et bonis eiusdem eius uxoris testatricis, asserendo demum de bonis ipsius testatricis nil aliud apparere pro satisfaciendo dicta legata ac etiam debitum unciarum ducentarum quinquaginta quatuor per ipsum iudicem Bartholomeum quondam Ansaldo Campulo de Siraculis solutarum, pro quibus feuda predicta ipse Ansaldo in pignus detinebat, nisi tantum hec tria feuda, scilicet Chandicactini, li Baruni et Rachalveti, nam feudum di la Fontana di la Mortilla ipsa Pandolfina testatrix sorori Lucie moniali eius sorori donaverat.

Cumque etiam dictus Bartholomeus de Altavilla prefato domino duci Martino asseruisset propter bellorum discrimina ipsa feuda vendi non posse, nec modo aliquo alienari, exprobrassetque (*sic*) predicto domino duci nulla (*sic*) servicia per eum Regijs Maiestatibus prestita tam in regno Sicilie quam extra in romana Curia pro tractatione pacis cum regina Ioanna et in partibus Cathalonie pro matrimonijs domine Regine Leonore cum domino Petro Aragonum rege et Regine Constanicie cum domino Federico Sicilie Rege et in aliis mundi partibus ad ipsius Bartholomei de Altavilla supplicationem, rebus predictis actentis, dictus dominus Rex Martinus prefato Bartholomeo et suis in perpetuum heredibus et successoribus, sub consueto militari servitio, iure Francorum, ac cum iurium Regie Curie et alterius nec non constitutionum domini Regis Iacobi aliorumque retroregum reservacione, predicta tria feuda, scilicet Chandicactini, li Baruni et Rachalveti concessit et donavit, quemadmodum in ipsius domini ducis Martini privilegio dato Cathanie 1^o Augusti 1^o Inditionis 1393, notato in libro anni 1392, in cartis 104, seriusus continetur.

Exinde vero expositum fuit quod dicto Bartholomeo de Altavilla defuncto fideicommissarii et executores testamentorum et ultimarum voluntatum tam dicti Bartholomei de Altavilla, quam prefate Pandolfine iugalium, feudum Chandicactini antedictum, unum ex prenominitis quatuor feudis, Guarnuchio de Ala civi Cathanie pro precio unciarum centum quinquaginta vendiderunt, prout in quoddam vendicionis contractu manu notharii Laurencii de Noto celebrato in anno 1403 contineri asseritur. De qua quidem vendicione non parva in me insurrexit admiratio, nam si dictum Chandicactini feudum una cum alijs feudis dictus dominus dux Martinus prefato Bartholomeo de Altavilla post mortem predictae Pandolfine eius uxoris, sub illo quesito colore, quod de proprio legata ipsius Pandolfine solverat, concessit, quod opus erat quod fideicommissarii tam ipsius iudicis

Bartholomei, quam prefate Pandolfine, coniunctim feudum predictum Chandicactini prenominato Guarnuchio de Ala venderent, si tamen fideicommissarii dicte Pandolfine ob novam concessionem per dictum dominum ducem Martinum prefato iudici Bartholomeo de dictis feudis pro eius servicijs dictis dominis regalibus prestitis factam nullam in feudo predicto ius habebant. Tamen quicquid sit, defuncto prefato Guarnuchio de Ala, predictum Chandicactini feudum in posse Agathe prefati Guarnuchii uxoris devenit et tamen non invenio ipsam absque dicti viri sui interventu, aut simul et in solidum cum eo dictum feudum emisse, aut quo iure ad illam pervenerit; immo in narrativa sive expositione dicti contractus facti manu dicti notarij Laurencij de Notho in anno 1403 affirmatur predictum feudum per fideicommissarios dicti Bartholomei de Altavilla et Pandolfine eius uxoris prefato Guarnuchio de Ala venditum fuisse et non predictae Agathe illius uxori. Que quidem Agatha tandem, dicto Guarnuchio eius viro defuncto, prenominatum Chandicactini feudum in dotem et dotis nomine Allegrancie eius filie, que Ioanni de Castello nupsit, donavit et tradidit et tamen non declaratur si dicta Allegrancia erat filia dicti Guarnuchij et Agathe iugalium. Verum in narrativa sive expositione alterius contractus facti manu eiusdem Laurentii de Notho exponitur dictum feudum per ipsam Agatham tunc uxorem dicti Guarnuchij emptum fuisse, in qua emptione dictus Guarnuchius in nihilo nominatur et sic due videtur esse contradictiones, una videlicet, quia dicitur prefatum Guarnuchium feudum antedictum a fideicommissariis predictis emisse, altera vero quia, mortuo dicto Guarnuchio, verbo dicitur prefatam Agatham antedictum feudum emisse, nulla facta mentione de consensu sive interventione dicti Guarnuchii viri sui: tandem quomodocunque sit, post dicti Guarnuchii obitum dicta Agatha tamquam ipsum feudum possidens de illo prefatam Allegranciam eius filiam predicto Ioanni de Castello nuptam dotavit, cum conditione scilicet quod filii ex dicto matrimonio provenientes in dicto feudo succederent et casu quo mater premoriretur remanentibus filiis et ipsi filii sine liberis de eorum corpore legitime descendentibus decederent et feudum de iure determinaretur ad patrem filiorum premortuorum spectare, eo casu dictus pater filiorum mortuorum deberet et teneretur heredibus dicte Allegrancie uncias centum restituere.

Dum autem prefati Ioannes de Castello et Allegrancia iugales feudum predictum tenerent, exinde illud cum consensu dicte Agathe ipsius Allegrancie matris pro uncijs quadringentis et quatuor magistro Perruchio de Daniele cirurgico de Notho et suis in perpetuum heredibus et successoribus vendiderunt, cum decreto tamen magne

regie Curie et cum revocatione omnium pactorum et conditionum in dicto dotalicio contractu contentorum, actento quod ultra dimidiam dicti precii vendebatur pro dicte dotis melioratione et augmento, prout in quoddam publico contractu manu Laurentii de Notho celebrato in anno 1413, XVIII^o Octobris VII^e Inditionis hec et alia, que brevitatis causa obmicto, continentur. Quam quidem feudi venditionem dominus Rex Ferdinandus seu vicereus, qui tunc erat in regno, prenominate magistro Perruchio de Daniele et suis in perpetuum heredibus et successoribus, iure Francorum, sub debito et consueto militari servicio et cum iurium Regie Curie et alterius ac Constitutionum domini Regis Iacobi reservacione, ratificavit et confirmavit, prout in provisione dicte confirmationis data Cathanie XVII^o Ianuarij VIII^e Inditionis 1414 diffusius enarratur. Tandem vero prefatus magister Perruchius de Daniele de dicto feudo a Don Lop Ximen Durrea, tunc in regno prorege, investituram pro se suisque in perpetuum heredibus et successoribus iure Francorum, cum reservacione iurium curie et alterius ac Constitutionum et regni Capitulorum, consecutus est, prout in dicta investitura, cum inserto tenore omnium predictorum contractuum et privilegiorum, data Panhormi XII^o Julij I^e Inditionis 1453, notata in libro dicti anni in cartis 350, late patet.

Quo quidem magistro Perruchio de Daniele defuncto, predictum Chandicactini feudum in Gulielmi de Daniele posse pervenit, qui iuramentum vassallagii tantum in manibus Bernardi de Requesens tunc in regno proregis prestitit die XVIII^o Octobris XII^e Inditionis 1463, notatum in libro dicti anni in cartis 37. Et nihilominus predictus Gulielmus de Daniele unde descenderat, vel si filius aut successor dicti magistri Perruchii fuerat, tacuit et non expressit.

Et mortuo dicto Gulielmo de Daniele, successit sibi in dicto Chandicactini feudo Petrus Ioannes Vincentius de Daniele eius filius, qui a don Ugone de Motecatheno in regno prorege pro se et suis heredibus more Francorum cum iurium curie reservacione de dicto feudo investituram obtinuit die V^o Decembris XIII^e Inditionis 1510, notatam in libro dicti anni in cartis 281.

Hodie vero, dicto anno 1511 currente, feudum Chandicactini predictum per eundem Petrum Ioannem Vincencium de Daniele possidetur, quod annis singulis reddit uncias LXXX.

Et pro eadem summa Curie officialium iura persolvit. Dictus vero Perius Ioannes Vincentius Danieli de dicto feudo Chandicactini ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi a don Ioanne de Luna preside cepit investituram die XVIII^o Ianuarij V^o Inditionis, notatam in libro anni 1516 f.º 454, et Franciscus de Parisio eius procurator iuravit reddere tantumdem.

De reliquis autem duobus feudis Rachalveti scilicet et la Fontana di la Mortilla dico nullum in Regia Cancellaria privilegium sive investituram inveniri, minusque si feuda eadem per prenominatam Pandolfinam vel Bartholomeum de Altavilla iugales vendita et alienata fuere, preterea non invenitur quis in presentiarum ipsa duo feuda possideat. Quapropter videndum est qui illorum sint possessores ut eorum possessionis titulum edere debeant pro Curie cautela.

Baruni feudum

De feudo autem li Baruni nuncupato, in valle et territorio Nothi versus maritimam, secus feudum Burgii et feudum Maccari ac feudum Sancti Laurentii et alios confines posito, inveni unam medietatem comuniter pro indiviso per ecclesiam hospitalis dominice ascensionis Cathanie, aliam autem medietatem etiam comuniter pro indiviso per Episcopum et Capitulum maioris Siracusane Sedis, de quibus non reperitur in Cancellaria titulus, fuisse possessas. Tandem Corradus de Castellis et Ximenius de Lerida milites Cives Cathanienses tanquam rectores, gubernatores et administratores dicti hospitalis ac illius bonorum feudalium et burgensaticorum, cum potestate et auctoritate illa vendendi, ut dixerunt, et alienandi tam pro eis dictis nominibus quam nomine et pro parte Iacobi Denti legum doctoris, eorum in dicta rectoria gubernacione et administracione consocij, pro quo de rato promiserunt pro medietate dicti feudi prefato hospitali contingenti, quam etiam nomini et pro parte dictorum Episcopi et Siracusani Capituli pro alia eorum medietate totum dictum feudum li Baruni Ioanni de Ugone habitatori terre Nothi suisque imperpetuum heredibus cum omnibus eius iuribus et pertinencis, pro precio unciarum septuaginta quatuor, cum illud vendendi et aliter quovis modo alienandi, vendiderunt, prout in quadam nota cuiusdam instrumenti huiusmodi venditionis acti XVIII^o Ianuarii 1400 in forma publica ab actis notarii Petri de Aquila Cathaniensis extracta continetur. Quam vendicionem et feudum Serenissimus Rex Martinus eidem Ioanni de Ugone suisque in perpetuum heredibus et successoribus, iuxta continentiam dicte vendicionis ac cum illius inserto tenore, sub consueto militari servicio iure Francorum, regijs antiquis regalijs regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie semper salvis, suo cum regio privilegio

dato Cathanie XIII^o Octobris X^o Inditionis 1401 et in Regie Cancellarie libro anni 1399 in cartis 218 notato, acceptavit et confirmavit. Mortuo deinde dicto Ioanne de Ugone, sibi in dicto Baruni feudo successit Ioannes de Ugone predicti Ioannis filius legitimus et naturalis, qui Ioannes Iunior pro se suisque in perpetuum heredibus et successoribus, sub consueto militari servicio, cum clausulis reservationibus obligacionibus et Capitulis in dicto privilegio Regis Martini contentis ac regni Constitutionibus Regieque Curie iuribus semper salvis, de ipso Baruni feudo ab Anthonio de Cardona et Ferdinando Velasques tunc regni proregibus, cum inserto tenore dicti privilegii VI^o Decembris XIII^o Inditionis 1420, investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 93 notatam naclus fuit, in qua investitura de dicto iure Francorum nulla facta est mentio. Deinde vero dictus Ioannes de Ugone iunior ac Supranus de Longo nec non Nina dicti Suprani uxor, habitatores dicte terre Nothi, feudum predictum li Baruni condam Anthonio Caramanna terre eiusdem suisque imperpetuum heredibus et successoribus pro precio unciarum LXX, publico mediante contractu manu notarii Michaelis de Buxema Siracusani XII^o Aprilis II^o Inditionis 1425 celebrato, vendiderunt. Quam vendicionem et feudum Ferdinandus de Velasques tamquam locumtenens et generalis locumtenens Illustris Infantis don Petri de Aragonia et Sicilia dicte terre Nothi domini eidem Anthonio Caramanna suisque imperpetuum heredibus et successoribus iure Francorum vice et nomine dicti Infantis Don Petri dicte terre, ut predicatur, domini sub consueto militari servicio dicto infanti suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus prestando eius cum documento eidem Antonio Caramanna per ipsum Ferdinandum Velasques generalem ut supra locumtenentem concessio VIII^o Maij, III^o Inditionis 1425, acceptavit et confirmavit.

Decedente demum dicto Anthonio Caramanna, sibi in dicto Baruni feudo successit Ioanna mulier eius filia legitima et naturalis, que pro se suisque in perpetuum heredibus et successoribus iure Francorum, sub regio consueto militari servicio, regijs antiquis regalij regni Constitutionibus iuribusque Curie semper salvis, de ipso Baruni feudo, iuxta formam prenotati documenti, a Don Lupo Ximen Durrea tunc regni prorege VI^o Augusti prime inditionis 1453 confirmationem et investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni II^o Inditionis in cartis 473 notatam obtinuit.

A quo quidem anno 1453 usque ad presens, anno 1513 decurrente, de dicto Baruni feudo nullum reperitur privilegium sive alia scriptura et sic ratio dari non potest in cuius posse existat; ob quod

inquirendus est illius possessor ut compelli possit ad edendum quo iure ad eum ipsum feudum pervenerit ac quare a dicto anno 1453 citra de illo nulle fuerunt capte investiture pro Curie cautela.

Feudum Muxia

Feudum vocatum la Muxia in civitatis Nothi territorio positum per dominum Regem Federicum cuidam notario Philippo de Siracensis Messanensis antiquitus concessum extitit, quod notarius Philippus ipse vita sibi comite tenuit et possedit, ipsoque deinde defuncto Simon de Siracensis dicti notarii Philippi filius et heres de dicto Muxie feudo cum iuribus, redditibus et pertinenciis suis a prefato domino Rege Federico confirmationem et de novo concessionem assecutus fuit; de qua confirmatione ab eodem domino Rege oportunum emanavit privilegium, quod exinde, cum prefatus Simon amisisse asseruisset et in dicti domini Regis manibus hoc iuramento affirmasset, idem dominus Rex Federicus ad iteratam prefati Simonis supplicationem feudum Muxie antedictum cum dictis eius iuribus prefato Simoni et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus, sub onere census tarenorum trium annis singulis per se et dictos suos in perpetuum heredes Regie Curie solvendo, suo cum alio oportuno privilegio iterum confirmavit et de novo concessit, quemadmodum in dicto posteriori privilegio regio in Regie Cancellarie registro anni 1371 in cartis 102 notato hec et alia seriusius exprimuntur.

Exinde autem feudum Muxie prenarratum in cuiusdam alterius Philippi de Siracensis posse devenit; tamen cuius ipse fuerit filius aut quomodo in ipso feudo successerit vel si de recta linea et prefati condam notarii Philippi primi acquisitoris aut predicti Simonis eius filii descendencia venerit non invenitur ac per hoc nullam dare valeo rationem.

Prefato tandem Philippo Siracensis secundo sub silentio pretermittente, quod dictum Muxie feudum antiquum et paternum feudum erat ac Regie Curie anno quolibet imperpetuum in tarenis tribus iuris census subiectum sub quodam verborum involucro illud Anthonio Nicholay de Salonia civitatis Nothi et suis in perpetuum he-

redibus pro precio unciarum septuaginta vendidit, sub titulo quod erat pecia terrarum vocata la Muxia, illam cum iuribus et pertinenciis suis francam liberam et expeditam ab omni debito et obligationis nexu alienando, ut in huiusmodi venditionis contractu manu notarij Raynaldi Cappello VII^o Augusti VIII^o Inditionis 1370 acto hec et alia extensius exarantur. Quam quidem vendicionem et contractum, post ipsius Philippi de Siracusi obitum, Iacobina eius uxor suo proprio nomine et ut mater et tutrix legitima, secundum consuetudinem Messane, Agnetis pupille minoris eius filie et filie ac heredis dicti condam Philippi, facto per eam legitimo inventario et ceteris iurium sollempnitatibus observatis dicto suo proprio nomine et tutorio nomine et pro parte prefate Agnetis, pro qua etiam de rato promisit et Cara ac Agatha sorores pupille filie sue ac filie et heredes dicti condam Philippi, maiores earum quelibet annis duodecim, minores tamen decem et octo annis, prefato Antonio de Salonia emptori et suis in perpetuum heredibus acceptarunt ratificarunt et confirmarunt, cedentes sibi omnia iura que super dictis terris tenebant, sicuti in quodam alio publico contractu manu notarij Maynieti de Villano de Messana celebrato XXVIII^o Septembris 1372 diffusius continetur.

Quapropter cum prefatus Anthonius de Salonia emptor prefato Domino Regi Federico tunc etiam regnanti supplicaret ut huiusmodi terrarum venditionem et ratificationem, iuxta predictorum contractuum formam et continentiam, sibi confirmaret nec non et terras easdem sub unius paris calcarium prestatione in feudum reduceret, ipse Dominus Rex Fidericus non informatus quod dicte terre antiquum et paternum feudum fuerant et in iure census tarenorum trium ut predicatur Regie Curie annuatim perpetuo subiectum, prefato Antonio de Salonia et suis in perpetuum heredibus more Francorum predictos venditionis et ratificationis contractus confirmavit et terras ipsas sub unius paris calcarium tantum prestatione et non ultra in feudum reduxit, cum clausula scilicet quatenus iuste et rationabiliter facte fuerunt etc., ac cum iurium Regie Curie et alterius cuiuslibet ac Constitutionum Regni reservatione, ut per ipsius Domini Regis Fiderici privilegium datum Messane V^o Octobris XI^o Inditionis 1372 facilius cerni potest.

Ipsoque deinde Anthonio de Salonia e vita sublato, sibi in dicto feudo Nicolaus de Salonia eius filius legitimus et naturalis successit, qui pro se suisque heredibus cum obligationibus capitulis et reservationibus prefato in privilegio annotatis a tunc Regni Viceregibus de feudo Muxie predicto, iuribus Curie et alterius cuiuslibet semper salvis et dicta prestatione unius paris calcarium anno quolibet fisco

regio solvendorum, investituram obtinuit datam Panormi XX^o Martij XI^o Inditionis 1418 et in libro dicti anni f.^o 373 notatam, ut in ea latius apparet. Quo Nicholao de Salonia mortuo, Antonius de Salonia eius filius legitimus et naturalis ac maior natu sibi in dicto feudo successit, qui pro se suisque imperpetuum heredibus iure Francorum et sub dicta annua prestatione unius paris calcarium a condam Panhormitano Archiepiscopo tunc in dicto Regno Preside, iuribus Curie et alterius semper salvis, de dicto feudo investituram reportavit, sicuti in dicta presidali provisione data Panhormi X^o Septembris II^o Inditionis 1453 et in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 514 notata facilius videri potest. Postmodum autem eodem Anthonio de Salonia e vita migrante, sibi in dicto feudo quidam alius Nicholaus de Salonia successit, per quem nullam apparet Regia in Cancellaria captam fuisse investituram. Et propterea nullam de eo dare valeo rationem.

Mortuo exinde dicto Nicholao de Salonia, Ioannes de Salonia eius filius pro se et eius imperpetuum heredibus iure Francorum cum iurium Regie Curie reservatione a condam Don Ferdinando de Acuña, tunc in regno Prorege, de dicto Muxie feudo die XV^o Decembris XI^o Inditionis 1492 investituram, in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 252 notatam, assequutus fuit.

Noviter autem hoc presenti anno XIII^o Inditionis 1511, prefatus Ioannes de Salonia, nulla per eum facta mentione eius in testamentaria dispositione de persona in huiusmodi feudo succedenda, nullis relictis filiis obiit.

Et sic tandem quedam soror Ursula de Salonia monialis professa in sancti Salvatoris civitatis Nothi monialium Monasterio claustrata prefati Ioannis de Salonia soror utrinque coniuncta, asserens feudum Muxie predictum, tam ex pacto et Principis providentia quam ex dicti feudi privilegiorum forma, ad se tamquam dicti quondam Ioannis sororem spectare per yconomum et procuratorem dicti sancti Salvatoris monasterii, nomine et pro parte Abbatisse ac eiusdem sororis Ursule, de dicto feudo fuit capta possessio; ut per actum die ultimo Novembris eiusdem XIII^o Inditionis 1510 per Notarium Bamundum de Fusca celebratum patet.

In presentiarum autem coram Illustrissimo Domino Regni huius prorege prefatus yconomus et procurator comparens, dicto procuratorio nomine, de feudo predicto investituram instanter petiit. Ego vero, cui per vestram Catholicam Maiestatem onus tributum est ut ea que circa recuperationem regiarum regaliarum et rerum occupatarum attingent per me revideantur, volens diligenter inquirere et indagare qua-

liter feudum ipsum a principio usque ad presens per istos de Salonia fuerit et sit possessum, inveni tandem dictum Muxie feudum prima facie inquaturnatum, antiquum et paternum feudum fuisse ac tanquam feudum per Dominum Regem Federicum cuidam Notario Philippo de Siraculis Messanensi primo loco concessum extitisse. Cui exinde defuncto Simon de Siraculis illius filius in dicto feudo successit, cui Simoni (licet de hoc nulla appareat scriptura seu investitura) alius Philippus de Siraculis in ipso Muxie feudo postmodum successit, qui Philippus de Siraculis ut regias regalias et regie preheminentie iurisdictionem et dignitatem occultaret, silentio premitendo quod dictum Muxie feudum erat verum et antiquum feudum et ad militare servitium seu onere tarenorum trium anno quolibet Regie Curie per feudatarium solvendo subiectum, prefatum Muxie feudum sub vocabulo petie terrarum cuidem Anthonio de Salonia francum, liberum et exemptum ab omni debito et obligationis nexu in tam grave Regij demanij preiudicium et interesse vendidit et alienavit; quod non solum in honorum suorum et premaxime dicti feudi publicationis penam incurrisset, verum etiam feudatarius ipse regios dirictus occultando et feudalia in purum et francum allodium reducendo in rebellionem incidisset.

Preterea considerandum est, quod predicti feudi possessores servitium predictum sive ius census predictorum tarenorum trium annualium, Curie Regie in perpetuum pro dicto feudo solvendum, nunquam exsolverunt, ob quod dicendum est possessores ipsos dicta regalia iura furto subtraxisse. Tamen, quidquid sit, ultra furtum predictum et per eos patratam turpitudinem, postquam feudum Muxie antedictum sub specie terrarum vocabulo per dictum Philippum de Siraculis prefato Antonio de Salonia francum ut supra venditum fuit; ecce quod dictus dominus Rex Federicus tanquam non informatus, quod erat antiquum et paternum feudum, ad dicti Antonii de Salonia supplicationem eidem Antonio venditionem antedictam confirmavit, cum clausula tamen quatenus iuste et rationabiliter facta fuerit et cum iurium Regie Curie reservatione etc. Nec minus dictam terrarum petiam Dominus Rex Federicus ipse in feudum nobile sub unius paris calcarium prestatione Regie Curie anno quolibet fienda reduxit, ut superius in capitulo dictum est et per dictum regium privilegium, investituras et confirmationes tunc vice-regum diffusius videri potest. Quo casu non dubium est quod dicti feudi feudatarius ad solvendum ipsi Regie Curie dictum calcarium ius annis singulis omnino teneretur.

Requisitis itaque per me pro regalium conscientiarum exone-

ratione compotis magistri secretiatus officij Regni et Regie secretie dicte Civitatis Nothi, in cuius territorio feudum ipsum positum est, nullus de dictis tarenis tribus sive de dicto calcarium iure anno quolibet Curie Regie ut predicatur solvendis apparet fieri introitus, et sic semel et his ipsa Regia Curia et Vestre Regie Celsitudinis preheminentia decepta et defraudata extitit.

Quamobrem ita ab Omnipotenti Deo statutum et ordinatum fuisse videtur, quod dictus Ioannes de Salonia ab Antonio de Salonia primo dicti feudi emptore et acquiretore legitime descendens absque filiis nature satisfecit. Qui cum in ultimis, quibus decessit, disponere de ipso feudo potuisset, quia de iure disponere non poterat et de eo non disposuit. Quomodo ergo dicta soror Ursula monialis professa et claustrata ipsius Ioannis soror potest et debet in dicto feudo sibi succedere, cum sit quod per iura, leges et Regni Constitutiones ecclesie et monasteria ac ecclesiastice persone iuribus feudalibus succedere non possunt neque debent? Per predicta propterea superius allegata iura et premaxime propter non solum canonem sive servitium de dicto Muxie feudo, ut dictum est, feudum ipsum sacro regio demanio apertum et devolutum est.

De feudo Salinarum Castri Ioannis Cabella Salinarum

Feudum Saline nuncupatum, in Castri Ioannis terra et territorio existens, Cabella Salinarum de membris secretie regie dicte terre antiquitus fuerat; que Cabella Salinarum, huius Sicilie Regni Capitulum et Constitutionum derogatione non actenta ac regalis successionis preiudicio non considerato, immo sub silentio pretermissa quod vera fuerat regia Cabella, per dominum Petrum secundum eiusdem Regni Regem quondam Guillelmo Intorrella et suis in perpetuum heredibus sub nomine Salinarum Regie Curie concessa extitit.

Subsequenter vero, post ipsius Domini Regis Petri secundi obitum, dominus Rex Ludovicus eiusdem Domini Regis Petri filius et in regno successor Salinas regias predictas prefato Guillelmo Intorrella et suis in perpetuum heredibus confirmavit; de quibus concessione et confirmatione oportuna tunc emanarunt privilegia, que tandem una cum Regie Cancellarie registris, ob maximos bellorum tumultus tunc in

Regno successos, deperdita fuere et in predam deducta et sic in ipsa Regia Cancellaria minus reperiuntur. Qui Guillelmus Intorrella quatuor tunc temporis filios habebat, Simonem scilicet et Petrum Intorrella mares ac Agatham et Mannellam feminas; ipsi vero Guillelmus, Simon et Petrus Intorrella pater et filii prefatis Agathe et Mannelle premortui fuere. Superstites autem Agatha et Mannella, tempore regiminis Domini Regis Federici secundogeniti prefati Domini Regis Petri ac fratris prenominati domini Regis Ludovici, ab ipso domino Rege Federico de dictis Salinis, scilicet earum quelibet pro una medietate pro se et earum imperpetuum heredibus iure Francorum, scilicet quod maior natu minoribus fratribus et coheredibus ac masculus feminis preferatur, in feudum sub consueto militari servitio Regie Curie prestando, ana scilicet uncias viginti pro quolibet milite secundum dictarum Salinarum annuos redditus, confirmationem et investituram obtinuerunt, cum iurium tamen Regie Curie ac alterius cuiuslibet Constitutionumque Domini Regis Iacobi et aliorum retroregum super demanialibus editarum reservacione, quemadmodum in quodam dicti Domini Regis Federici privilegio, dato Cathanie quarto Augusti prime Inditionis 1363, diffusius continetur; quod privilegium in ipsa Regia Cancellaria minus notatum apparet. Verum per partem ipsas Salinas possidentem ipsum antiquum privilegium a Iacobo de Carissimo Messanensi notario XXV^o Aprilis XIII^o Inditionis 1511 de verbo ad verbum exemplatum in dicte Regie Cancellarie officio ostensum et presentatum extitit, illudque pro Regie Curie cautela in libro Regni privilegiorum, que in Cancellaria non reperiuntur, in cartis . . notari et registrari procuravi.

Defuncto tandem prefato Domino Rege Federico et Dominis Regibus Martino et Maria in regno succedentibus, prenominate Agatha et Mannella Intorrella sorores de dictis Salinis a Regibus Martino et Maria prenominate, tamquam legitimis ipso in regno successoribus, nullam confirmationem et investituram consecute fuere, quin imo Reges ipsi Salinas easdem Francisco Uberto de Vigintimilio et suis in perpetuum heredibus sub consueto militari servicio eorum cum regio privilegio concesserunt dicentes, quod actentis servitiis per ipsum Franciscum Ubertum de Vigintimilio eis in Regni reductione ad quietum et tranquillum statum prestitis, ac pro bono pacis aliisque considerationibus eorum animum digne moventibus, Reges ipsi ad dictam faciendam concessionem condescenderunt, revocantes ex certa eorum scientia et Regie potestatis plenitudine legibus non submissee omnes et singulas concessionem, donationes, scripturas et privilegia per retro principes ac ipsos Reges Martinum et

Mariam de dictis Salinis alicui et presertim eidem **Manelle Intorrella** et eius parentibus forte facta et confirmata, ipsique **Francisco Uberto** de **Vigintimilio** etiam transferentes omnia iura omnesque actiones reales et personales extraordinarias et defensiones ipsis dominis Regibus sive eorum regio fisco quomodolibet competentes et competituras, presertim ratione vel causa rebellionis per **Anthonium de Tudisco** Cathaniensem eius uxorem et filios commisse; qui **Antho-nius de Tudisco**, prout comprehendere potui, fuit prefate **Agathe** eiusdem **Mannelle** sororis maritus, sicuti de huiusmodi Regia Concessione dicto **Francisco Uberto** facta in quodam ipsorum dominorum regum **Martini** et **Marie** privilegio, dato **Siracensis XII^o Novembris V^e Inditionis 1396** et in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 35 notato apparet et videri potest.

Dictus tandem **Franciscus Ubertus** de **Vigintimilio** Salinas predictas ut fertur per annos fere duos tenuit et possedit et exinde diabolico instigatus spiritu contra dictum dominum Regem **Martinum** rebellionem exercuit, et condam **Antonio de Vigintimilio** tunc **Golisani** comitatus comiti etiam rebelli adherere non dubitavit; contra quos rebelles eorumque complices et sequaces per **Magnam Regiam Curiam Cathaniensi** in **Castro XVI^o Novembris VI^e Inditionis** fuit promulgata sententia, per quam cum bonorum eorum omnium et feudalium et burgensaticorum amissione rebelles declarati fuere. Qua quidem in rebellionem prefato **Francisco Uberto** de **Vigintimilio** cum aliis eius complicitibus persistente, prefati domini Reges **Martinus** et **Maria** Salinas predictas magistro **Nicolao de Usina** fisices artis professori suisque in perpetuum heredibus eius de suo corpore legitime descendentibus in feudum perpetuum, sub consueto militari servitio iure Francorum ac cum Regie Curie et alterius cuiuslibet iurium ac domini Regis **Iacobi** aliorumque retroregum Constitutionum reservatione, dederunt et concesserunt, et cum clausula etiam non obstantibus remissionibus et in integrum restitutionibus quibuscumque, prefato **Francisco Uberto** de **Vigintimilio** per ipsum Dominum regem seu alios eius nomine forsitan faciendis, quibus et eorum verbis ac sensui de sua regia scientia et potestatis plenitudine legibus non subiecte penitus derogarunt, quibus in remissionibus et in integrum restitutionibus forte faciendis dicte Saline nullatenus intelligantur, nec modo aliquo includantur, prout de huiusmodi alia concessione quodam alio in privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1399 **VIII^e Inditionis** in cartis 167 notato, latius continetur.

In anno vero 1406 **XIII^e Inditionis**, usque ad quod tempus ab anno 1396, in quo anno 1396, ut predicatur, per dictos dominos Reges Mar-

tinum et Mariam prenominato Francisco Uberto de Vigintimilio prima fuit facta de dictis Salinis concessio, anni fere decem intersunt; prefata Mannella Intorrella condam Andreve Intorrella et de Fenollar mulieri eius nepti sive consanguinee et suis in perpetuum heredibus de omnibus eius bonis etiam feudalibus et burgensaticis, tam videlicet de illis que ipsa nunc possidebat, quam de aliis sibi quomodolibet occupatis et presertim de quibusdam Salinis in Petralie territorio positis, ac gabella centimulorum Castri Ioannis, largifluam et generalem fecit donationem: cedens eidem Andree omnia iura, actiones et causas reales et personales, utiles, directas etc, que in ipsis bonis Mannella ipsa tenebat, cum facultate etiam quod Andree predicta bona ipsa vendere, permutare, donare, alienare et pro anima adiudicare ac de illis disponere posset, cum clausula non obstante immo penitus revocata quadam alia donatione de ipsis bonis monasterio sancte Marie de Nova Luce per ipsam Mannellam facta, actento quod in feudalibus seu regalibus consistebat, revocando etiam omnem aliam donationem seu liberalitatem, quam in quondam Mariam natam suam dudum exercuit de Salinis predictis, quoniam ipsa erat incapax ex eo quia feudalalia seu regalia iuxta iuris dispositionem sunt individua, sicuti de huiusmodi donatione in quodam instrumento Catanie XIII^o Aprilis XIII^o Inditionis 1406, per notarium Leonardum Calava celebrato, diffusius exprimitur. Quod quidem instrumentum cum illius inserto tenore prefatus dominus Rex Martinus Andreve Intorrella et de Fenollar antedictae suisque in perpetuum heredibus et successoribus, sub debito et consueto militari servitio simpliciter ratificavit et confirmavit; cum clausula scilicet sub illis conditionibus, clausulis, retentionibus et rationibus, que in privilegiis transumptatis seu rescriptis dicte donatricis, quorum vigore bona predicta donata possidebat, opportune continebantur ac in donationibus bonorum feudalium poni consueverunt et debent, iuribus tamen cuiusvis et nostre Curie semper salvis etc. prout in huiusmodi confirmationis privilegio, dato Catanie XIII^o Ianuarij XV. Inditionis 1406, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 189 notato dilucidius apparet.

Ulterius autem ad veritatem detegendam perquisitis per me Regie Cancellarie codicibus, ne propriam conscientiam violarem et partibus preiudicium inferrem, a tempore obitus prefati domini Regis Martini usque ad annum 1425, quo tempore dominus Rex Alfonsus regnabat, nullam de dictis Salinis inveni confirmationem seu investituram; verum in informationibus, quas de Vestre Catholice Maestatis mandato super huius Regni secretiis composui, repperi quod dicta Andree Intorrella et de Fenollar donataria Ioanni de Monte-

•catheno matrimonio iuncta fuit; que Andreeva, cum Gulielmi Raymundi de Montecatheno eius filii aliorumque filiorum suorum consensu et ratificatione, dictam eius Salinarum medietatem cum gabella centimulorum Castri Ioannis magistro Blasco de Montana et magistro Petro lu Presti pro unciis tricentis vendidit et venditionis titulo concessit, infra quos Blascum de Montana et Petrum lu Presti, facta exinde de dictis rebus venditis divisione, dicta Salinarum medietas prefato Blasco devenit, et centimulorum gabella predicto Petro lu Presti remansit.

Eisdem in informationibus nec minus apparet prefatum Anthonium de Tudisco seniore, Anthonii de Tudisco iunioris patrum rebellem ut supra, qui Agathe sororis Mannelle ut predicatur maritus fuit, prefato Anthonio de Tudisco iuniori eius nepoti de reliqua Salinarum predictarum medietate donationem fecisse inter vivos irrevocabilem, ut in huiusmodi donationis contractu manu notarij Ioannis de Gregutio, IV^o Aprilis III^e Inditionis 1425 celebrato, diffusius continetur. De qua donatione ipse Anthonius de Tudisco iunior a prefato domino Rege Alfonso confirmationem obtinuit, datam Valentie XXVII^o Novembris 1426, cum militaris tamen servitii et Regie Curie iurium reservatione, prout in illa latius exponitur.

Postmodum autem prenomminatus Anthonius de Tudisco iunior donatarius qui supra in ultimis quibus decessit, de dicta Salinarum medietate Ioanni de Tudisco legum doctori eius filio donationem fecit sive eius testamentaria dispositione legavit. Qui Ioannes de Tudisco a prefato magistro Blasco de Montana reliquam Salinarum medietatem, quam Blascus, ipse ut predicatur, ab Andreeva donataria dicte Mannelle emerat emptionis nomine certo mediante pretio, consecutus est; sicuti in ipsius venditionis contractu per notarium Nicholaum de Francavilla, XVIII^o Iulii XIII^e Inditionis 1435 celebrato, latissime patet. Et sic ipse Ioannes de Tudisco totam integram Salinarum predictarum gabellam sive feudum habuit et assecutus est, de quibus integris Salinis a domino Rege Alfonso Ioannes ipse confirmationem obtinuit, cum clausula, tamen, quatenus ad nos spectat et predicta vera sint nec aliud sit quod obsistat, acceptamus, laudamus, approbamus et pleno regio favore confirmamus eidem Ioanni et suis heredibus et successoribus in perpetuum, ac de novo concedimus et donamus iuxta tenores privilegiorum de dicto feudo concessorum Ioanni predicto, ut supra, prout in ipsius domini Regis Alfonsi privilegio, dato Neapolis XXVIII^o Iulii VIII^e Inditionis 1445, de quo viceregia emanavit executoria notata in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 85, serius exaratur.

Prefatus vero Guillelmo de Tullio...
Salinarum gabelle sine feudo...
pro se suisque uerbis...
scendentes...
piscis...
stitutum...
aliquamque...
iuribus...
normi...
anni... in cartis 697 notata...

Quo quidem Pamphilio de Tullio...
in dictis Salinis Constantia...
poli Messanensis eius soror...
dicta eidem Iacobo eius viro...
dictam gabellam Salinarum...
Montecatheno Adermionis comes...
inventarii condam Guilelmi...
Andreve filii, litem intemptavit...
obstante alienatione per...
matrem et ipsius Iohannis...
Blasum de Montana et Petrum...
Thomasi de Montecatheno...
que rationibus et causis...
potuisse; et tandem de Salinis...
eius virum a Magna Regia...
tavit, per quam iugales ipsi...
Salinas cum illarum fructibus...
Inditionis 1493 Messane lata...
appellatione sententie, partes...
quod, traditis et assignatis...
tiam coniuges prefato Iohanni...
quatringsentis in contanti...
heredibus et successoribus...
omnia iura que in dictis Salinis...
tunc nati et de cetero nasituri...
contractu, super hoc XII^o Octobris...
tarij Antonij Maniaci Messanense...
iugales prefati a condam...
rege, cum ipsius contractus...
Martij XII^o Inditionis 1494 in...
p. 182 notatam, habuerunt.

Mortuo postmodum prefato Iacobo Campulo, Saline predicte penes ipsam Constanliam eius uxorem remanserunt. Que Constanlia de Salinis eisdem Ioanni Francisco Campulo eius filio primogenito legitimo et naturali renunciacionem fecit, ob quam predictus Ioannes Franciscus a condam Ioanne de Lanuça, tunc in regno Vicerege, de dictis Salinis XX^o Maij VI^o Inditionis 1503 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1502 in cartis 477 notatam, assecutus extitit.

Defuncto tandem dicto Ioanne Francisco Campulo sine filiis, sibi in dictis Salinis successit Hieronymus Campulus eius frater, filius secundogenitus dicti condam Iacobi Campulo, qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iuxta formam sui privilegii, ob mortem dicti eius fratris, de Salinis eisdem a Don Ugone de Montecatheno moderno, regni Prorege, XXIII^o Iunij XIII^e Inditionis 1511 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1510 in cartis 652 notatam, reportavit.

In presentiarum, anno 1513 decurrente, Saline ipse Castri Ioannis per prefatum Hieronymum Campulum possidentur, que annuatim reddunt uncias

Allegatio feudi Salinarum Castri Ioannis et Cabelle

Visis, Catholice Princeps, diligenterque recognitis et examinatis per me informationibus antiquisque Regni Pandectis ac alijs necessariis, inveni prima facie Salinas terre Castri Ioannis in capitulo contentas Gabellam Salinarum membrum regie secretie dicte terre invocari et intitulari. Cumque peroptarem ipse urgentem sive legitimam causam percipere, quare dominus Rex Petrus Secundus cabellam predictam a sacro regio demanio abstraxerit et segregaverit, nullam tamen legitimam inveni causam quare illam ab ipso demanio segregare oportuerit, immo comperi quod dominus Rex Federicus, prefati Regis Petri Secundi filius et in Regno successor, illas Regie Curie Salinas et non cabellam interpellavit, ob quod contingere potuisset, quod dicti Reges concessores nullam habuerint notitiam Salinas ipsas antiquam fuisse cabellam predictae regie secretie deputatam et inquaternatam, quodque illius segregatio sive dismembratio Siculi Regni Pragmaticis ac regalibus successionebus nimium obstabat et obstare debebat: nam si de hoc claram scientiam et notitiam habuissent, tenendum

est quod cabellam ipsam a dicto regio demanio absque urgenti causa non dismembrassent. Tamen, quidquid sit, mortuo dicto domino Rege Federico et in eodem regno dominis regibus Martino et Maria exinde succedentibus, Agatha et Mannella Intorrella sorores premencionate non tantum ab ipsis dominis regibus de dictis Salinis confirmationem sive investituram non reportarunt, quam investituram, Regni natura considerata, ob novam ipsorum Regum successionem, cum Saline predictae feudales sint et regales, necessario ab ipsis regibus novis successoribus obtinere oportebat. Verum etiam dictas antiquas de prefatis Salinis concessionem reges ipsi penitus revocarunt et annullarunt et signanter ob predictae Agathe et Anthonij de Tudisco eius viri ac filiorum eorum rebellionem; quas Salinas pro causa urgentissima, scilicet pro Regni acquisitione, bono pacis et alijs iustis respectibus, reges predicti Francisco Uberto de Vigintimilio et suis heredibus exinde concessere. Inde vero ad annos fere duos eodem Francisco Uberto de Vigintimilio contra Sacram Coronam rebellato, domini Reges Martinus et Maria antedicti Salinas eadem magistro Nicolao de Ussina fisices artis doctori et suis heredibus in feudum perpetuum more Francorum, ut in capitulo expositum est, concesserunt: ecce ergo quod concessio seu confirmatio per dictum dominum Regem Federicum Agathe et Mannelle sororibus de dictis Salinis facta cessavit et penitus ac in totum revocata fuit.

Nihilominus eadem primeva concessione prefatarum Agathe et Mannelle sororum per annos fere decem, ab anno scilicet 1396 usque ad 1406 annum, vacante, Mannella predicta in ipso anno 1406 silentio pretermittens revocationem dictorum regum Martini et Marie ac ipsarum Salinarum vacationem ceterasque concessionem per eosdem reges dicto Francisco Uberto de Vigintimilio et inde ad annos fere duos Magistro Nicolao de Usina phisico factas, de omnibus eius bonis et signanter de quibusdam Salinis in Petralie territorio positis Andreve Intorrella et de Fenollar mulieri eius nepti sive consanguinee in illa tam larga et generali forma, quod bona ipsa donare et alienare ac de illis disponere posset, donationem fecit, que amplissima donatio per dictum dominum regem Martinum prefate Andreve inadvertenter confirmata fuit.

Etsic non parum considerandum est, immo valde advertendum quod semel apparet concessionem et privilegia dictarum Agathe et Mannelle Intorrella ac Anthonij de Tudisco ipsius Agathe viri ex causa scientie et regie potestatis plenitudine per eosdem reges Martinum et Mariam revocata fuisse, et penitus abolita et extincta. Quomodo ergo Mannella predicta sub involucrio tacita veritate de Salinis antedictis prenomi-

nate Andreve eius nepti ita largam donationem facere ausa est? Nam et si concessionem ipse sive privilegia numquam revocata extitissent, ætenta tituli forma per dictum Regem Petrum Guillelmo Intorrella patri ipsarum Agathe et Mannelle in forma strictissima more Francorum concessa, Mannella predicta prefatam strictam formam more Francorum in sacri regii demanij preiudicium transgredi, ampliare et revocare non poterat, et tanto minus cum Andreva ipsa donataria de corpore dicte Mannelle legitime non descenderit nec etiam Mannella prefata dicti Salinarum feudi prima non fuerit acquisitrix. Tamen quomodocumque sit, quantumcumque Rex Martinus predictus, tamquam inscius et penitus ignarus et immemor, quod Saline predictæ erant ille Castri Ioannis per eum iam revocate et ab ipsarum posse abstracte et presertim quia prefata Mannella eius in donatione quâdam Petralie Salinas et non Castri Ioannis expressit, donationem eandem confirmaverit; tamen suo cum regio privilegio iura sibi Regia Curia reservavit et ad privilegia transumpta et rescripta eidem Mannelle donatrici, ut in capitulo continetur, concessa se retulit. Que transumpta et privilegia Agathe et Mannelle, ut predicatur, penitus extincta et ad nihilum reducta fuere et per consequens predicta donatio vacua et inanis effecta fuit et presertim cum ipsa Mannella de Salinis antedictis illas duas alias fecerat primo donationes, unam videlicet Sancte Marie de Nova Luce monasterio, alteram vero Marie eius nate; quas donationes ob illarum incapacitates revocavit et tamen eodem modo feudalibus in rebus prefata Andreva donataria incapax etiam redditur, ex quo mulier et incapax et non legitime a dictarum Agathe et Mannelle corpore descendens.

Ceterum, quemadmodum precedenti in Capitulo per me expositum est, a dicto anno 1406 usque ad 1425 annum, quod anni fere decem et novem intersunt, nullam inveni scripturam quo iure Saline antedictæ prefatis Anthonio de Tudisco seniori vel Agathe eius uxori aut Mannelle Intorrella restitute fuerint, sed hoc tantum reperi: Andrevam antedictam prefate Mannelle donatariam magistro Blasco de Montana medietatem Salinarum predictarum ut supra vendidisse ac prefatum Anthonium de Tudisco seniore de reliqua Salinarum medietate Anthonio de Tudisco iuniori eius nepoti donationem fecisse irrevocabilem, et sic percipere non valeo quo iure dictus Anthonius de Tudisco senior rebellis in dictis successerit Salinis, cum ipse Saline sub stricta forma more Francorum vinculate fuerint et in illis heredes dicte Agathe de eius corpore legitime descendentes succedere debuerint et non illius maritus neque dicti eius mariti nepos filius fratris ipsius eius mariti. Ad quod maxime attendendum est, nam licet pri-

vilegium ipsarum Agathe et Mannelle numquam revocatum fuisset, stante tamen titulo et forma strictissima iure Francorum, nullus alius in dictis Salinis succedere poterat, nisi successores Je stipite Guillelmi Intorella primi acquisite legitime descendentes; et sic Salinas predictas, cum predicti Gulielmi successores in alienam translati sint agnationem, Regia Curia merito ad se revocare potest. Nec obstat quod donatarijs et successoribus dicti Anthonij de Tudisco per dominum regem Alfonsum Saline ipse confirmate fuerint, nam confirmationes predictae cum iurium Regie Curie reservatione et sub illis verbis scilicet, quatenus ad nos spectet et predicta vera sint, nec aliud sit quod obsistat etc. iuridice facte extiterunt et ad formam et tenorem privilegiorum antiquorum fuit semper habita relatio, que privilegia cum ut predictur, revocata fuerint, regii demanij iuribus in aliquo obstare non possunt, immo facillime deduci potest, omnia acta predicta et scripturas super falso fuisse fundatas et pro Regie Curie cautela ad hoc est valde considerandum et attendendum.

Feudum Barchyni

Feudum Barchyni situm et positum in valle Nothi, ut in magno Capibrevio fit expressa mentio, in capitulo scilicet terre Buxeme possidebatur per barones ipsius terre; in presentiarum vero est alienatum; medietas scilicet in posse Don Ferdinandi de Moncada Baronis Francifontis, de qua alienatione in Cancellaria non apparet aliqua scriptura; et alia medietas dicti feudi possidetur per Petrum de Viradura scilicet la Parti di lu Saltu iuxta formam cuiusdam investiture capte die XXI^o Iunii II^o. Inditionis 1514, que investitura non invenitur in Cancellaria notata.

Tamen in presentiarum ob mortem Catholici Domini Nostri Ferdinandi regis, a don Ioanne de Luna Preside dictus Petrus Viradura de ipsius Barchini feudi medietate cepit investituram die VII^o Aprilis V^o Inditionis notatam in libro anni 1516, f^o. 526, et iuravit reddere uncias XXXX

•

Feuda

**Burgii et Mangini cum Salinis Biliscari Binuini
et Triflecta Capopassari**

De feudis Burgii et Mangini cum Salinis ac Biliscari, Binuini et Triflecta nuncupatis in territorio et valle Nothi sitis et positis hic dicenda esse duxi: feuda enim Burgii et Mangini cum Salinis sive dictarum Salinarum iuribus et Biliscari per quondam Paulum Capoblanco Siracusane civitatis possidebantur. Quo tamen iure in illius posse devenerit, nullus apparet in Regia Cancellaria titulus sive privilegium. Cumque deinde Serenissimi Reges uterque Martinus et Regina Maria percepissent, eundem Paulum Capoblanco contra eorum Regias Maiestates rebellionem perpetrasse feudumque Burgii memoratum cum eisdem Salinis redditus unciarum sexaginta vel circa annis singulis reddere consuevisse, illud ob dictam rebellionem Regie Curie apertum et devolutum quondam Ioanni de Paternione Cataniensis civitatis suisque in perpetuum heredibus et successoribus de suo corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servicio eorum, cum regio privilegio dato Catanie XXII^o Novembris II^o Inditionis 1393 concessere, quemadmodum ipso in privilegio in Regie Cancellarie libro 1395 et 1396 in cartis 81 registrato continetur.

Utque exinde eidem Ioanni de Paternione magis cautum fuisset, Ioannes ipse contra dictum Paulum Capoblanco rebellem partem fecit illumque coram prenominitis regibus eorumque Magna Regia Curia ad dictam rebellionem detegendam et probandam citare fecit; cumque Paulus ipse contumax fuisset, in illius contumacia dicta Magna Regia Curia sententiam tulit per eosdem reges confirmatam, qua Paulus Capoblanco memoratus rebellis declaratus extitit, cuius bona et presertim dicta feuda Regie Curie devoluta et confiscata fuere. Et sic reges predicti cum alio eorum Regio Privilegio eidem Ioanni de Paternione et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus sub dicto militari servicio iure Francorum, ut supra memoratum, Burgij feudum cum eisdem Salinis iterum confirmarunt et de novo concesserunt, sicuti in ipso regio privilegio cum sententia in Regie Cancellarie libro anni 1396 III^o Inditionis in cartis 45 notato, in quo dicta sententia data Cathanie XV Martij III^o In-

ditionis 1395 de verbo ad verbum inserta est, diffusius continetur.

Feuda nihilominus Binuini et Trifledda per quondam Hermannum de Aspello Siracusanum antiquitus possessa fuisse repperi; qui cum absque prole suo de corpore legitime descendente decessisset feudaque ipsa Binuini et Trifledda Regie Corone devoluta fuissent, Serenissimus Rex Federicus quondam Alferio de Columba et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus illa in feudum perpetuum sub consueto militari servitio more Francorum concessit, prout in eius regio Privilegio dato Messane XII^o Augusti III^o Inditionis 1366 in Regie Cancellarie libro anni 1364, in cartis 46, notato late patet. Quibus factis regiis concessionibus, inveni prenomatos reges utrumque Martinum et Reginam Mariam Binuini et Biliscari feuda ob rebellionem dicti Pauli Capoblanco Iacobo de Aricio et Sallimbenio de Marchisio concessisse, prout in eorum Regio Privilegio dato Cathanie XX^o Novembris II^o Inditionis 1393 in Regie Cancellarie libro anni 1393 in cartis 62 notato late patet. Quo quidem in privilegio nihilominus nulla sit mentio, qua ratione sive causa predictus Alferius de Columba eiusque heredes feuda Binuini et Trifledda amiserint minusque reperitur quid de dicto Trifledda feudo factum sit et in cuius posse devenerit ac quomodo nomine Trifledda amiserit et ideo pro Curie cautela de premissis inquirendum est.

Tamen cum quondam Gulielmus Raymundus de Montecatheno tunc Auguste et Noharie Comes ac Regni huius magister iusticiarius et magnus comestabulus de omnibus prenomatis feudis rationabiliter provisum fuisse asseruisset, nonnullas propterea causas et rationes allegando, memorati Reges eidem Gulielmo Raymundo de Montecatheno omnia predicta feuda concessere. Qui tandem Gulielmus Raymundus de Montecatheno de omnibus ipsis feudis, Trifledda feudo tantummodo reservato, de quo nulla facta fuit mentio, condamnato Raynaldo de Landolina et suis in perpetuum heredibus et successoribus sub debito militari servitio etc. in vim sui patentis scripti dati Cathanie primo Decembris III^o Inditionis 1395 donationem fecit, quod privilegium praedicti Reges uterque Martinus et Maria in vim eorum regii privilegii dati Siracusis XVII^o Novembris 1396 et in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 153 registrati exinde acceptarunt et confirmarunt.

Stantibus inter id autem temporis previa donatione et Regia confirmatione in earum robore et firmitate, memoratus Gulielmus Raymundus de Montecatheno contra eosdem Reges rebellionem exercuit et sic dictus Raynaldus de Landolina predicti Gulielmi Raymundi donatarius, quantumcumque de dictis feudis Regiam confirmationem et consensum obtinisset, ut sibi magis cautum esset, co-

nam dictis Regibus comparuit, a quibus de feudis ipsis pro se eiusque heredibus in perpetuum confirmationem et novam concessionem in vim eorum regii privilegij de premissis omnibus mentionem facientis obtinuit et consecutus est, ipsique Reges prenominationis Ioanni de Paternione, Iacobo de Aricio et Sallimbenio de Marchisio promiserunt in bonorum rebellium distributione tunc fienda in dictorum feudorum excambium de gratiis eque dignis eosdem rationabiliter providere, sicuti quodam in alio eorum regio privilegio dato Cathanie III^o Ianuarii VI^o Inditionis 1397 in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 94 notato hec et alia diffusius enarrantur. Cumque tandem idem Raynaldus de Landolina per nonnulla tempora feuda ipsa tenuisset et possedisset et inde nature satisfecisset, Mainictus de Landolina ipsius Raymundi (*sic*) filius legitimus et naturalis sibi in dictis feudis successit, qui de illis a Don Lop Ximen Durrea tunc in regno Preside pro se eiusque heredibus et successoribus in perpetuum sub consueto militari servitio etc. iuribus curie et alterius semper salvis confirmationem et investituram datam Panhormi die XV^o Iulii I^o Inditionis 1453 in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 560 notatam consecutus fuit.

Ipsoque Maynicto Landolina exinde defuncto, sibi in dictis feudis Raynaldus Landolina eius primogenitus legitimus et naturalis filius successit, qui de illis a quondam Ferdinando d'Acuña tunc in Regno Prorege investituram pro se et suis heredibus in perpetuum iuxta formam sui privilegij die XIII^o Maij VII^o Inditionis 1489 in Regie Cancellarie libro anni 1488 in cartis 330 notatam obtinuit. Dictus vero Raynaldus Landolina tres filios masculos, videlicet Maynictum, Gulielmum et Ioannem et alias feminas procreavit et habuit, et sue tempore vite omnia dicta feuda in dictos eius filios masculos hoc modo partitus est, videlicet. Quod prefato Maynicto eius filio primogenito legitimo et naturali et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus dictum feudum Burgii dedit et concessit, ut patet tenore contractus facti manu notarii Leonardi de Angles die I^o Decembris II^o Inditionis 1498 et per Ioannem de Lanuça tunc in regno proregem confirmati eius cum viceregia provisione data Panormi die XVIII^o Iunii II^o Inditionis 1499 in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 478 notata. Et nihilominus dictus Maynictus ab ipso Vicerege de dicto feudo investituram pro se eiusque heredibus et successoribus iuxta formam sui privilegij, iuribus Curie et alterius semper salvis, die XII^o Iulii VII^o Inditionis 1504 et in Regie Cancellarie libro anni 1503 in cartis 541 notatam habuit et consecutus fuit.

Et nihilominus attendendum est, casu adveniente quod predi-

ctus Raynaldus Landolina donator formam dicti feudi strinxit, nam de illo donationem prenominato Maynieto eius filio suisque heredibus de suo corpore legitime descendentibus et non successoribus, prout dicitur, in forma larga fecit. Et sic valde miror, quod ita inadvertenter sibi concessa investitura fuerit, postposita forma dicte donationis. Tamen, quidquid sit, in ipsa Investitura curie iura reservantur.

Preterea sepedictus Raynaldus Landolina predicto Guillelmo Landolina eius filio secundogenito legitimo et naturali feudum Biliscare similiter concessit. Qui Gulielmus pro se eiusque in perpetuum heredibus et successoribus, iuribus tamen Curie et alterius semper salvis, a Don Raymundo de Cardona tunc in regno prorege die XVIII^o Decembris XI^o Inditionis 1508 de dicto feudo investituram obtinuit in Regie Cancellarie libro anni 1507 in cartis 56 notatam, prout in illa continetur.

Ipseque Gulielmus Landolina de dicto feudo Biliscari a Don Ioanne de Luna Preside ob mortem Domini Regis Ferdinandi cepit investituram die XIII^o Februarii V^o Inditionis 1517 notatam in libro anni 1516 f.^o 562. Et iuravit reddere uncias 07. XX

Ulterius vero prenominatus Raynaldus Landolina Ioanni Landolina eius filio tertio genito legitimo et naturali feudum Binuini dedit, qui Ioannes ob dictam paternam donationem pro se et eius heredibus et successoribus in perpetuum, iuxta formam sui privilegii, de dicto feudo Binuini a tunc in Regno Preside investituram, iuribus Curie et alterius semper salvis, die XVIII^o Decembris XI^o Inditionis 1507 in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 58 notatam habuit et consecutus extitit. Notandum tamen est, quod in Regia Cancellaria non inveniuntur contractus donationum predictorum duorum feudorum, Biliscari scilicet et Binuini, ut videri possit si Raynaldus predictus ipsorum duorum feudorum formam strinxit, scilicet, quod illa eisdem suis filiis et illorum heredibus de eorum corporibus legitime descendentibus donaverit iuxta formam donationis prelibato Maynieto eius filio primogenito facte. Et sic nullam de his dare valeo rationem; veniant ergo dicti contractus donationum, ne forte in illis illa stricta forma contineatur, que in prima donatione continetur, ut casu adveniente Regie Curie iura preserventur.

•catheno matrimonio iuncta fuit; que Andreeva, cum Gulielmi Raymundi de Montecatheno eius filii aliorumque filiorum suorum consensu et ratificatione, dictam eius Salinarum medietatem cum gabella centimulorum Castri Ioannis magistro Blasco de Montana et magistro Petro lu Presti pro unciis tricentis vendidit et venditionis titulo concessit, infra quos Blascum de Montana et Petrum lu Presti, facta exinde de dictis rebus venditis divisione, dicta Salinarum medietas prefato Blasco devenit, et centimulorum gabella predicto Petro lu Presti remansit.

Eisdem in informationibus nec minus apparet prefatum Anthonium de Tudisco seniore, Anthonii de Tudisco iunioris patruum rebellem ut supra, qui Agathe sororis Mannelle ut predicatur maritus fuit, prefato Anthonio de Tudisco iuniori eius nepoti de reliqua Salinarum predictarum medietate donationem fecisse inter vivos irrevocabilem, ut in huiusmodi donationis contractu manu notarij Ioannis de Gregutio, IV^o Aprilis III^e Inditionis 1423 celebrato, diffusius continetur. De qua donatione ipse Anthonius de Tudisco iunior a prefato domino Rege Alfonso confirmationem obtinuit, datam Valentie XXVII^o Novembris 1426, cum militaris tamen servitii et Regie Curie iurium reservatione, prout in illa latius exponitur.

Postmodum autem prenomminatus Anthonius de Tudisco iunior donatarius qui supra in ultimis quibus decessit, de dicta Salinarum medietate Ioanni de Tudisco legum doctori eius filio donationem fecit sive eius testamentaria dispositione legavit. Qui Ioannes de Tudisco a prefato magistro Blasco de Montana reliquam Salinarum medietatem, quam Blascus, ipse ut predicatur, ab Andreeva donataria dicte Mannelle emerat emptionis nomine certo mediante pretio, consecutus est; sicuti in ipsius venditionis contractu per notarium Nicholaum de Francavilla, XVIII^o Iulii XIII^e Inditionis 1435 celebrato, latissime patet. Et sic ipse Ioannes de Tudisco totam integram Salinarum predictarum gabellam sive feudum habuit et assecutus est, de quibus integris Salinis a domino Rege Alfonso Ioannes ipse confirmationem obtinuit, cum clausula, tamen, quatenus ad nos spectat et predicta vera sint nec aliud sit quod obsistat, acceptamus, laudamus, approbamus et pleno regio favore confirmamus eidem Ioanni et suis heredibus et successoribus in perpetuum, ac de novo concedimus et donamus iuxta tenores privilegiorum de dicto feudo concessorum Ioanni predicto, ut supra, prout in ipsius domini Regis Alfonsi privilegio, dato Neapolis XXVIII^o Iulii VIII^e Inditionis 1445, de quo viceregia emanavit executoria notata in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 85, serius exaratur.

Prefato vero Ioanne de Tudisco defuncto, successit sibi in dicta Salinarum gabella sive feudo Pamphilius de Tudisco eius filius, qui pro se suisque in perpetuum heredibus de suo corpore legitime descendentibus in feudum sub dicto consueto militari servitio ab Archiepiscopo Panhormitano, tunc in regno Preside, confirmationem et investituram reportavit, Constitutionibus et Capitulis domini Regis Iacobi aliorumque retro regum super demalialibus editis aliisque Regie Curie iuribus semper salvis, quemadmodum in ipsa confirmatione, data Pannormi II^o Februarii II^o Inditionis 1453 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 697 notata, explanatur.

Quo quidem Pamphilio de Tudisco sine liberis e vita migrante, sibi in dictis Salinis Constantia mulier uxor relicta condam Iacobi Campoli Messanensis eius soror successit, ipsasque Salinas Constantia predicta eidem Iacobo eius viro in dotem apportavit. Contra quos iugales dictam gabellam Salinarum possidentes, condam Ioannes Thomasius de Montecatheno Adernionis comes, tamquam filius et heres cum beneficio inventarii condam Guilelmi Raymundi de Montecatheno prenominate Andreve filii, litem intemptavit et movit Salinas easdem petendo, non obstante alienatione per dictam Andrevam eiusdem Guilelmi Raymundi matrem et ipsius Ioannis Thomasii aviam de dictis Salinis in magistrum Blascum de Montana et Petrum lu Presti facta; asserens idem Ioannes Thomasius de Montecatheno se ex pacto et providentia Principis, aliisque rationibus et causis in predicta Salinarum gabella succedere potuisse; et tandem de Salinis ipsis contra prefatam Constantiam et eius virum a Magna Regia Curia in sui favorem sententiam reportavit, per quam iugales ipsi ad restituendum dicto Comiti prefatas Salinas cum illarum fructibus et omni causa a contestate litis tempore citra condempnati fuere, prout in ipsa sententia, VII^o Septembris XII^o Inditionis 1493 Messane lata, cerni potest. Pendente exinde huiusmodi appellatione sententie, partes ipse ad accordium devenerunt, taliter quod, traditis et assignatis per dictos Iacobum Campulum et Constantiam coniuges prefato Ioanni Thomasio de Montecatheno comiti unciis quatringsentis in contanti, prenominate comes iugalibus ipsis eorumque heredibus et successoribus Salinas predictas renunciavit: cedens illis omnia iura que in dictis Salinis, tam ipse comes quam sui heredes tunc nati et de cetero nascituri, habebant et haberi poterant, sicuti in contractu, super hoc XII^o Octobris XII^o Inditionis 1494 manu notarij Antonij Manianti Messanensis facta, late patet. De quo contractu iugales prefati a condam Ferdinando de Acuña, tunc in regno prorege, cum ipsius contractus inserto tenore confirmationem, Messane VI^o Martii XII^o Inditionis 1494 in Regie Cancellarie libro anni 1493 f^o. 182 notatam, habuerunt.

•

Feudum li Mangini

Et nihilominus attendendum est, quod feudum li Mangini memoratum est feudum de per se antiquum et paternum, quod nunquam de membris feudi Burgii fuit, prout in antiquis privilegiis superius mentionatis enarratur, intitulatur et exponitur, et in omnibus preactis investituris ipsum Mangini feudum non nominatur, nisi tantum feudum Burgii et sic iura Regie Curie fraudantur.

Feudum Capopassari

Feudum Capopassari in territorio Civitatis Nothi situm per eundem Maynictum Landolina tanquam de membris dicti feudi Burgii possidetur, de quo superius facta est mentio et tamen nonnullorum et presertim Ioannis de Landolina baronis feudi Frigintini relatu apparet dictum Capopassari feudum de per se feudum nobile esse, paternum et antiquum. Et sic valde miror quare illius possessores de eo non se investiverint ac ius relevii et alia iura regie Curie spectantia non exsolverint, quod in grave damnum, preiudicium et lesionem ipsius Regie Curie tendere non dubium est. Et nihilominus in ipsa Regia Cancellaria de ipso Capopassari feudo privilegium aliquod non reperitur et ideo in hoc est recte attendendum et providendum.

Exinde vero dictus Maynictus Landolina de dicto feudo Burgij ob mortem Catholici Domini nostri Regis Ferdinandi a Don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die XXVIII^o Ianuarii V^o Inditionis notatam in libro anni 1516 f.^o 461, et iuravit reddere uncias LXXXX

Et similiter sepedictus Ioannes Landolina de dicto feudo Binuini ob mortem Domini Regis Ferdinandi a Don Ioanne de Luna preside cepit investituram die XIII^o Februarij V^o Inditionis anni 1517 notatam in libro anni 1516 f.^o 562. Et iuravit dictum feudum redditus esse uncias , XVI

•

Feuda

Rauioannis Bordonarij Baulica Artisina

Feudum et Castrum Rauioannis in valle Castri Joannis huius Sicilie ultra farum Regni positum, per Rogerellum de Iheremia ex diutina concessione sub certa forma sibi per Regiam Curiam facta antiquitus possidebatur. Quo tandem Rogerello absque liberis de suo corpore legitime descendentibus deficiente, feudum antedictum ad dicte Regie Curie manus et posse devenit. Postmodum autem Serenissimus Rex Ludovicus Serenissime regine Elisabeth eius matri, sub debito et consueto militari servitio, feudum antedictum Rauioannis concessit, illud a sacro Regio demanio et domini possessione segregando, cum potestate etiam illud vendendi alienandi et imperpetuum cuicumque sibi placuerit donandi et concedendi, constitutionibus et capitulis consuetudinibus legibus usibus et privilegiis quibuscumque minime obstantibus, quemadmodum quoddam in eiusdem Regis Ludovici privilegio, de quo nullus apparet textus, contineri dicitur.

Tandem prenominata Elisabet Regina suis, ut asseruit, ac dicti Regis Ludovici eius filii aliorumque filiorum suorum urgentissimis conduceret necessitatibus, notario Ioanni de Paulillis ipsius Regine secretario et suis imperpetuum heredibus, sub dicto consueto militari servitio, pro unciis auri octingentis feudum sepedictum vendidit, sicuti quoddam in publico contractu manu notarii Nicholay de Lardera die XV^o Iulii II^e Inditionis 1349 celebrato hec et alia contineri dicuntur. Ipsamque venditionem idem Rex Ludovicus predicto notario Ioanni de Paulillis et suis imperpetuum heredibus, eatenus quatenus in ipso puplico instrumento continetur, acceptavit et confirmavit ac quanto eius competiit maiestati de novo concessit; regia fidelitate, predicto militari servitio et iuribus Regie Curie ac alterius cuiuslibet semper salvis, prout in quodam regio privilegio dato Messane XVIII^o Iunii II^e Inditionis 1349 latius exponitur.

Defuncto exinde prelibato notario Ioanne de Paulillis, Nicholaus Paulillus eius unicus filius sibi in dicto feudo Rauioannis successit, qui a Serenissimo Rege Federico eiusdem Regis Ludovici fratre et in regno succedente dictis feudo et Castro pro se et suis heredibus sub dicto consueto militari servitio iure Francorum, iuribus Curie et

alterius ac constitutionibus et capitulis domini Regis Iacobi et aliorum Sicilie regum semper salvis, confirmationem et investituram obtinuit, ut in ipsius regis Federici privilegio dato Messane XXIII^o Ianuarii VIII^o Inditionis 1370 et in Regie Cancellarie libro anni 1364 in cartis 94 notato continetur.

Deinde autem idem Nicholaus Paulillus contra serenissimos Regem et Reginam Mariam rebellionem et prodicionem exercuit; quam ob rebellionem feudum ipsum Rauioannis ac prenominata feuda Bordonarij Lartisine et Baulice regio demanio fuerunt penitus devoluta et aperta. Et tandem prefati Reges Martinus et Maria Andree de Paulillis predicti Nicholay fratri et suis imperpetuum heredibus more Francorum feuda predicta Rauioannis Bordonarii Artisine et Baulice in feudum perpetuum donarunt et concesserunt. Que quidem feuda, ob rebellionem dicti Nicholay de Paulillis factam, Reges ipsi eidem Andree de Paulillis concessere, sicuti in ipsorum regum privilegio dato Cathanie V^o Augusti I^o Inditionis 1392 et in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 51 registrato continetur.

Et nihilominus est valde mirandum, quo iure dictus Andreas Paulillus exposuerit et supplicaverit se prenominati Nicolay Paulilli rebellis, filii notarij Ioannis Paulilli primi acquisiteoris, se fratrem fuisse. Nam dictus Nicholaus fratrem non habuit, immo unicus legitimus predicti notarii Ioannis primi acquisiteoris filius fuit, ut per verba textus privilegii dicti Regis Fiderici patet, que inter cetera sunt huiusmodi scilicet: et nostro culmini quo supra nomine fuit humiliter supplicatum ut cum mortuo quondam prefato Ioanne Paulillo milite, patre dicti Nicholay, nullis alijs filijs legitimis derelictis, idem Nicolaus in omnibus bonis dicti patris sui et specialiter in dicto feudo de iure succedat etc. Ecce ergo, quod sub falsa expositione et surreptitio modo dictus Andreas Paulillus dicta feuda sibi impetravit; nihilominus contingere potuisset eundem Andream spurium sive bastardum filium dicti notarii Ioannis de Paulillis fuisse; tamen ipso in privilegio de huiusmodi bastardia sive legitimacione et eiusdem Andree habilitacione nulla extitit facta mentio; tamen quicquid sit apparet dictum privilegium nullum habuisse effectum. Nam dicti Reges Martinus et Maria in anno 1396 feuda ipsa Rauioannis, Bordonarii, Artisine et Baulice, don Chicco de Vigintimilia clerico et suis in perpetuum heredibus et successoribus, sub consueto militari servitio et cum revocatione omnium aliarum concessionum de ipsis feudis cuicumque persone factarum, cum clausula etiam, non obstante quod dictus don Chiccus sit clericus et in sacris ordinibus constitutus, derogando expresse et ex certa eorum sciencia regia et plenitudine pote-

statis omni iure in hac parte contradicenti, concesserunt et donarunt, quemadmodum in ipsorum regum privilegio dato Messane XI^o Decembris V^o Inditionis 1396 et in regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 67 notato late patet.

Et nihilominus est recte inspiciendum, si reges ipsi in preiudicium regalium in regno succedentium ecclesiasticis personis feuda ipsa concedere poterant, et si in hoc potestatis plenitudo et iurium derogatio ac regni capitula valere possunt. Preterea est attendendum quod filii predicti don Chicci essent naturales filii, ac per hoc incapaces ad feudorum successionem, nisi legitimacionis et habilitacionis privilegium appareret.

In anno tamen 1398 quoddam a dictis Regibus Martino et Maria in personam don Francisci de Vigintimilio, eiusque uxoris et filiorum legitimorum et naturalium atque bastardorum sive spuriorum, apparet emanasse privilegium, quo illis reges ipsi rebellionem per ipsum don Franciscum contra eorum regias maiestates patratam remiserunt, eis omnia eorum bona feudalia et burgensatica et presertim feuda antedicta restituentes his verbis inter cetera loquendo, scilicet: exinde forsitan sequitis de bonis et super bonis dicti domini Francisci uxoris et filiorum, videlicet feudo et castro Rauioannis cum feudis Raulica Bordonarii et Artisine, prout dictum feudum et castrum possidebantur per quondam Nicolaum Paulillum olim baronem etc. Similiter idem don Franciscus de Vigintimilio a quondam Francisco de Vigintimilio comite Geracij et Golisani genitum fuisse narratur, quemadmodum eodem in privilegio dato Randacij XIII^o Augusti VI^o Inditionis 1398 et in Regie Cancellarie libro anni 1401 in cartis 72 notato late patet. De quo ab eisdem dominis regibus in personam Anthonij de Vigintimilio Eufemie et Flodelisie fratris et sororum, eiusdem don Francisci filiorum, facta emanavit confirmacio, quos filios dictus don Franciscus sui ultimi testamenti vigore in dictis feudis et alijs bonis suis heredes instituit, cum clausula quod vivant iure Francorum ac cum constitucionum Sicilie regum ac Regie Curie iurium reservacione, prout in alio regio privilegio dato Cathanie XV^o Aprilis X^o Inditionis 1402 et in eodem libro et folio registrato continetur.

Maxima ergo admiratione adducor, quia percipere non possum si hic don Franciscus de Vigintimilio, qui uxorem et filios habuit ut supra, fuerit ille don Chiccus de Vigintimilio clericus, qui de pre-nominatis feudis in anno 1396 cum Regie curie iurium et legum derogatione, quia clericus fuerat, concessionem obtinuit; nam evidenter apparet quod, quando clericus erat in dicto scilicet anno 1396, idem don

Chiccus uxorem et filios non habebat. Quomodo ergo in termino mensium viginti, scilicet in anno 1398 XIII Augusti VI^o Inditionis, inventus est uxorem et tres filios habuisse legitimos, ultra aliquos spurios habebat? Et sic mihi videtur in hoc esse recte attendendum ut veritas elucescat.

Tandem post mortem eiusdem don Francisci de Vigintimilio Antoninus de Vigintimilio eius filius sibi in dictis feudis successit, cui per Ilariam Andree de Castellar uxorem ut heredem quondam Ilarie de Vigintimilio, tunc Benedicti Berengarii de Perapertusa coniugem, tanquam heredem quondam Ioannis de Paulillis filii quondam Nicholay de Paulillis vocati rebellis, in anno 1450 intemptata fuit et mota lis seu questio; qui quidem Anthonius de Vigintimilio sententiam in sui favorem reportavit, quod dicta Ilaria amplius non audiretur, preclusa sibi ulterius agendi via contra dictum Anthonium, sicuti in ipsa sententia in regie cancellarie libro dicti anni 1450 in cartis 311 notata continetur.

Demum vero dictus Anthonius de Vigintimilio de omnibus dictis feudis a don Lop Ximen Durrea, tunc in regno preside, investituram pro se eiusque imperpetuum heredibus et successoribus cum inserto tenore privilegii dicatorum regum Martini et Marie eidem don Chicco clerico concessi, consecutus extitit. Qua in investitura expressa fit mentio, quod mortuo dicto D. Chicco, idem Anthonius de Vigintimilio eius filius legitimus et naturalis sibi in dictis castro et feudis successit, prout in ipsa investitura in Regie Cancellarie libro anni 1453 in cartis 577 notata serius exaratur.

Est tamen notandum, quod in privilegio indulgentie et remissionis prenarrate eidem don Francisco de Vigintimilio eiusque uxori et filiis per eosdem reges concesso, Reges ipsi illis et eorum heredibus iure Francorum feuda predicta concesserunt, et in hac investitura per dictum viceregem indulta, nulla de dicto iure Francorum mentio facta est, immo dicta feuda pro heredibus et successoribus in larga forma conceduntur. Et sic ad concessionem investiturarum est recte attendendum, et oculis clausis investiture concedi non debent.

Quo quidem Anthonio de Vigintimilio defuncto, successit sibi in dictis feudis Ra ioannis, Bordonarij, Raulice et Artisine, Franciscus de Vigintimilio eius filius legitimus et naturalis, qui pro se eiusque heredibus imperpetuum et successoribus a Gulielmo de Peralta et Gulielmo Puiades, tunc in regno proregibus, de dictis feudis, XVIII^o Decembris VIII^o Inditionis 1475, investituram habuerunt in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 134 notatam, ut in illa continetur.

Defuncto demum dicto Francisco de Vigintimiliis, successit sibi

in dictis feudis Antonellus de Vigintimiliis minor eius filius primogenitus legitimus et naturalis, qui pro se suisque cepit investituram die VII^o Iunii V^o Inditionis 1487 registrata in libro 1486 f.^o 589.

In presentiarum autem, anno 1512 corrente, dicta Rauioannis Baulice Bordonarii et Artisine feuda per Antonium de Vigintimiliis possidentur (1). Que feuda anno quolibet reddunt circa uncias 07. CCCXXXVI

Nihilominus, quia dictum Rauioannis feudum per prefatum Regem Ludovicum predictae Regine Elisabet eius matri semel concessum extitit, nulla de alijs feudis facta mentione, quod feudum Rauioannis regina eadem quondam notario Ioanni de Paulillis exinde vendidit et in ipsa vendicione nulla alia nominantur feuda. Quomodo ergo prenominata feuda Bordonarij Artisine et Baulice in vim quodam modo dicte vendicionis in posse illorum de Paulillis reperta fuere, taliter quod ob eorundem rebellionem tam dictum Rauioannis feudum quam feuda predicta Bordonarij Artisine et Baulice per Serenissimum Regem Martinum quondam don Chicco de Vigintimilijs, a quo modernus illorum possessor descendit, concessa fuere, ut supra exponitur? Unde cum non constet ipsa tria feuda Bordonarij Artisine et Baulice de membris et pertinencijs ipsius feudi Rauioannis esse, et de illorum concessione nullus alius reperiatur titulus. clarissime demonstratur eadem tria feuda Bordonarii Artisine et Baulice a sacro Regio Demanio usurpata fuisse, licet concessio illorum per prefatum Regem Martinum dicto don Chicco de Vigintimilijs facta inueniatur, cum presertim in ea nulla sit mentio quod ipsa tria feuda de membris et iuribus dicti feudi Rauioannis sint, sive quod feuda de per se et ab illo separata existant. Et ideo pro curie cautela de omnibus veritas inquiratur.

Dictus vero don Anthoninus de Vigintimilijs de dictis feudis Rauioannis Bordonarij Baulice et Artisine, ob mortem domini Ferdinandi Regis, cepit investituram a Don Ioanne de Luna preside, die XXII^o Ianuarii V^o Inditionis, notatam in libro 1516 f.^o 408. Qui per eius procuratorem iuravit dicta feuda in universo reddere 07. CCCXXXVI

(1) Nel testo sieguono le seguenti linee, che appariscono cancellate: *Et tamen non inuenitur in regia Cancellaria inuestitura per eum capta.*

Feudum Asmundi

Feudum sive casale vocatum Asmundi in valle Nothi prope territoria Aydoni et Monialini positum, per Rogerium de Lamia antiquitus possidebatur, quo tamen iure illud idem Rogerius possidebat nullus apparet titulus. Tandem, cum Rogerius ipse contra serenissimos Reges Martinum et Mariam rebellionem perpetrasset, ob ipsam rebellionem feudum predictum Regie Curie devolutum fuit. Et sic reges ipsi casale Asmundi memoratum quondam Bartholomeo de Iuenio et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servitio, iuribus et regalijis dicti feudi pro regia curia reservatis, concesserunt sicut in ipsorum Regio privilegio dato Leontini penultimo Septembris prime Inditionis 1392 et in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 155 notato, continetur.

Deinde autem, cum prelibatus Bartholomeus de Iuenio coram prefato Rege Martino comparuisset, illique exposuisset se de dicto Asmundi feudo ac terra Aydoni et feudis Fessime, Petretaglate, Imbaccarati, et Petre lixe, Perrono de Iuenio eius filio manu notarij Ioannis Andree V^o Marcij XI^o Inditionis 1402 donationem fecisse.

Nec non et ad maiorem cautelam VIII^o Iulij XV^o Inditionis 1407 manu notarij Gulielmi Cartella eidem Perrono eius filio de eisdem Terra Aydoni et feudis aliam donacionem se etiam fecisse, Rex ipse Martinus eidem Perrono de Iuenio suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus utriusque sexus, iure Francorum sub consueto militari servicio et cum clausula quod, si dictum Perronum suosque legitimos filios sine liberis eorum de corpore legitime descendentibus mori contigisset, terra Aydoni eadem cum dicto Asmundi feudo et alijs ad prenominatum Bartholomeum de Iuenio illius patrem et donatorem aliosque eius filios suo de corpore legitime descendentes reverteretur, donacionem eandem sive iuris cessionem, regis Iacobi constitutionibus aliorumque Sicilie regum iuribusque regie Curie et alterius semper salvis, acceptavit et confirmavit seu de novo in feudum concessit, quemadmodum in ipsius regis Martini alio privilegio dato Cathanie XI^o Iulij XV^o Inditionis 1407 late patet

Decedentibus demum prefato Bartolomeo de Iuenio et successive Perrono de Iuenio antedicto illius filio, illis in dicto Asmundi feudo

terra Aydoni ac alijs feudis predictis successit Bartholomeus de Iuenio prelibati Perroni filius, a quo non apparet in Cancellaria de ipsis captam fuisse investituram.

Ipsoque Bartholomeo de Iuenio defuncto, sibi in eisdem terra et feudis successit Perruchius de Iuenio eius filius, qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum sub consueto militari servicio de ipsis feudis a don Lupo Ximene Durrea, tunc regni prorege, XX^o Augusti prime Inditionis 1453 investituram, in regie cancellarie libro dicti anni in cartis 678 notatam, obtinuit.

Quo Perruchio de Iuenio defuncto, sibi in dictis feudo Asmundi terra Aydoni ac alijs feudis successit Bartholomeus de Iuenio illius filius, qui a don Ferdinando Dacuña, tunc regni prorege, de predictis investituram in regie cancellarie libro anni 1494 in cartis 341 notatam reportavit.

In presentiarum autem, anno 1512 currente, dictum Asmundi feudum terra Aydoni ac feuda predicta per dictum Bartholomeum de Iuenio possidentur; quod Asmundi feudum reddit anno quolibet 07...

Feudum Alagona sive Fusti

Feudum et Castrum sive fortilicium Alagona nuncupatum, quod olim Fusti dicebatur, cum molendino et alijs eius iuribus in valle Nothi, ut asseritur, positum, per Blascum de Alagona antiquitus possidebatur; quo tamen iure nullus in Regia Cancellaria titulus apparet, neque privilegium. Qui Blascus cum exinde contra Serenissimos Reges Martinum et Mariam rebellionem patrasset, illius bona universa et presertim dictum feudum et castrum regie Curie devoluta fuere, et ob id reges ipsi feudum ipsum cum molendino Honofrio Bonzuli et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus, iure Francorum sub debito militari servitio concesserunt, et cum clausula, scilicet: et quia his temporibus proxime preteritis dictum castrum et feudum possidebat notarius Anthonius de Montecatheno Comes Adernionis, et dubitatur si idem comes ex causa nostre donationis vel alia quacumque ius aliquod habebatur in dictis castro et feudo, ex quo propter rebellionem olim commissam per ipsum comitem contra serenitates

nostras illud ius quod forsitan habebat in eisdem extitit nostre curie confiscatum, ex abundantiori gratia transferimus in eundem Honofrium et dictos suos heredes de suo corpore legitime descendentes omnia iura omnesque actiones et causas reales et personales nobis et curie nostre acquisita ex causa rebellionis olim commisse per ipsum Comitem Antonium contra serenitates nostras ut supra etc. Et cum clausula, constitutionibus et capitulis domini regis Iacobi et aliorum retro regum iuribus Curie et alterius semper salvis, sicuti in ipsorum regum privilegio, dato Cathanie XVI^o Iunii VI^o Inditionis 1397 et in regie cancellarie libro anni predicti in cartis 139 notato, continetur.

Mortuo exinde prelibato Honofrio Bonzuli primo dicti feudi acquisite, Matheus Buzuli eius filius legitimus et naturalis sibi in dictis castro et feudo successit, qui non apparet de dicto feudo investituram aliquam obtinuisse.

Ipsaque Matheo Buzuli defuncto, sibi in dicto feudo successit Honofrius Bonzuli eius filius legitimus et naturalis ac maior natu, qui pro se eiusque heredibus de suo corpore legitime descendentibus, iure Francorum, iuribus curie et regni capitulis semper salvis, de dicto feudo et molendino ab Archiepiscopo Panhormitano, tunc in regno preside, investituram in regie Cancellarie libro anni 1453 prime Inditionis in cartis 588 notatam consequutus extitit.

Perquisitis itaque regie Cancellarie registris a dicto anno 1453 usque ad presens, anno 1512 currente, nullam de dicto feudo investituram actum vel privilegium inveni. Et sic nullam dare valeo rationem in cuius posse dictum feudum pervenerit. Et ideo pro curie cautela super hoc debite provideatur.

Rididini et Bayhalmindari feuda

Feudum Rididini nuncupatum in valle Nothi situm et positum per quondam Petrum de Modica et Ceciliam iugales antiquitus possidebatur, quo tamen iure illa (*sic*) possidebant nullus in regia Cancellaria titulus sive privilegium apparet. Tandem iugales prenominati feudum predictum quondam Petro de Capoblanco et suis imperpetuum heredibus precio unciarum LXXX vendiderunt; pro quo precio salmas centum septuaginta quinque frumenti, oneratum et in quadam navi

regis Francorum vocata Sancta Maria tunc in Siracusano portu existenti, habuerunt et receperunt: quemadmodum in ipsius vendicionis contractu, in actis notarij Petri de Parisio die VIII^o Septembris III^o Inditionis 1364 celebrato, continetur. Quem vendicionis contractum serenissimus Rex Federicus cum illius inserto tenore ratificavit et confirmavit, sicuti in regia provisione in regie Cancellarie libro annorum 1360, 1366 in cartis 457 notata late patet.

Mortuo exinde dicto Petro Capublanco, feudum Rididini memoratum in posse Pauli Capublanco ipsius Petri filii naturalis pervenit, qui Paulus contra Serenissimos Reges Martinum et Mariam rebellionem exercuit. Et sic, tum rebellionem prelibata, tum nonnullis simulatis et fraudulentis donationum et alienationum contractibus de dicto feudo Rididini per prenommatum Petrum Capublanco dicti Pauli patrem in Anthonium de Capoblanco eius nepotem factis, qui Anthonius dictum feudum Bernardo Thome et prefato Paulo eius filiis spuris sive bastardis donavit, feudum ipsum Riddidini Regie Curie apertum fuit et devolutum. Ob quod reges ipsi feudum predictum Rididini in feudum perpetuum sub militari servicio Francisco de Aricio Siracusarum et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus iure Francorum concesserunt, sicuti in ipsorum regum privilegio dato Catanie XXII^o Novembris II^o Inditionis 1394 et in regie Cancellarie libro anni 1396 III^o Inditionis in cartis 104 notato continetur.

Postmodum autem dictum Rididini feudum, nec non et feudum Rayhalmandari in eodem Nothi territorio et valle etiam positum in posse Perruchii Lanza devenerunt. Perquisitis itaque per me regie Cancellarie codicibus, tum ut antiquum dicti feudi Rayhalmandari privilegium viderem, tum ut scirem quomodo utrumque feudum Rididini scilicet et Rayhalmandari in ipsius Perruchii posse devenerit, nulum tamen titulum privilegium et scripturam de dicto feudo invenire potui. Et propterea nullam dare valeo rationem si feuda ipsa ad eundem Perruchium iuridice pervenerunt. Tandem, quicquid sit, Perruchius Lancea memoratus utrumque feudum Filippo De Naro medicine artis doctori precio unciarum quingentarum, vigore contractus XI^o Septembris X^o Inditionis 1431 per notarium Ioannem de Minardo celebrati, vendidit. Qua feudorum predictorum facta vendicione et ad notitiam Ferdinandi Velasquez regii procuratoris et gubernatoris in terra Nothi devento, quod huiusmodi vendicio facta extiterat ex parte Serenissimi Regis Alfonsi in vim capituli *Volentes*, Ferdinandus ipse feuda predicta a posse dicti Philippi De Naro emptoris pro decima parte minus precio predicto recuperavit et redemit, pecunia tamen, ut dixerunt, condam Baptiste de Platamone legum doctoris.

Quibus quidem feudis recuperatis et ut supra redemptis, idem Ferdinandus Velasquez regio nomine feuda predicta Rididini et Rayhalmandari in eundem Baptistam de Platanone et suos imperpetuum heredes et successores (satisfacto prius eidem Philippo De Naro de dicto precio et expensis) alienavit, sicut in ipsius Ferdinandi gubernatoris privilegio, dato in castro Iacij VI^o Februarii XI^e Inditionis 1432, continetur; cuius virtute Baptista predictus dictorum feudorum possessionem obtinuit. De quo etiam privilegio a Serenissimo don Petro Infante, tunc in regno vicario, executoria et confirmacio emanavit; et inde idem Rex Alfonsus utrumque privilegium prelibato Baptiste de Platanone et suis imperpetuum heredibus et successoribus confirmavit, seu de novo eidem dicta feuda concessit sub debito militari servitio, prout in ipso regio privilegio dato Neapoli X^o Aprilis VIII^e Inditionis 1446 late patet. De quibus privilegijs, instante Iulio Sanctio de Platanone eiusdem Baptiste filio, lapsu anni infra quem privilegia ipsa presentata non extiterant minime obstante, a Don Lop Ximen Durrea tunc in regno prorege die XVI^o Iulii prime Inditionis 1453 executorie in regie Cancellarie libro anni 1452 in cartis 306 notate emanarunt.

Quo tandem Baptista de Platanone defuncto, sibi in dictis feudis successit prelibatus Iulius Sancius de Platanone eius filius legitimus et naturalis, qui pro se eiusque imperpetuum heredibus et successoribus de eisdem feudis a don Archiepiscopo Panhormitano tunc in regno preside investituram sub consueto militari servitio, iuribusque curie et alterius semper salvis, reportavit, sicuti in ipsa in regie Cancellarie libro anni 1453 II^e Inditionis in cartis 608 notata latius est videre. In anno vero 1463 feuda Riddidini et Rayhalmandari antedicta in regie Curie posse devenisse repperi, et tamen non inveni quo modo illa dictus Iulius Sanctius de Platanone amiserit. Tandem Regia Curia ipsa Gulielmo de Daniele feuda memorata vendidit, qui Gulielmus in ipsorum feudorum possessionem exinde immissus fuit, ut in quodam actu dicte possessionis facto XV^o Ianuarii XII^e Inditionis 1463 et in regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 90 notato late patet.

Deinde vero feuda antedicta Rididini et Rayhalmandari in posse Guilhelmi Inposa devenere, et nihilominus in Regia Cancellaria non invenitur quo iure in illis successerit, et propterea necessarium videtur prenominatos ipsorum feudorum possessores ad edendum illorum titulos pro Curie cautela cogi et compelli.

Postmodum autem predictus Gulielmus Inposa, filiorum legitimorum defectu, eius cum ultimo testamento feuda predicta Gulielmo

Inposa eius naturali filio sive spurio legavit, qui tandem privilegio serenissimi regis Ioannis vestri regii Culminis patris mediante, legitimus et ad feudorum ipsorum successionem habilis et capax pro se suisque heredibus et successoribus quibuscumque perpetuo effectus fuerat. Qui Guillelmus Inposa minor pro se et dictis suis heredibus a Don Lop Ximen Durrea tunc vicerege de dictis feudis sub consueto militari servitio XXII^o Maij V^e Inditionis 1472 investituram in Regie Cancellarie libro anni 1470 in cartis 137 notatam obtinuit.

Ipsoque Guillelmo Inposa iuniore defuncto, sibi in dictis feudis Rididini et Rayhalmandari successit Catherina eius filia legitima et naturalis ac heres particularis ipsius Guillelmi sine filiis masculis decedentis, que pro se suisque quibuscumque heredibus a don Iohanne de Lanuça tunc Vicerege die XXII^o Septembris III^e Inditionis 1500 investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 69 notatam de dictis feudis assecutus est.

Hodie vero, anno 1511 currente, feuda antedicta Rididini et Rayhalmandari per eandem Catherinam possidentur et reddunt anno quolibet ultra uncias L

Et exinde Franciscus de Platamone, tanquam maritus et legitimus administrator dicte Catherine, ob mortem Catholici Domini Nostri Ferdinandi Regis, a Don Ioanne de Luna preside de eisdem feudis Rididini et Rayhalmandari cepit investituram die XII Ianuarii V^e Inditionis notatam in libro anni 1516 f.^o 430 et iuravit reddere uncias L

Aquila terra et castrum

Castrum cum casali sive terra de Aquila in valle Nothi positum per condam Leonem de Sancto Stefano antiquitus possidebatur, quo tamen titulo illud idem Leo possidebat non invenitur. Cumque exinde Leo prefatus contra Srenissimos Reges Martinum et Mariam rebellionem exercuisset, feudum predictum Regie Curie apertum et devolutum extitit, quam ob rebellionem Reges ipsi feudum antedictum Ioanni de Crudillis et suis imperpetuum heredibus de suo corpore legitime descendentibus iure Francorum sub consueto militari servitio concessere cum clausula, constitutionibus Regis Iacobi et aliorum

Sicilie regum ac iuribus Curie et alterius semper salvis, pro ut in eorum regio privilegio dato Cathanie XXV^o Ianuarii VI^e Inditionis 1397 et in Regie Cancellarie libro dicti anni folio primo notato, continetur.

Feudum Buccette

Feudum et castrum Buccette in valle Castri Iohannis situm per condam Antonium de Montecatheno alias de Sclafano tunc Adernionis Comitem antiquitus possidebatur, quo tamen iure in eius posse devenit nullus apparet titulus sive privilegium. Tandem ob dicti comitis Anthonii de Montecatheno rebellionem Serenissimi Reges uterque Martinus et Maria feudum et Castrum antedictum Henrico de Grimaldo et suis heredibus de suo corpore legitime descendantibus imperpetuum iure Francorum, sub debito et consueto militari servitio et cum clausula quod si aliqui in dicto feudo ius aliquod quacumque ratione vel causa haberent quoquomodo, eo casu habere debeant a Regia Curia exambium equivalentis, cum clausula etiam, constitutionibus Regis Iacobi et aliorum Regum iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, quemadmodum in ipsorum Regum privilegio dato Cathanie XVIII^o Ianuarii VI^e Inditionis 1397 in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 2 notato continetur. Quo quidem Henrico de Grimaldo dicti feudi primo acquiretore defuncto, Petrus de Grimaldo eius filius legitimus et naturalis sibi in dicto feudo successit, qui non apparet de dicto feudo investituram aliquam obtinuisse.

Ipsoque Petro de Grimaldo e vita sublato, sibi in dicto feudo Henricus de Grimaldo eius filius successit, qui pro se eiusque imperpetuum heredibus de suo corpore legitime descendantibus iure Francorum sub debito et consueto militari servitio iuribusque Curie et alterius semper salvis a Don Lop Ximen Durrea tunc in regno vicerege XX^o Iunij prime Inditionis 1453 de dictis Castro et feudo Buccette investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 542 notatam reportavit.

Inde vero ad certa tempora prefatus Henricus de Grimaldo Junior de dictis feudo et Castro Buccette Henrico de Grimaldo eius nepoti donationem fecit. Qui ultimus Henricus de Grimaldo donatarius dicto

donationis virtute a presidentibus qui tunc erant in regno de ipsis feudo et castro pro se eiusque heredibus de suo corpore legitime descendantibus iure Francorum die XXVII^o Decembris VI^e Inditionis 1487 investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 314 notatam consecutus exiit.

In presentiarum autem, anno 1511 currente, dictum feudum et Castrum Buccette per eundem ultimum Henricum de Grimaldis possidetur et reddit anno quolibet ultra uncias. CCLX

Et ultra dictus Henricus de Grimaldo de dicto Castro et feudo Buccette cepit a Don Ioanne de Luna Preside investituram pro se et suis heredibus de suo corpore legitime descendantibus, iure Francorum, ob mortem Domini nostri Regis Ferdinandi et successionem Serenissimorum Dominorum Regine Ioanne eius filie et Regis Caroli eius nepotis die XI^o Decembris V^e Inditionis 1516 notatam in libro Cancellarie dicti anni f.^o 278. Qui demum iuravit tactis Scripturis dictum feudum reddere dictas uncias. CCLX.

Feudum Cassibilis

Feuda et Castrum Cassibilis in valle Nothi sita et posita per condam Guillelmum Raymundum de Montecatheno tunc Meliveti marchionem antiquitus possidebantur, quo tamen iure illa per eum possidebantur nullus in Regia Cancellaria titulus apparet, qui Gulielmus Raymundus cum contra Serenissimos Reges Martinum et Mariam rebellionem exercuisset et per Magne Regie Curie sententiam rebellis declaratus fuisset, eius bona universa et signanter dicta feuda et Castrum Cassibilis Regie Curie devoluta extitere. Que tandem feuda et Castrum per ipsos Reges condam Iacobo de Aricio tunc Regni Prothonotario et suis heredibus de suo corpore legitime descendantibus iure Francorum, sub debito et consueto militari servitio, tum ob servitia per eundem Iacobum ipsis regibus prestita, tum pro unciis centum eiusdem regibus pro eorum necessitatibus mutuatis et aliis uncijs centum ad complementum unciarum ducentarum, quas in bellorum discriminibus pro gente armigera ipsorum regum restitutionem Regni Regio Demanio procurante Iacobus ipse expendiderat, tum etiam in excambium duorum feudorum nuncupatorum Binuini et

Biliscari, que condam Pauli Capublancu rebellis fuerant et per ipsos reges eidem Iacobo de Aricio concessa extiterant, sicuti in ipsorum feudorum Binuini et Biliscari capitulo superius in cartis . . . notato late verba facta sunt, concessa fuere, cum clausula etiam, quod in casu evictionis ipsi Reges eidem Iacobo equivalens excambium sive satisfactionem dictorum honorum dare et assignare tenerentur ad idem excambium Se omnino obligantes nec non cum multis aliis clausulis et cautelis de eorum certa scientia et plenitudine regie potestatis, omnibus legibus constitutionibus et capitulis in contrarium disponentibus derogatoriis, quemadmodum in alio dictorum regum privilegio dato Cathanie XVIII^o Ianuarii VI^e Inditionis 1397 et in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 76 notato hec et alia serius enarrantur.

Preterea cum idem Iacobus de Aricio feuda et Castrum Casibilis ex titulo oneroso tenere et possidere peroptasset, eidem uncias ducentis nonnulla damna sibi per dictum Guillelmum Raymundum marchionem illata, et signanter salmarum centum frumenti, quas in terra Auguste sibi vi abstraxerat valoris florenorum octingentorum, in quibus dicti reges se debitores esse dixerant aliaque damna animalium, pecuniarum ac uncias sexaginta duas, ad quas dictus Marchio, suo mediante chirographo, et per consequens fiscus regius, tamquam dicti marchionis rebellis heres, tenebatur, adiunxit. Quapropter Reges predicti eidem Iacobo de Aricio in hoc se debitores constituentes ipsi Iacobo omnia iura omnesque actiones reales, personales etc. super dictis feudis et castro Casibilis eis tam ratione rebellionis, quam alio quocumque iure seu titulo contingentibus concesserunt, sicuti in alio ipsorum regum privilegio dato Cathanie XIII^o Maij VII^e Inditionis 1399 et in Regie Cancellarie libro anni 1398 in cartis 177 notato continetur.

Mortuo exinde Iacobo de Aricio memorato, sibi in dictis Castro et feudis successit Nicolaus de Aricio eius filius legitimus et naturalis, qui pro se eiusque heredibus de suo corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servitio, iuxta formam suorum privilegiorum a tunc proregibus, constitutionibus et capitulis Serenissimi regis Iacobi iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, de dictis feudis et castro X^o Ianuarii XII^e Inditionis 1418 investituram in Regie Cancellarie libro anni 1420 in cartis 14 notatam reportavit.

Postmodum autem dicta feuda et castrum Cassibilis in Perij de Lancea baronis Ficarre posse devenerunt; tamen quo iure sive titulo ad illum pervenerint nullatenus Regia Cancellaria invenire potui ac per hec nullam dare valeo rationem et ideo pro Curie cautela

dictum feudum possidens ad edendum titulum dicti Perii Lancea cogatur.

Deinde vero idem Perius de Lanza Vassallo de Speciali et suis heredibus de suo corpore legitime descendantibus feudum et castrum prelibata pretio unciarum novingentarum, sub consueto militari servitio puplico, contractu facto manu notarij Antonij de Apreha XXVIII^o Iulij XV^o Inditionis 1467 medietatem vendidit; quem contractum don Lop Ximen Durrea tunc in regno Prorex confirmavit sive de dictis castro et feudo Cassibilis eidem Vassallo et suis heredibus de suo corpore legitime descendantibus, iure Francorum, sub consueto militari servitio, constitutionibus Regis Iacobi et aliorum Regum ac iuribus Curie et alterius semper salvis, IV^o Octobris III^e Inditionis 1469 investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 21 notatam concessit.

Defuncto denique eodem Vassallo de Speciali, sibi in dictis castro et feudis successit Ioannes Matheus de Speciali illius filius primogenitus legitimus et naturalis, qui pro se eiusque heredibus de suo corpore legitime descendantibus iure Francorum iuribusque Curie et alterius semper salvis a Don Lop Ximen Durrea tunc prorege IX Iunii VIII^e Inditionis 1475 de dictis Castro et feudis investituram in Regie Cancellarie libro anni 1474 in cartis 226 registratam reportavit.

Tandem prefatus Ioannes Matheus de Speciali de dictis Castro et feudo Cassibilis Domine Blance de Speciali eius uxori donationem fecit. Que Blanca a Don Gaspare de Spes tunc preside de ipsis Castro et feudis pro se et suis heredibus de suo corpore legitime descendantibus, iuxta formam suorum privilegiorum, sub consueto militari servitio, iuribus Curie et alterius semper salvis, ultimo Augusti III^e Inditionis 1486 investituram in regie Cancellarie libro anni 1485 notatam habuit et consecuta extitit.

Hodie vero, anno 1511 currente, dictum Castrum et feuda Cassibilis per ipsam Blancam de Speciali possidetur et reddit anno quolibet uncias C

Et ultra dicta domina Blanca de Speciali ob mortem Domini Regis Ferdinandi de dicto castro et feudo Cassibilis a Don Iohne de Luna preside cepit investituram die XVIII^o Ianuarii V^e Inditionis notatam in libro anni 1516 folio 512 et iuravit reddere uncias centum sive 07 C

Feudum Alfanum

Feudum vulgo Alfanum nuncupatum in valle et territorio Nothi existens per quandam Damiatam de...antiquitus possidebatur; quo tamen iure illud tenebat nullus in Regia Cancellaria titulus apparet. Dicta vero Damiatia Iacobe eius sorori, uxori Raynaldi de Biocta, feudum predictum legavit. Ipsa vero Iacoba suo cum ultimo testamento Franciam eius sororem, uxorem Nicholay Cappello de Notho in dicto Alfani feudo heredem instituit, pro ut in dicto testamento acto manu notarii Adnolfi Cappello XXII^o Novembris prime Indictionis 1332 continetur. Quam hereditariam institutionem Serenissimus Rex Ludovicus eidem Francie et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub debito militari servitio exinde confirmavit, cum clausula scilicet, quatenus institutio ipsa iuste rite et rationabiliter facta extitit etc., et cum clausula etiam, constitutionibus domini Regis Iacobi et aliorum retro regum iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, prout in privilegio dicti Regis Ludovici dato Cathanie sexto Novembris XIII^o Indictionis 1344, quod in ipsa Regia Cancellaria non invenitur, continetur.

Mortua exinde prenominata Francia, in cuius personam dictum privilegium celebratum extitit, sibi in dicto feudo successit Raynaldus Cappellus eius filius. Ipsoque Raynaldo defuncto, sibi in dicto feudo successit Francia eius filia et neptis Francie senioris, que Francia iunior pro se suisque heredibus de suo corpore legitime descendentibus, iure Francorum, de dicto Alfani feudo a tunc prorege XII^o Iulii XI^o Indictionis 1418 investituram obtinuit.

Postmodum autem eadem Francia iuniore absque filiis decedente, sibi in dicto feudo successit Anthonia etiam filia prenominati Raynaldi Cappello. Ipsaque Anthonia exinde e vita migrante, illi in dicto feudo successit Nicolaus Subtilis eius filius legitimus et naturalis, qui pro se suisque heredibus de suo corpore legitime descendentibus, iure Francorum, de ipso Alfani feudo ab Archiepiscopo Panhormitano tunc in Regno Preside primo septembris II^o Indictionis 1433 investituram consequutus fuit.

Ipsaque Nicholao Subtili nature satisfaciente, sibi in eodem Alfani feudo successit Franciscus eius filius. Quo Francisco in minoribus vitam cum morte commutante, sibi in dicto feudo successit Laurea eius soror, filia legitima et naturalis dicti condam Nicolay

Subtilis et uxor Ioannis Anthonii de Barresio baronis Petrepercie. Que Laurea pro se suisque heredibus de suo corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servitio a Don Lop Ximen Durrea vicerege XXVII^o Augusti III^o Inditionis 1470 investituram in Regie Cancellarie libro anni 1469 in cartis 199 notatam reportavit.

Molisima et Bumuscuru feuda

Feuda nuncupata Molisima et Bumuscuru in territorio et valle Nothi existencia per condam Iacobam uxorem Arnaldi de Biocta et filiam condam Luce Falixii antiquitus possidebantur; quo tamen iure illa tenebat nullus in Regia Cancellaria titulus apparet. Que quidem Iacoba de dictis feudis condam Francie eius sorori legitime et naturali, uxori condam Nicholai Cappello, et suis heredibus in perpetuum ad habendum, tenendum et possidendum, dandum, vendendum alienandum et pro anima adiudicandum donacionem fecit inter vivos irrevocabilem; sicut de donacione ipsa vigore puplici contractus acti Nothi per notarium Adinolfum Cappellu XXII^o Novembris prime Inditionis 1332, late patet.

Exinde vero Iacoba prenominata in ultimis quibus decessit eidem Francie eius sorori feuda antedicta suo cum ultimo testamento acti Nothi XXII^o Novembris prime Inditionis 1332 etiam confirmavit.

Mortua postmodum Iacoba memorata, vigore donacionis et confirmationis antedictorum, sibi in dictis feudis Francia prelibata eiusdem Nicolay Cappello coniux successit. Quas quidem donacionem et confirmationem Serenissimus Rex Federicus eidem Francie eiusque heredibus imperpetuum iure Francorum sub consueto militari servitio, et cum clausula, quatenus dicta donatio iuste rite et rationabiliter facta est, nec non constitutionibus et iuribus Regie Curie et alterius semper salvis etc., et acceptavit, ratificavit et confirmavit, quemadmodum in ipsius regio privilegio dato Messane, XXIII^o Aprilis prime Inditionis 1333 late patet.

Ipsaque Francia Cappellu defuncta, sibi in dictis feudis successit Raynaldus Cappellus ipsorum Francie et Nicolay Cappellu iugahum filius, qui Raynaldus cum obiisset, sibi in dictis feudis Francia eius filia et uxor nicti de Aricio successit.

Cumque dicta Francia de Aricio nature satisfacisset, sibi in dictis feudis successit Raymundus de Aricio eius filius, quo mortuo, sibi in eisdem feudis successit Antonella illius filia legitima et naturalis uxor Davit Subtilis. Que Antonella pro se et suis imperpetuum heredibus iure Francorum sub consueto militari servicio ac regni constitutionibus iuribusque Curie et alterius semper salvis, a tunc viceregibus de feudis ipsis investituram reportavit, datam Cathanie XII^o Iulii XI^e Inditionis 1418.

Prenominata autem Anthonella de Subtili decedente, sibi in dictis feudis successit Nicholaus Subtilis eius filius legitimus et naturalis ac maior natu. qui pro se et suis imperpetuum heredibus iure Francorum sub consueto militari servitio nec non reservatione constitutionum regni ac iurium Regie Curie et alterius, ab Archiepiscopo Panhormitano tunc in regno preside de eisdem feudis confirmationem et investituram reportavit, datas Panhormi XX^o Octobris II^e Inditionis 1453.

Defuncto postremo eodem Nicholao Subtili, sibi in dictis feudis successit Franciscus Subtilis eius filius legitimus et naturalis in minoribus constitutus, quo ipsa in etate minori vitam cum morte commutante, sibi in eisdem feudis successit Laurea eius soror dicti condam Nicolai Subtilis filia et Ioannis Anthonii de Barresio baronis de Petrapercia uxor. Que Laurea pro se eiusque imperpetuum heredibus de suo corpore legitime descendentibus iure Francorum sub debito et consueto militari servicio a Don Lop Ximen Durrea tunc prorege de dictis feudis investituram habuit, constitutionibus et capitulis serenissimi regis Iacobi et aliorum regum ac iuribus Regie Curie et alterius semper salvis, prout in dicta investitura data Panhormi XXVII^o Augusti III^e Inditionis 1470 et in Regie Cancellarie libro anni 1469 in cartis 203 notata hec et alia latius enarrantur.

Feuda

**Rupectu, Maccari, Bimmissa, Xibeni, Renda, Billudia,
Galermo, Larbiato, Bonfallura**

Feuda lu Rupectu et Maccari vulgo nuncupata in valle et tenimento terre Nothi sita et posita per condam Martinam uxorem relictam condam Riccardi de Sanguineo militis antiquitus posside-

bantur, quo tamen iure nullus in Regia Cancellaria titulus sive privilegium reperitur. Qua tandem nullis de suo corpore legitime descenditibus relictis filiis defuncta, feuda ipsa Ruvecti et Maccari Regie Curie devoluta fuere Serenissimusque Rex Federicus illa condam Federico Orlandi de Aragonia et suis heredibus de suo corpore legitime descenditibus iure Francorum sub consueto militari servitio concessit, quemadmodum in ipsius regis privilegio dato Messane XVIII Septembris XII^o Inditionis 1309 (*sic*) in regie Cancellarie libro anni 1374 in cartis 62 notato continetur.

Ex adverso nihilominus apparet Serenissimum Regem Federicum eius cum regio privilegio in Regie Cancellarie libro anni 1375 in cartis 2 notato testamentariam dispositionem de feudis Maccari Binmisca Ruvectu et Bunfallura per dictam Martinam factam condam Iaymo de Alagona eidem Iaymo suisque heredibus et successoribus iure Francorum confirmasse et de novo concessisse. Deinde autem Serenissimis Regibus Martino et Maria regnantibus, feudum Ruvecti de quo in concessione Federici Orlandi de Aragonia mencio facta est et predictum feudum Maccari una cum prenomatis feudis videlicet Binmisca Xibeni Renda Billudia Galerino et Larbiato in Manfredi de Alagona posse devenere; de quo etiam in ipsa Regia Cancellaria nullus apparet titulus.

Cumque dictus Manfredus de Alagona contra eosdem Reges Martinum et Mariam rebellionem perpetrasset, omnia feuda antedicta Regie Curie devoluta fuere. Iterumque reges memorati eadem feuda Guaglardecto de Monteclup Vasconi et suis heredibus de suo corpore legitime descenditibus sub consueto militari servicio concesserunt, hac tamen retencione quod si dictorum feudorum redditus annui unciarum centum summam transcenderent, illud plus sive superfluum Regie Curie cederet; quemadmodum in ipsorum regio privilegio dato Cathanie VIII^o Augusti XV^o Inditionis 1392 late patet.

Preterea reges ipsi attentis serviciis per eundem Guaglardectum de Monteclup eis prestitis, concessionem illi factam ampliantes prelibato Guaglardecto et suis heredibus de suo corpore legitime descenditibus feuda memorata absque previa retenione concesserunt, sicuti alio cum regio eorum privilegio dato Cathanie XX^o Novembris III^o Inditionis 1394, et in Regie Cancellarie registro dicti anni in cartis 78 notato enarratur.

Postmodum autem memoratus Guaglardectus de Monteclup, previa eorundem regum Martini et Marie licentia, prenomata octo feuda condam Maynicto de Xurtino militi terre Palacioli et suis im-

perpetuum heredibus sub dicto consueto militari servicio precio unciarum sexcentarum viginti sex, puplico mediante contractu manu Notharii Anthonii Cappello XXVIII^o Decembris V^o Inditionis 1396 celebrato, vendidit et vendicionis titulo concessit. Quem contractum et vendicionem reges prelibati predicto Maynicto et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus iure Francorum sub consueto militari servicio constitutionibus regis Iacobi et aliorum regum ac iuribus curie et alterius semper salvis, ratificarunt et confirmarunt, prout in illorum regio privilegio dato Catanie XXVIII^o Maij V^o Inditionis 1397 et in Regie Cancellarie libro anni 1396 in cartis 202 registrato serius exaratur.

Feuda Larbiato et Galermo

Accidit deinde eundem Maynictum de Xurtino puplico cum contractu facto per dictum notarium Antonium Cappellum XXVIII^o Decembris V^o Inditionis 1396, confessum fuisse se feudum Larbiato in territorio Nothi positum et feudum Galermo in territorio Leontini existens ad opus Gulielmi de Boyra eius nepotis precio unciarum CLIII de proprijs pecuniis ipsius Gulielmi de Boyra emisse, cedens propterea dictus Maynictus eidem Gulielmo omnia iura, que in dictis feudis Larbiato et Galermo tenebat, non obstante quod in ipso primo contractu premissa omnia expressa non fuissent. Quem iurium cessionis contractum dictorum feudorum Larbiato et Galermo Reges memorati Martinus et Maria prenominato Gulielmo Boyra et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus iure Francorum sub consueto militari servicio, regni constitutionibus ac iuribus Regie Curie et alterius semper salvis, confirmarunt sicut alio in ipsorum regum privilegio dato Cathanie XXVIII^o Maij V^o Inditionis 1397 et in Regie Cancellarie libro anno 1393 1396 1397 in cartis 228 notato latius exponitur.

Remanentibus itaque reliquis sex feudis, scilicet Ruvecto Maccari Binmisca Xibeni Renda et Billudia, in ipsius Maynicti de Xurtino posse, qui Maynictus tres habuit filios, scilicet Matheum de Xurtino primogenitum, Ioannem de Xurtino secundogenitum, et Raynaldum de Xurtino tertigenitum, fratres; ipsi tres fratres dicto eorum patri ob-

eius testamentariam dispositionem (prout sequitur) successerunt, videlicet prelibatus Matheus de Xurtino in feudis li Maccari et Binmisca, Ioannes de Xurtino in feudis Xibeni et Billudia, et Raynaldus de Xurtino in feudis Ruvecto et Renda. Prenominatus vero Matheus de Xurtino primogenitus ante prelibatum Maynictum eius patrem, superstite sibi Georgio Salvatore de Xurtino ipsius Mathei filio, obiit. Qui Georgius Salvator de Xurtino in dictis feudis li Maccari et Binmisca successit.

Ipsoque Georgio Salvatore de Xurtino absque filiis masculis decedente, in ipsis duobus feudis Binmisca et li Maccari eius fratres illi successerunt, videlicet Ioannes de Xurtino secundo genitus dicti Maynicti in feudo Binmisca, et Raynaldus de Xurtino eiusdem Maynicti tertio genitus in feudo li Maccari; ob quod eorum quilibet tria feuda consequutus extitit, scilicet, Ioannes de Xurtino feuda Xibeni, Billudia et Binmisca, ac Raynaldus de Xurtino feuda Ruvecto, Renda et Maccari.

Mortuo demum Ioanne de Xurtino secundo genito dicti Maynicti ut supra, sibi in ipsis tribus feudis Xibeni Billudia et Binmisca Gulielmus de Xurtino eius filius successit. Quo Gulielmo defuncto, sibi in ipsis tribus feudis Xibeni Billudia et Binmisca Anthoninus de Xurtino eius filius successit.

Postremo autem ipso Anthonino de Xurtino natura satisfaciente, sibi in eisdem tribus feudis Xibeni Billudia et Binmisca Gulielmus Xurtinus eius filius successit. Qui Gulielmus de Xurtino iunior de ipsis tribus feudis a don Ugone de Montecateno ad presens prorege XXIII^o Augusti XIII^o Inditionis 1511, pro et eius heredibus de suo corpore legitime descendantibus iure Francorum et sub consueto militari servicio, iuribus curie et alterius semper salvis, investituram in Regie Cancellarie libro anni 1510 in cartis 227 notatam reportavit.

Et in presentiarum, anno 1511 currente, ipsa tria feuda Xibeni Billudia et Binmisca per eundem Gulielmum de Xurtino iuniorem possidentur que anno quolibet reddunt 07 CXXXX

Cepitque investituram ob mortem dicti Regis Ferdinandi XXI Ianuarii notatam in libro 1516 f.^o 484 scilicet de dictis tribus feudis supranominatis et iuravit tantumdem reddere

Renda

Finaliter autem dicto Raynaldo de Xurtino prenominati Maynieti de Xurtino filio terciogenito et possessore reliquorum trium feodorum, scilicet, Ruvecti Rende et Maccari vitam cum morte commutante, sibi in dicto feudo Rende tantum Alvarius de Xurtino eius filius secundogenitus successit. Ipsoque Alvaro defuncto, sibi in eodem Rende feudo successit Raynaldus de Xurtino eius filius; qui Raynaldus de feudo eodem investituram in Regie Cancellarie libro anni 1508 in cartis 593 notatam habuit. Ipsoque Raynaldo de Xurtino iuniore absque filiis mortuo, sibi in ipso Rende feudo successit Beatrix eius soror olim uxor condam Anthonij de Ricca, nunc vero Anthonij Perii de Salonia coniunx. Que Beatrix cum vidua esset pro se et eius heredibus iure Francorum de ipso Rende feudo a don Raymundo de Cardona tunc in regno prorege investituram in Regie Cancellarie libro anni 1509 in cartis 254 notatam obtinuit.

Et ad presens, anno 1511 currente, ipsum feudum Rende per ipsam Beatricem de Salonia possidetur et reddit annis singulis. 07 XXX

Ipsaque Beatrix Salonia ob mortem Regis Ferdinandi cepit investituram notatam in libro 1516 f°....

Maccari

De feudo autem Maccari dico, quod ob mortem Raynaldi de Xurtino senioris filii Maynieti de Xurtino post multas altercationes in Magna Regia Curia super ipso feudo Maccari motas sententiarum diffinitivarum vigore feudum Maccari memoratum in Raynaldi de Xurtino iunioris filii Anthonij de Xurtino primogeniti eiusdem Raynaldi senioris posse devenit. Quo Raynaldo iuniore absque filiis decedente, sibi in dicto feudo Maccari successit Imperia eius soror filia Anthonij de Xurtino primogeniti dicti Raynaldi senioris, tunc in capillo existens et nunc uxor Anthonij Danielis de Siracensis. Que

Imperia tempore quo innupta erat a condam Ioanne de Lanuça tunc prorege de dicto feudo Maccari pro se et eius heredibus de suo corpore legitime descendantibus iure Francorum, iuribus curie et alterius semper salvis, III^o Septembris II^e Inditionis 1498 investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 7 notatam consequuta extitit.

Anno vero 1511 ad presens currente, feudum ipsum li Maccari per dictam Imperiam uxorem eiusdem Danielis de Siraculis possidetur quod quolibet anno reddit 07 LXX

Exinde ob mortem Domini Regis Ferdinandi a don Ioanne de Luna preside de feudo Maccari Antonius Danieli cepit investituram die XXII^o Ianuarii V^e Inditionis notatam in libro 1516 f.^o 483, et iuravit reddere uncias 07 XXXX

De feudo Ruvecti

De feudo nihilominus Ruvecti dico, quod Petrus de Xurtino filius tertio genitus Raynaldi de Xurtino senioris feudum Ruvecti habuit et assecutus fuit; quo Petro de Xurtino defuncto, sibi in dicto Ruvecti feudo successit Raynaldus de Xurtino eius filius primogenitus.

Ipsaque Raynaldo de Xurtino absque filiis mortuo, sibi in ipso Ruvecti feudo successit Nicholaus de Xurtino eius frater et prelibati Petri de Xurtino filius secundogenitus. Quo Nicolao de Xurtino defuncto, sibi in eodem Ruvecti feudo successit Maria Brigida Constancia unica eius filia, que pro se eiusque heredibus de suo corpore legitime descendantibus iure Francorum, iuribus curie et alterius semper salvis, a don Ugone de Montecatheno, ad presens huius Sicilie regni prorege, de dicto Ruvecti feudi investituram reportavit die....

Nunc autem, anno 1511 currente, feudum predictum Ruvecti per ipsam Mariam Brigidam Constanciam innuptam possidetur, quod feudum annis singulis reddit 07 XX

Dicta vero Maria Brigida pupillari in etate decedente, sibi in dicto feudo Ruvecti successit Anthonellus de Xurtino eius patruus, frater prenominati Nicholai de Xurtino patris dicte Marie Brigide, quod a don Ugone de Montecatheno in presentiarum pro rege pro se suisque

heredibus iure Francorum, die XXVI^o Iunii XV^o Inditionis 1512, de dicto feudo investituram notatam in libro Cancellarie anni 1511 in cartis 665 obtinuit et per eam possidetur in presentiarum.

De feudis Galermi et Larbiati

De feudis autem Galermi et Larbiati per Maynictum de Xurino emptorem octo feudorum superius expressorum Gulielmo de Boyra illius nepoti censis et restitutis ac per serenissimos Reges Martinum et Mariam ipsi Gulielmo Boyra confirmatis ut supra, dico, quod perquisitis per me et diligenter examinatis Regie Cancellarie registris a tempore regiminis ipsorum Regum Martini et Marie usque ad regimen Serenissimi Regis Alfonsi, nullum in eiusdem Gulielmi de Boyra successorum alteriusve personam concessum privilegium seu investituram inveni. In anno vero 1422 quasdam repperi sentencias tam per magnam regiam curiam quam per sacre regie conscientie consistorium in Ioannem uxoris Henrici de Tudisco favorem et contra Actardum de Boyra tunc dicti feudi de Larbiato possessorem latas. Quibus Actardus ipse ad eidem (*sic*) Ioannem feudum predictum de Larbiato restituendum condemnatus extitit; de quibus sententiis viceregie emanarunt executorie. Et sic illarum vigore de dicto Larbiati feudo ipsi Ioanni de Tudischis et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus iure Francorum sub consueto militari servicio, iuribus Curie et alterius semper salvis, pro tunc proreges XI^o Maij 1423 investituram in Regie Cancellarie libro anni 1422 in cartis 315 notata, concessa extitit.

De feudo tamen Galermi cunctis Regie Cancellarie similiter perquisitis libris, dico, quod a tempore prenominati Gulielmi de Boyra illius primi acquisite usque ad presens, anno 1511 currente, nullus de ipso Galermi feudo titulus privilegium sive investitura reperta fuit, et sic nullam dare valeo rationem quisnam in eodem feudo successerit vel illud in presentiarum possideat.

Pariformiter, a dicto anno 1422 usque ad hodiernum diem in dictis Regie Cancellarie codicibus nullum de dicto Larbiati feudo pri-

vilegium sive investitura reperitur, ut rationem dare valerem quis in eo successerit sive illud nunc possideat.

Evenire tamen potuisset, cum Leontini terra, in cuius territorio feuda memorata Galermi et Larbiati constituta sunt, de concessis reginali camere terris existat et iam sunt tempora quod camera ipsa in posse et dominio Serenissimarum Sicilie Reginarum fuit et est; in cuius camera reginalis magistratu feudorum in illa existentium investiture concedi consueverunt et solent; et per consequens in Regia Cancellaria huiusmodi investiture apparere non possunt, quod successores prelibati Gulielmi Boyra de ipsis feudis Galermi et Larbiati in ipsa reginali camera investituras obtinuissent. Quamobrem de ipsorum recta linea et legitima successione nullam Vestre Regie Celsitudini notitiam dare valeo.

Et sic attendendum est, quod a tempore regiminis Serenissimorum Regum Martini et Marie usque ad regimen Serenissimi Regis Alfonsi, videlicet usque ad annum 1422, in ipsa Regia Cancellaria nullus titulus sive privilegium ipsorum Galermi et Larbiati feudorum reperitur, ut super hoc quod iuris sit debite provideri possit.

Feudum la Salina sive Pantanum Ruvecti

Feudum nuncupatum la Salina, sive lu Pantano Ruvecti, in feudi Ruvecti tenimento vallis territorii et maritime terre Nothi existens, per condam Ioannem Anthonium de Romano militem filium et heredem condam Cristofari de Romano in feudum antiquitus possidebatur; quo tamen iure nullus in Regia Cancellaria titulus apparet. Tandem idem Ioannes Antonius de Romano de ipso Saline sive Pantani feudo cum Anthonio Carubeni terre Nothi pro quadam terrarum modicata de terris eiusdem Anthonij Carubeni in dicto Nothi territorio existentibus ac pro additu unciarum quinquaginta ipsi Ioanni Anthonio de Romano applicatarum, publice mediante permutacionis contractu manu notharii Iacobi de Guasto terre Nothi XII^o Novembris XII^o Inditionis 1433 celebrato, permutacionem fecit. Et nihilominus in ipsa feudi cum modicata terrarum permutacione principis licentia, prout in feudalibus oportet, non intervenit.

Inde autem ad annos fere novem post factam prelibatam permutacionem, dectus Anthonius Carubeni eiusdem feudi Saline sive Pantani possessor absque filijs masculis decessit. Et sic ob eius mortem et defectu filiorum masculorum sibi in eodem feudo successit Martina illius filia et uxor Raynaldi de Xurtino. Qui Raynaldus et Martina iugales pro se eorumque imperpetuum heredibus et successoribus a Serenissimo Rege Alfonso sub consueto militari servicio de feudo antedicto confirmacionem et investituram obtinuerunt, sicut in eorum regio privilegio dato in castro Capirane Neapolis V^o Iulii VI^o Indictionis 1443, de quo Viceregie emanarunt executorie, in Regie Cancellarie libro anni 1442 VI^o Indictionis in cartis 364 notato continetur.

Secutis postmodum super dicto feudo Saline sive Pantani Ruvecti nonnullis altercationibus, feudum ipsum in posse Petri de Xurtino filii tertio geniti quondam Raynaldi de Xurtino iunioris devenit, de qua successione nullus in ipsa Cancellaria titulus sive privilegium vel scriptura apparet, nisi tantum quod in anno 1479, XV^o Novembris XV^o Indictionis, idem Petrus de Xurtino pro dicto Saline feudo in tunc proregis manibus ob mortem Serenissimi Regis Ioannis Vestri Regii Culminis genitoris et felicissimam successionem Vestre C. Maiestatis iuramentum et homagium in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 88 notatum prestitit atque fecit.

Quo quidem Petro de Xurtino defuncto, sibi in ipso Saline feudo successit Raynaldus de Xurtino eius filius primogenitus.

Ipsaque Raynaldo absque filijs mortuo, sibi in eodem feudo successit Nicolaus de Xurtino eius frater et prelibati Petri de Xurtino filius secundogenitus. Qui Nicolaus de Xurtino pro se eiusque heredibus de suo corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servitio, iuribus Curie et alterius semper salvis, a condam Ioanne de Lanuça tunc prorege de feudo ipso Saline XIII^o Februarii VIII^o Indictionis 1204 investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 268 notatam reportavit.

Decedente postmodum ipso Nicholao de Xurtino, sibi in ipso Saline sive Pantani feudo successit Maria Brigida Constancia eius unica filia innupta, que a don Ugone de Montecatheno in presentiarum huius Sicilie Regni preside de dicto Saline sive Pantani Ruvecti feudo pro se etc.

In presentiarum autem, anno 1511 currente, dictum feudum Saline sive Pantani Ruvecti per ipsam Mariam Brigidam Constanciam possidetur, quod feudum reddit annis singulis 07. . . .

Prefata postmodum Maria Brigida Constancia pupillari in etate

decedente, sibi in dicto Saline sive Pantani Ruvecti feudi successit Antonellus de Xurtino illius patruus, frater dicti condam Nicholai de Xurtino patris eiusdem Marie Brigide; qui pro se eiusque heredibus iure Francorum de ipso feudo XXVI^o Iunii XV^o Inditionis 1512 investituram a don Ugone de Montecatheno ad presens prorege obtinuit, notatam in libro Cancellarie anni 1511 in cartis 665, ut in illa continetur.

Feudum Bonfallura

Feudum Bonfallura nuncupatum in valle et tenimento terre Nothi situm et positum, de quo superius in cartis 63 nonnihil dixi, per condam Rogerium de Berlione legum doctorem cuiusdam asserti privilegii Serenissimorum regum utriusque Martini et Marie vigore, ut assertitur, possessum fuit, quod quidem privilegium in Cancellaria non reperitur, minusque invenitur feudum ipsum a Sicilie Regibus ipsorum Regum utriusque Martini et Marie progenitoribus alicui concessum unquam extitisse.

Nihilominus prelibatus Rogerius de Berlione de ipso Bonfallure feudo cum notario Antonio de Cappello pro quadam terrarum tumminata ex ipsius Notarii Antonii terris eodem in tenimento positis in contracta Sancti Calogeri ac pro additu unciarum sexaginta, quas Rogerius antedictus ab ipso notario Antonio confessus est habuisse et recepisse, permutationem fecit, sicuti de permutatione huiusmodi quodam in publico contractu per notarium Andream de Aquila Cataniensem XV decembris prime Inditionis 1392 celebrato continetur.

Quem quidem permutationis contractum ipsi Reges uterque Martinus et Maria eidem notario Antonio de Cappello et suis heredibus suo de corpore legitime descendentibus cum clausula, modo et forma, quibus dicto iudici Rogerio nostre concesserant maiestates, acceptamus, ratificamus etc., sub consueto militari servitio, regni capitulis iuribusque Curie et alterius semper salvis, eorum cum regio privilegio dato Cathanie IIII Iunij prime Inditionis 1393 notato in libro anni 1392 ratificarunt et confirmarunt.

Ipsoque Notario Anthonio de Cappello defuncto, sibi in dicto Bonfallure feudo successit Bartholomeus de Cappello eius filius legi-

timus et naturalis, qui pro se eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus, sub eodem militari servitio, ab Archiepiscopo Panhormitano tunc in Regno Presidente, iuribus curie et alterius semper salvis, XXII^o Februarii secunde Inditionis 1453 de feudo ipso investituram in Regie Cancellarie libro in cartis 793 notatam reportavit.

Mortuo exinde Bartholomeo Cappello prelibato, sibi in dicto feudo successit Antonellus de Cappello eius filius legitimus et naturalis, qui pro se illiusque heredibus de suo corpore legitime descendentibus ob mortem dicti Bartholomei eius patris a Don Gaspare de Spes tunc in Regno Prorege XXI^o Maij prime Inditionis 1483 de dicto Bonfallure feudo investituram in regie Cancellarie libro anni 1482 in cartis 496 notatam obtinuit.

Prelibato postmodum Antonello de Cappello absque filiis decedente, sibi in dicto Bonfallure feudo successit Ioannes de Cappello eius frater et prenominati Bartholomei de Cappello filius secundogenitus, qui Ioannes pro se eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus a Don Ioanne de Lanuça tunc in regno Vice-rege XXVIII^o Ianuarij III^e Inditionis 1500 de dicto feudo investituram in Regie Cancellarie libro anni 1499 in cartis 488 notatam consequutus extitit.

Tandem prelibato Ioanne de Cappello sue terminum vite impo-nente, ipsi eodem in Bonfallure feudo successit Sigismunda eius filia legitima et naturalis, que a Don Ugone de Montecatheno in presentiarum Prorege de dicto feudo pro se eiusque heredibus de suo corpore legitime descendentibus, sub dicto consueto militari servitio, XXVIII^o Octobris XV^e Inditionis 1511 investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 148 notatam impetravit. Hodie autem, anno 1511 currente, feudum Bonfallura memoratum ab ipsa Sigismunda de Cappello possidetur et reddit anno quolibet 07 XII.

Que quidem Sigismunda de Cappello de dicto feudo Bonfallura ob mortem Domini Regis Ferdinandi a Don Ioanne de Luna in regno prorege cepit investituram die XXII^o Ianuarii V^e Inditionis notatam in libro anni 1516 f.^o 493.

Et Iulianus Resaliba eius procurator iuravit reddere 07 XII.

Feudum Bumfale et terre pecia la Castellana

Feudum Bumfala nuncupatum in valle et territorio terre Nothi situm et positum ac pecia terre la Castellana vocata in territorio civitatis Siracuserum eiusdem vallis Nothi existens per condam Iaymum de Alagona antiquitus possidebantur; quo tamen iure suas devenerint ad manus nullus in Regia Cancellaria titulus apparet.

Qui Iaymus da Alagona, cum contra Serenissimos Reges Martinum et Mariam rebellionem exinde patrasset, ob ipsius rebellionis crimen omnia eius bona et signanter dictum feudum Bumfale et ipsa pecia terre la Castellana Regie Curie aperta fuere et devoluta. Et sic ipsi reges Martinus et Maria de ipsis feudo Bumfale et pecia terre la Castellana condam notario Iacobo de Aricio de Siracusi suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, eorum cum Regio privilegio iuris cessionem fecerunt, sub his verbis inter alia, scilicet: que iura ipsa nostre Curie competentia in feudo et pecia terre predictis tam ratione dicti criminis per eundem Iaymum, ut supra dicitur, perpetrati quam quocumque alio iure, ratione sive causa, quibus ad nos et nostram curiam melius spectent seu spectare possent, eidem notario Iacobo et suis heredibus predictis imperpetuum liberaliter concedimus et donamus, sub debito tamen et consueto militari servicio etc. nec non et cum his verbis scilicet, legibus, constitutionibus, capitulis et edictis huic nostre donationi et iurium cessioni forte contrariis omnino sublatis, quibus et eorum cuilibet ac eorum verbis et sensui de nostra scientia et plenitudine potestatis derogamus, eoque ex certa et rationabili causa presens donatio et iurium cessio est nostris Maiestatis satis grata atque accepta, quam in omnem eventum eidem Notario Iacobo et suis heredibus supra dictis efficacem et illibatam volumus permanere, ita quod nullum oblique interpretationis sensum hesitationis dubium seu contradictionis obiectum aliquatenus pertimescat etc.: quemadmodum ipso in Regio privilegio dato Leontini penultimo Septembris prime Inditionis 1392, in Regie Cancellarie annorum 1388, 1392 libro notato in cartis 88 hec et alia late patent.

Postmodum autem ipsi Reges Martinus et Maria eorum cum regijs executoriis licteris datis Cathanie II^o Novembris prime In-

dictionis 1392 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 154 notatis, asserentes se prefato Notario Iacobo de Aricio et suis heredibus ut supra, eorum regio prenotato privilegio mediante, dictum Bumfale feudum ob dicti Iaymi de Alagona rebellionem concessisse. Quod quidem feudum Iaymus prelibatus eidem notario Iacobo ad vitam iam antea concesserat et contra eundem Iaymum XII^o Octobris prime Inditionis predictae pro dicta rebellionem sententiam latam extitisse condam Guillelmo Landolina iudici curie capitaneatus dicte terre Nothi mandarunt, quod de ipso Bumfale feudo prenominatum notarium Iacobum de Aricio investiret ac realem et corporalem possessionem illi traderet ipsumque in eadem possessione manuteneret cum clausula scilicet: amoto exinde Simone de Landolina filio Raynaldi de Landolina militis si forte ipsum in possessionem ipsius vigore nostrarum litterarum induxistis, quem ammoveri volumus ipso facto eo quod per inadvertentiam literas sibi fecimus supradictas, cum nostre recolent (*sic*) Maiestates et ex certa nostra scientia et conscientia sciamus ab experto prius et ante per dies providisse eidem Notario Iacobo de feudo prelibato, in cuius possessione ipsum notarium Iacobum preferri volumus ac manuteneri et defendi, non obstantibus literis supradictis eidem Simoni de Landolina concessis, quibus de certa nostra scientia ac plenitudine potestatis derogamus, eo quod ex certa et rationabili causa donatio facta ipsi Notario Iacobo nobis est grata atque accepta, maxime quia nostre curie constat feudum ipsum concessum fuisse per eundem Iaymum eidem notario Iacobo ad vitam etc. sicut ipsa regia in provisione continetur.

Perquisitis itaque per me Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1392 usque ad annum 1459 VII^o Inditionis nullam invenire potui scripturam dictum Bumfale feudum tangentem et ideo nullam dare valeo rationem, qui fuerint et sint legitimi successores prelibati Notarij Iacobi de Aricio eodem in Bumfale feudo iuxta formam predicti sui privilegii succedentes. Verum in dicto anno 1459 quedam apparet nota, qua vassallagii iuramentum Mazullum Pipi pro dicto feudo Bumfale prestitisse demonstratur, prout in libro iuramentorum dicte Regie Cancellarie in cartis 51 clare liquet.

Quo quidem Mazullo Pipi decedente, ex eius testamentaria dispositione in ipso Bumfale feudo successerunt Georgius Pipi ac Bartholomia Pipi frater et soror eius, filii legitimi et naturales ac heredes pro quotis et iuribus pro indiviso iuxta formam predicti testamenti eis competentibus, qui Georgius et Bartholomia Pipi pro se et eorum heredibus de ipsorum corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub militari servitio, iuribus Curie et alterius semper salvis

ac reservatis et retentis Regie Curie eis omnibus que in privilegio feudi ipsius eidem Curie reservantur, a tunc in regno preside V^o Octobris XIII^o Inditionis 1479, de dicto Bunfale feudo investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 48 notatam reportarunt.

Et nihilominus eadem in investitura ac in prenotata iuramenti vassallagij nota nulla facta extitit mentio, quo iure Mazullus Pipi prenominatus in ipso Bunfale feudo successerit vel si ex legitimis dicti Notarii Iacobi de Aricio successoribus fuerit. Et sic mihi videtur possessorem cogi debere ad edendum titulum, quo iure dictum Bunfale feudum possidet et si de veris et legitimis successoribus dicti condam notarii Iacobi de Aricio primi acquisite recta linea fuerit et sit.

Mortua postmodum dicta Bartholomia sibi in dicti feudi Bunfale medietate pro indiviso per ipsam Bartholomeam possessa tam ex iuris quam ex testamentaria dispositione ipsius Bartholomie, vigore eius testamenti conditi manu notarii Francisci de Musco olim die ultimo Augusti prime Inditionis 1383 successit predictus Geogius Pipi eius frater, qui pro se eiusque heredibus suo de corpore legitime descendantibus iure Francorum, sub militari servitio, iuribus Curie et alterius semper salvis XX^o Augusti V^o Inditionis 1502 a Ioanne de Lanuça tunc in regno prorege de feudo ipso Bunfale investituram in Regie Cancellarie libro anni 1501 in cartis 619 notatam obtinuit.

Et in presentiarum, anno 1511 currente, dictum Bunfale feudum per eundem Georgium Pipi possidetur, quod anno quolibet reddit 07 XX

De prenominata autem petia terre la Castellana nuncupata nullam aliam inveni scripturam, et ideo nullam aliam de ipsa dare valeo rationem. Et mortuo dicto Georgio Pipi, successit in dicto feudo Dominus Petrus Pipi legum doctor, qui habuit investituram die XXI^o Martii III^o Inditionis 1514 notatam in libro anni II^o Inditionis 1513 f.º 520. Et ultra obtinuit aliam investituram ob mortem domini Regis Ferdinandi die XXVIII^o Ianuarii V^o Inditionis notatam in libro anni 1516 f.º 459 et iuravit reddere tantundem

Feudum Benesiti

Feudum Benesiti nuncupatum in valle et territorio terre Nothi existens per Albanum Incari antiquitus possidebatur. Qui, non ostenso de feudo predicto aliquo titulo sive privilegio, coram Serenissimo Rege Federico comparens, se quoddam Benesiti nuncupatum feudum in dicto territorio Nothi positum tenere asseruit. Cum illud pro aliquibus eius necessitatibus vendere statuisset, eidem Regi supplicavit ut vendendi feudum ipsum cum gratia et relaxatione iuris decime Curie Regie contingentis sibi licentiam concederet. Qui qui tunc Rex Federicus eandem vendendi licentiam cum previa relaxatione decime eidem Albano Incari impartitus fuit: quemadmodum in ipsius Regis provisione in Regie Cancellarie libro anni 1369 in cartis 290 notata continetur.

Sed quia per prelibatam regiam licentiam nullus efficiebatur titulus minusque ipsi Regi Federico constituisse apparet dictum Albanum Incari dicti feudi legitimam habuisse possessionem, mihi visum fuit singulos Regie Cancellarie codices perquirere, ut de huiusmodi vera et legitima possessione noticiam habens et claritatem Vestram C. Maiestatem certiorum de his reddere valerem. Quibus perquisitis, nullum tandem titulum aut venditionis contractum in vim dicte regie licencie vel aliam scripturam invenire potui. Tamen in anno 1453 II^o Inditionis quedam viceregia de dicto Benesiti feudo investitura Ioanni Antonio de Traversa et suis heredibus suo de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub militari servicio, concessa invenitur inter cetera continens, quod cum quidam Bernardus de Giccia terre Sici habitator dictum Benesiti feudum teneret et possideret, quidam Antonius Traversa tunc Ragusie terre habitator tam pro se quam tutorio nomine et pro parte Raynaldi Traversa eius filii imuberis, filii etiam et heredis condam Nicholine ipsius Anthonii uxoris, contra dictum Bernardum de Giccia dicti feudi possessorem coram tunc vicario Comitatus Mohac litem et questionem intemptavit. Petens tandem per litis contestacionem dictum feudum Benesiti per eundem Bernardum, ut supra, possessum una cum fructibus per eum vel eius predecessores superioribus temporibus perceptis nec non et certas pecuniarum quantitates ac bona post mortem condam Scalone uxoris condam notarii Roberti de Spatula parentum legiti-

morum condam notarij Pauli de Spatula avi dicte Nicholine uxoris prelibati Anthonij Traversa et matris ipsius Raynaldi Traversa sibi dari et traddi. Et sic a dicta vicariali curia Anthonius Traversa memoratus quo supra nomine sentenciam, servatis servandis, latam in sui favorem reportavit, a qua prefatus Bernardus de Giccia ad Adam de Asmundo causarum appositionis dicti comitatus iudicem appellavit. Qua tandem pendente appositione, Bernardus de Giccia prelibatus ac Antonius Traversa sepepredictus ad quandam devenerunt conventionem; scilicet, quod idem Bernardus de Giccia predicto Anthonio Traversa liti cessit, volens quod ipse Anthonius Traversa feudum Benesiti precontentum reportaret, dictus vero Anthonius Traversa prefatum Bernardum de Giccia a peccuniis, fructibus et bonis per ipsum Anthonium petitis liberavit et penitus absolvit, sicut de ipsa liti cessione et conventionem in quoddam contractu manu notharii Ioannis de Mineo de Mohac III^o Martij XI^o Indicionis aⁿno . . . celebrato late patet.

Postmodum autem Ioannes Anthonius de Traversa prefati Raynaldi de Traversa filius coram Simone Archiepiscopo Panhormitano tunc in regno preside comparens illi dictam liti cessionem presentavit, asserens quod dicte liti cessionis virtute dictum Benesiti feudum ad manus prenominate Nicholine prefati Anthonij de Traversa uxoris pervenit quodque Anthonia ipsa donec vixit feudum ipsum tenuit et possedit. Qua Nicholina defuncta, feudum prelibatum in predicti Raynaldi de Traversa ipsius Nicholine et Anthonij Traversa iugalium filii posse devenit. Quodque Raynaldo predicto decedente, feudum sepepredictum in posse ipsius Iohannis Anthonij Traversa predicti Raynaldi filii reductum extitit. Qui Ioannes Anthonius in dicti presidentis manibus iuravit de dicto Benesiti feudo nullum habuisse seu vidisse privilegium ipsumque iuramentum in prothonotarii officio notatum fuit. Quapropter prelibatus Ioannes Anthonius de Traversa in vim Regni capituli per Serenissimum regem Alfonso tunc regnantem editi, quia probavit dicti Benesiti feudi possessionem ab annis triginta citra ab ipso regni preside pro se et eius heredibus suo de corpore legitime descendentibus iure Froncorum, sub consueto militari servicio, constitutionibus regni et capitulis ac iuribus curie et alterius semper salvis, X^o Septembris II^o Inditionis 1453, de feudo sepepredicto investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 510 notatam obtinuit.

Et nihilominus eadem in investitura quedam non silenda apparet contradictio, in dicto autem liti cessionis contractu hec inter alia continentur verba, scilicet, quod cum prefatus Antonius tam pro se

quam tutorio nomine et pro parte Raynaldi impuberis filii et heredis-
condam Nicholine et Anthonij dudum iugaliū in curia Vicarii Co-
mitatus Mohac questionem temptavit etc. Ecce quod tunc temporis
dicta Nicholina non vivebat et illius tempore vite feudum ipsum per
prefatum Bernardum de Giccia possidebatur. Quomodo ergo in previa
presidali investitura Iohanni Anthonio de Traversa prenominati
Raynaldi filio concessa narratur, quod dicte litis cessionis virtute feu-
dum ipsum in posse dicte Nicholine pervenerat? quodque illud cum
illius fructibus et redditibus possederat? et sic clare patet investitu-
ram antedictam tacita veritate impetratam extitisse, nisi tamen ex
informantis errore processerit; nihilominus culpa officialibus illam
absolventibus tribuenda est, qui pro veritatis dilucidatione huic si-
nistre et erronee informacioni mentem volvere postposuerunt.

Mortuo tandem dicto Ioanne Antonio Traversa, sibi in dicto Be-
nesiti feudo successit Laurea de Traversa eius neptis et heres testa-
mentaria, que a Ioanne de Lanuça tunc in regno preside de dicto
feudo pro se suisque heredibus iure Francorum, iuribus Curie et al-
terius semper salvis, primo Februarii prime Inditionis 1497 inve-
stituram in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 252 notatam
consequuta fuit.

In presentiarum autem, anno 1511 currente, dictum Benesiti
feudum per eandem Lauream possidetur, quod anno quolibet red-
dit 07 XXXX.

Et perius Ioannes Vincentius Danieli tanquam maritus dicte
Lauree de dicto feudo Benesiti ob mortem domini nostri Regis Fer-
dinandi a don Ioanne de Luna preside cepit investituram die XVIII^o
Ianuarii V^o Inditionis notatam in libro 1516 f.^o 454 et iuravit red-
dere uncias quatragsinta.

Feudum Raduse

Feudum Raduse in valle Castri Ioannis et territorio Aydoni vallis
Nothi situm et positum per condam Petrum de Fessima militem
antiquitus possidebatur, qui cum de feudo ipso suo cum ultimo te-
stamento disposuisset, Serenissimus Rex Federicus illius testamen-
tariam disposicionem suo cum regio privilegio forma et modo infra-
scriptis ratificavit et confirmavit scilicet.

Federicus etc. presentis privilegii serie notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris, quod Gulielmus de Albirgino de Aydono fidelis noster in curia nostra presens et pro parte Agathe filie condam Conradi de Fessima uxoris sue fidelis nostre ostendit et presentavit eidem curie nostre quoddam privilegium sub circulo et sigillo pendenti Serenissimi principis Domini Regis Federici dicti regni regis illustris memorie recolende avi nostri carissimi de confirmatione feudi Raduse positi in valle Castri Ioannis in territorio Aydoni facta Henrico de Fessima filio et heredi condam Petri de Fessima militis continencie subsequentis. Federicus dei gracia Rex Sicilie presentis privilegii serie notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris, quod Henricus de Fessima de Aydono filius et heres condam Petri de Fessima militis fidelis noster Maicstati nostre humiliter supplicavit, ut cum predictus condam Petrus de Fessima pater suus per testamentum in ultimis suis conditum inter alia instituerit sibi heredes in feudo suo Radusi posito in valle Castri Ioannis in territorio Aydoni condam Riccardum de Fessima et eundem Henricum fratres filios dicti condam Petri modo subscripto, videlicet predictum Riccardum primogenitum suum natum ex se et condam Altimilia prima uxore sua, ita quod dictus Riccardus habeat et habere debeat tantum usufructum in vita sua feudi ipsius et post mortem eius usufructu consolidato proprietati dictum feudum debeat habere predictus Henricus filius predicti condam Petri natus ex eodem condam Petro et Alexandrina secunda uxore ipsius Petri, et quod dictus Riccardus sit contentus de usufructu feudi predicti, ita quod si contingat dictum Henricum mori sine legitimis filijs et naturalibus, quod Conradus frater eius debeat habere, tenere et possidere feudum ipsum tamquam eius dominus et patronus, prout hec et alia in predicto testamento per dictum patrem eorum in ultimis suis, ut predicatur, condito plenius asseritur contineri, dictusque Riccardus ab hoc seculo transmigraverit, dicto Henrico eidem condam Riccardo in dicto feudo rationabiliter succedente, feudum ipsum cum omnibus iuribus, rationibus et pertinenciis suis dicto Henrico et filijs suis predictis sub servicio proinde curie nostre debito confirmare nostra serenitas dignaretur. Eius itaque supplicatione benigne admissa, quia ex tenore predicti testamenti per prefatum Henricum curie nostre ostensi, quod propterea inspicere fecimus atque legi, de predicta hereditaria institutione facta ut supra et quod dictus Riccardus decesserit, ut prefertur, curie nostre constat dictusque Henricus prestitit nobis proinde fidelitatis debitum iuramentum fecitque manibus et ore homagium secundum formam sacrarum constitutionum imperialium

regni nostri prefato Henrico et dictis eius filiis, maxime quia per cedula missam Curie nostre officii prothonotarii per iudices magne nostre curie agentes nobiscum sub eorum aulis scriptam Messane II^o mensis Novembris XIII^o Inditionis instanter apparet eosdem iudices pronunciassse et adiudicasse dictum Henricum potiora iura habere in tenuta et possessione dicti feudi Ioannino de Fessima fidei nostro, qui litigabat cum eo de feudo predicto; ipsumque Henricum absolvisse ab impetitione predicti Ioannucci dictumque feudum cum omnibus iuribus, rationibus et pertinencijs suis dictus Henricus XXVI^o predicti mensis Septembris dicte XV^o Inditionis per baiulum terre Placie ad mandatum nostrum sibi proinde per licteras factas corporaliter extitit investitus, prout ex tenore unius de quatuor quaternis consimilibus exinde factis per eundem baiulum curie nostre missi, qui in archivo eiusdem curie officii cancellarie servatur, eidem Curie nostre constitit, sub debito et consueto servicio per eundem Henricum et dictos filios suos curie nostre prestando, secundum annuos proventus et redditus feudi predicti iurium, rationum et pertinenciarum suarum ana uncias viginti pro servicio cuiuslibet militis, iuxta usum et consuetudinem regni nostri, quod servicium idem Henricus in nostri presentia constitutus se et dictos filios suos nobis heredibus et successoribus nostris modo predicto prestare et facere obtulit et promisit, de liberalitate mera, speciali gratia et ex certa nostra scientia confirmamus. Ita tamen quod predictus Henricus et filii sui predicti sint incole Regni nostri Sicilie et in eodem regno sub nostro, heredum et successorum nostrorum dominio habitent et morentur, dictumque feudum Radusi cum omnibus rationibus et pertinencijs suis in capite a nostra curia teneant et cognoscant et exinde immediate servire eidem nostre curie pro dicto servicio teneantur, ac vivant inde iure Francorum, videlicet quod maior natu minoribus fratribus et coheredibus suis ac feminis masculus preferatur. Et si in dicto feudo et pertinencijs suis sint aliqui barones et feudotarii, qui pro baronijs et feudis eorum servire in capite dicte nostre curie teneantur, nobis et nostris heredibus exinde serviant ut tenentur. Quodque illi quibus in dicto feudo et eius pertinencijs aliqua iura, possessiones et bona per Serenissimos dominos parentes nostros et inclitum dominum Iacobum Aragonum et olim Sicilie illustrem fratrem nostrum clare memorie, dum Regno Sicilie prefuit et nos etiam concessa fuerunt, ea teneant et possideant, prout ea illis per ipsos et nos concessa fuerunt rectentis curie nostre, que a presenti confirmatione nostra omnino excludimus, iura lignaminum si qua in dicto feudo et pertinencijs suis

curie nostre debentur, nec non mineriis, salinis, solaciis, forestis et defensis antiquis, si que sunt in tenimento et pertinenciis dicti feudi, cum sint de nostro demanio et ea velut ex antiquo ipsi demanio pertinencia volumus in eodem demanio et dominio reservari. Et quod ad ea omnia et singula occasione presentis confirmacionis nostre non extendant aliquatenus manus suas et quod animalia et equitature araciaram, marescellarum et massariarum nostrarum libere summere possint pascua in tenimento et pertinencijs supradictis, fidelitate nostra, heredum et successorum nostrorum nec non constitutionibus dicti domini fratris nostri, dum predicto regno Sicilie preluit, editis atque nostris, predicto servicio ac curie et cuiuslibet alterius iuribus semper salvis. Ad huius autem rei memoriam et robar in posterum valiturum presens privilegium sibi exinde fieri et sigillo maiestatis nostre pendenti iussimus communiri. Datum Messane per nobilem Petrum de Antiochia militem regni Sicilie cancellarium, anno Dominice Incarnacionis 1330, mense Novembris, VIII^o eiusdem XIII^o Inditionis. Et maiestati nostre humiliter supplicavit ut predictum feudum Radusi eidem Agathe filie, ut predicatur, dicti Conradi et per consequens nepti dicti Henrici defuncti succedentis de iure in dicto feudo per obitum dicti Henricii mortui, denique legitimis filiis et naturalibus non relictis, ex testamento per dictum condam militem in ultimis suis condito, cum omnibus iuribus, rationibus et pertinentiis suis dicte Agathe et dictis eius heredibus de suo corpore legitime descendentibus imperpetuum, sub servitio proinde curie nostre debito, iuxta predicti privilegii continentiam et tenorem acceptare, ratificare et confirmare de benignitate regia dignaremur. Eius itaque supplicatione benigne admissa, considerantes fidem puram et devotionem sinceram, quam dicta Agatha erga maiestatem nostram semper gessit et gerit ad presens nec non satis grata et accepta servitia per precessores suos gloriosis regibus dominis progenitoribus nunc devote et fideliter prestita, que ipsi maiestati nostre prestat ad presens et prestare in antea poterit, dante domino, gratiora, eidem Agathe et dictis suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus imperpetuum predictam confirmationem dicti feudi cum omnibus iuribus, rationibus, proprietatibus et pertinenciis suis, iuxta predicti privilegii continentiam et tenorem, sub debito etiam et consueto servitio militari, per eandem Agatham et dictos eius heredes curie nostre prestando ana scilicet uncias XX pro quolibet milite, secundum annuos redditus et proventus feudi predicti, iurium rationum et pertinentiarum suarum, iuxta usum et consuetudinem Regni nostri, quod servitium idem Gulielmus maritus dicte Agathe

in nostri presentia constitutus eandem Agatham et dictos eius heredes, nobis heredibus et successoribus nostris modo predicto prestare et facere obtulit et promisit, prestans proinde fidelitatis debitum iuramentum ac faciens manibus et ore homagium iuxta formam sacrarum Constitutionum regni nostri, de liberalitate mera, largitate munifica et specialij gratia ac ex certa nostra scientia acceptamus, ratificamus et pleno favore regio confirmamus dictumque feudum eidem Agathe et dictis suis heredibus cum omnibus iuribus, rationibus et pertinencijs predictis de novo concedimus et donamus, ita tamen quod dicta Agatha et dicti eius heredes etc. Datum etc.

Sed quia prenominati feudi Raduse prelibato Petro de Fessima sive eius progenitoribus concessi titulum non inveni, nullam dare valeo rationem sub qua forma, larga scilicet vel stricta, illis concessum fuerit, aut si prefatus Petrus de Fessima de illo forma et modo in preinserto privilegio contentis disponere potuit. Nihilominus quia feudum Raduse antedictum post mortem Riccardi de Fessima in Henrici de Fessima posse devenit, qui Henricus in vim dicti privilegii eiusdem Regis Friderici pro se eiusque filiis de ipso feudo sub consueto militari servitio iure Francorum confirmationem et investituram consequutus extitit, et ipso in privilegio non nominantur eius filii et heredes suo de corpore legitime descendentes (*sic*) ac dicti Corradi eius fratris usque in infinitum. Quo Henrico defuncto absque filiis, feudum predictum ad prefatum Corradum eius fratrem pervenire debebat et non filiis ipsius Corradi, prout percipere valui, postquam ipso in privilegio non exprimitur nisi quod mortuo dicto Henrico sine liberis, feudum predictum ad Corradum eius fratrem devolvatur, non nominatis ipsius Corradi filiis et heredibus. Videndum est recteque discutiendum cum in privilegio dicte regie confirmationis non exprimentur filii ipsius Corradi, qui Agathe eius filie premortuus extitit, an Agatha ipsa tanquam non nominata in genere nec in specie in feudo Raduse antedicto succedere poterat, nam per ipsum privilegium dicti Regis Fiderici confirmationis testamentarie dispositionis dicti Petri de Fessima Henrico de Fessima eius filio et filiis ipsius Henrici facte clarissime colligi potest filios filiorum ipsius Henrici usque in infinitum eadem in successione comprehendi non debere.

Privilegium autem confirmationis eiusdem Raduse feudi per Serenissimum Regem Federicum nepotem prelibati Regis Federici Primi eidem Agathe filie dicti condam Corradi de Fessima et Guilielmo de Albigino de Aydone iugalibus pro eis eorumque heredibus suo de corpore legitime descendentes iure Francorum con-

cessum ad preinsertum privilegium eiusque tenorem et continentiam se refert, ut superius patet, que duo privilegia in Regie Cancellarie libro anni 1371 in cartis 99 notata sunt.

Quod quidem feudum cum per prelibatum Gulielmum Dalbirginio possideretur, Guillelmus ipse contra Serenissimos Reges Martinum et Mariam rebellionem perpetravit, quam ob rebellionem feudum ipsum regio demanio devolutum fuit et sic Reges ipsi feudum sepedictum Antonio de Rexacto et suis heredibus suo de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servitio, regni constitutionibus iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, eorum cum regio privilegio dato Cathanie III^o Septembris II^e Inditionis 1392 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 73 notato concesserunt.

Et perquisitis per me Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1392 usque ad annum 1478, quo quidem in tempore post mortem dictorum Regum Martini et Marie Serenissimus Rex Ferdinandus, Serenissimus Rex Alfonsus et Serenissimus Rex Ioannes Vestri Regii Culminis avus, patruus et Genitor, pro quorum morte et nova successione dicti feudi possessores de feudo ipso se investire et iuramentum et homagium iuxta antiquas regni constitutiones prestare debebant, nullum tamen privilegium in dicto tempore sive investituram de dicto feudo invenire potui. Quapropter nullam dare valeo rationem quomodo feudum ipsum in posse istorum de Fessima iterum devenerit. Nam in dicto anno 1478 quedam de dicto Raduse feudo apparet simplicis investiture nota in libro dicti anni in cartis 601 notata per Anthonium de Fessima a tunc prorege ob mortem dicti Serenissimi Regis Ioannis et novam successionem Vestre Catholice Maiestatis obtenta, in qua nulla redditur ratio quo iure dictus Anthonius de Fessima ipso in feudo successerit.

In libro preterea anni 1503 in cartis 67 quedam alia de dicto Raduse feudo simplicis investiture nota reperitur per Ioannem de Lanuça tunc Proregem Francisco de Paternione Cathaniensi ut patri, tutori et legitimo administratori Brandani de Paternione eius filii et Vincentie iugalium, quam Vincentiam prelibati Anthonij de Fessima filiam fuisse opinor, concessa, cuius virtute dictus Franciscus quo supra nomine pro se et suis heredibus iure Francorum, iuribus Curie et alterius semper salvis, hodie currente anno 1511, feudum Raduse prelibatum tenet et possidet, quod reddit anno quolibet uncias. 07 C

Et sic oportet omnino quod dicti feudi titulus videatur ut colligi possit, si de iure dicta Agatha in illo succedere potuit ac etiam

si post rebellionem prenominati Gullielmi Dalbirginio eius viri, ob quam feudum ipsum dicto Anthonio Rexacto et eius heredibus imperpetuum concessum extitit, feudum ipsum istis de Fessima restitui debuit nec non possessor feudi predicti compelli deberet ad dandum computum et rationem non captarum investiturarum in toto dicto tempore tam videlicet propter mortem retroprincipum et novam regalem successionem V. C. M. quam ob mortem predecessorum feudatariorum ipsius feudi iuxta regni capitula et constitutiones.

Et ultra dictus Blandinellus Paterno cepit a don Ioanne de Luna presidente investituram de dicto feudo ob mortem Domini Regis Ferdinandi die VIII^o Novembris V^o Inditionis 1516 notatam in libro Cancellarie anni predicti f.º 226 et iuravit etiam reddere uncias centum.

Postmodum vero dictus Blandinellus de dicto feudo donationem fecit irrevocabilem Ioanni Baptiste Paterno eius filio, virtute contractus facti manu notharii Nicolaj Angelica die IIII^o Maij VIII^o Inditionis 1521 et cepit investituram die XVIII^o Februarii X^o Inditionis 1522 notatam in libro dicti anni f.º 404 et iuravit reddere tantundem.

**Bombonecte feudum Bombunecte Muchulechi Lavanca
de Madonna Machauda Marcata.**

Feudum olim casale Bombunectum nuncupatum in valle Nothi et territorio Castri Ioannis situm et positum per quondam Theobaldum de Petroso Cathaniensem antiquitus possidebatur; quo tamen iure nullus apparet in Regia Cancellaria titulus sive privilegium. Tempore vero regiminis Serenissimorum Regum utriusque Martini et Marie condam Manfridus de Petroso, asserens se filium legitimum et naturalem prelibati Theobaldi, qui ab intestato decessit, in dicto Bombunecte feudo successisse feudum sepedictum condam Nicolao de Ansisa de Calaxibecta suisque imperpetuum heredibus, sub consueto militari servitio, precio unciarum centum septuaginta septem, publico mediante contractu manu notarij Laurentij Notho Cathaniensis primo Iulij XV^o Inditionis 1407 acto vendidit et habere concessit. Quem quidem vendicionis contractum reges antedicti prefato Anthonio de

Ansisa et suis imperpetuum heredibus et in eius filiorum defectu suis nepotibus, filiis scilicet duarum filiarum suarum, videlicet Leto de Leto et Eleonore de Leto, filiis unius et dictis eius filiabus et Philippi de Leto iugalium ac quondam Petro de Matrachia et Iacobo de Matrachia, fratribus, filiis alterius ex dictis eius filiabus et Ioannis de Matrachia coniugum, ad ipsius Anthonii voluntatem, cui vel quibus feudum ipsum dare et legare voluerit ac dictorum suorum nepotum filijs et heredibus utriusque sexus imperpetuum, iure Francorum, sub consueto militari servitio, ratificarunt et confirmarunt intercludentes etiam eodem in Bumbunecte feudum quoddam Marcatum eodem nomine Bombunecte ac aliud Marcatum Muchulechi nuncupata, cum clausula scilicet si et quocumque forte nobis pertineat et nostre Curie devolutum existat gratiose concedimus et donamus etc. ac cum Constitucionum et regni Capitulorum iuriumque Regie Curie et alterius cuiuscumque reservatione, quemadmodum in eorum regio privilegio dato Cathanie VIII^o Iulii XV^o Inditionis 1406, et in Regie Cancellarie libro anni 1406 in cartis 294 notato, continetur.

Perquisitis itaque per me Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1407 usque ad annum 1453, quo tempore Serenissimus Rex Alfonsus regnabat, nullum tamen meas ad manus privilegium sive de dicto feudo investituram devenire potuit. Et nihilominus prelibatis regibus utroque Martino et Maria defunctis, Serenissimus Rex Ferdinandus Vestri Regii Culminis avus et dictus Serenissimus Rex Alfonsus Vestre Regie Serenitatis patruus successerunt, quorum regiminis tempore eiusdem feudi possessores, iuxta regni Constitutiones et statuta, ob mortem ipsorum Regum et novam regalem successionem de eodem se investire tenebantur, et sic in Regie Curie fraudem dictas investituras accipere noluisse dicendum est. Nihilominus quicquid sit, in dicte Regie Cancellarie libro dicti anni 1453 in cartis 580 quedam invencta est regia provisio data Neapoli in anno 1446 a prelibato Rege Alfonso ad petitionem Thummei de Petroso Cathaniensis emanata. In qua mentio facta est ipsum regem Alfonsum eidem Tummeo de Petroso sub certa forma feudum Bombunecti prenarratum alias confirmasse, asserens feudum ipsum Corradi de Ganna rebellis Serenissimi Regis Federici tertii olim fuisse et proinde per ipsum regem Federicum quondam Manfrido de Petroso avo ipsius Thomei informantis traditum extitisse et concessum.

Exinde vero prelibato Thummeo de Petroso territoria quedam la Lavanca di Madona Machauda cum dicto feudo Bombunecti confinancia eidem feudo unire et incorporare cupiente, dictus Rex Al-

fonsus suo cum regio privilegio dato Neapoli XXVIII^o Decembris prime Inditionis 1453, de quo viceregia emanavit executoria, in regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 580 notata, eidem Tummeo de Petroso unionem et annexionem eandem concessit.

Et sic non modica admiratione adducor, cum dictus Manfridus de Petroso in contractu vendicionis dicti feudi per eum prenotato Anthonio de Ansisa facte exposuerit se condam Theobaldo de Petroso eius patri ab intestato decedenti eodem in feudo successisse, quem dicti feudi primum possessorem et feudotarium invocat; in privilegio autem predicti regis Alfonsi enarratum sit prelibatum Regem Federicum tertium ob rebellionem contra eum per prefatum Corradum de Gana perpetratam prenominato Manfrido de Petroso feudum Bombunecte antedictum concessisse. Et sic narratio ipsa expositioni in dicto contractu adiecte contraria reperitur, ad quod est recte attendendum, nisi forte alius fuisset antiquus Manfridus de Petroso huic Manfrido Theobaldi dicti feudi venditoris filio anterior. Hec enim genelogia et recta successio in utroque privilegio exprimi omnino debebat, quod cum factum non sit, officialium huiusmodi investituras et confirmaciones absolvencium culpe et defectui tribuendum est. Nihilominus est omnino inspicienda illa regia provisio per dictum Regem Alfonsum super dicto feudo sub illa certa forma prelibato Thummeo de Petroso concessa, ut videri possit quid forma ipsa tangat et quantum importet.

Preterea perquisitis per me eisdem Regie Cancellarie codicibus, ut causam sive respectum perciperem quomodo feudum Bombunecti prenarratum prefato Thummeo de Petroso nepoti dicti Manfridi de Petroso eius avi reductum fuerit, nec non qua ex causa predicta venditio effectum sortita non extiterit et nihilominus nulla super hoc scriptura reperta est.

Ceterum de dicto anno 1453 usque ad annum 1491, quo tempore annorum XXXVIII spacium interest, nulla alia de ipso Bombunecti feudi investitura inveniri potuit. In libro autem dicti anni 1491 in cartis 110 quedam apparet de dicto feudo investitura per Bartholomeum de Petroso filium et heredem condam Anthonini de Petroso capta, in qua exponitur ipsum Bartholomeum in dicto feudo ob eiusdem Anthonini eius patris mortem successisse. Et nihilominus ipsa in investitura nulla facta est mentio, cui dictus Anthoninus in ipso feudo successerit et sic nullam dare valeo rationem si dictus condam Anthoninus de Petroso pater dicti Bartholomei ex recta linea dicti Thummei de Petroso descenderit. Quapropter cum dicti Anthonini de Petroso nulla appareat investitura, ac de sua recta linea et succes-

sione legitime non constet propter non captas investituras ac contravenientiam Capitulorum et Constitucionum Regni in contrarium disponencium, regii fisci procurator contra dicti feudi possessorem partem facere deberet. Hodie vero anno 1511 currente, feudum Bombunecti antedictum per prenominatum Bartholomeum de Petroso possidetur, quod annis singulis reddit ultra 07 LXXX

Et ultra dictus Bartholomeus cepit investituram de dicto feudo pro se et heredibus de suo corpore etc. ob mortem domini Regis Ferdinandi a don Ioanne de Luna preside die XXIII^o Novembris V^o Inditionis 1516 notatam in libro dicti anni f.^o 250 et iuravit reddere uncias octuaginta sive 07 LXXX.

Aliani Rachalbigini Chamemi feuda

Feuda Alianum Rachalbigini et Chamemi nuncupata in terre Placie territorio vallis Nothi sita et posita per condam Rogerium la Caldarera de Placia militem antiquitus possidebantur. Quo tamen iure nullus in Regia Cancellaria titulus apparet. Regnante autem Serenissimo Rege Federico, idem Rogerius la Caldarera per quoddam sui testamenti capitulum in omnibus eius bonis mobilibus et immobilibus Adamucium et Bernardum la Caldarera eius filios heredes universales instituit. Verum eidem Adamucio duo ex dictis feudis, Alianum scilicet et Rachalbigini, dicto vero Bernardo feudum Chamemi legavit, ipsamque testamentariam institutionem et dispositionem prelibato Adamucio et suis imperpetuum heredibus iure Francorum et sub forma, modo, sub quibus dictus condam pater eius illa habebat et sibi confirmata fuerant, dictus Rex Federicus acceptavit et confirmavit cum clausula, scilicet, quatenus institutio ipsa rite, iuste et rationabiliter facta est etc. sicuti in eius regio privilegio dato III^o Septembris XII^o Inditionis 1328 continetur.

Preterea in anno 1330 idem Adamucius ab ipso Rege Federico de prelibatis feudis Aliano et Rachalbigini pro se et heredibus suis iure Francorum sub consueto militari servitio aliud privilegium confirmatorium obtinuit.

Exinde vero in anno 1453, quo tempore ab anno 1330 computando annorum fere centum et viginti trium spacium interest, que-

dam reperta est investitura per don Lupum Ximenem Durrea tunc in regno proregem pro Aliani feudo Ioanni de Iuncta ut filio et successori condam Iacobi de Iuncta eiusque heredibus imperpetuum iure Francorum sub consueto militari servitio concessa, in qua verba hec inter cetera descripta sunt, scilicet: et nobis humiliter supplicavit quod cum condam Iacobus de Iuncta ex concessione predecessorum, donec vixerit, feudum ipsum Aliani tenuerit et possederit, quo Iacobo decedente, in feudo predicto dictus Ioannes de Iuncta eius filius legitimus et naturalis eidem patri suo successerit etc. Quemadmodum in ipsa viceregia investitura expedita Panormi XVI^o Iulii prime Inditionis 1453 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 658 notata, in qua prelibata duo privilegia dicti Regis Federici inserta sunt, latius exaratur.

Et sic est valde mirandum, quare infra dictum centum viginti trium annorum intervallum, quo serenissimi Reges, uterque Martinus et Maria, Rex Ferdinandus avus et Rex Alfonsus patruus Vestri Regii Culminis successerunt; quorum obitu et nova exinde regali successione dictorum feudorum possessores ut veri feudatarii, Regni Constitutionibus in hoc disponentibus stantibus, de feudis ipsis necessario se investire debebat, nulla investitura, privilegium seu alia scriptura de feudis ipsis Regia in Cancellaria appareat; propter quod nullam dare valeo rationem, quis eidem Adamoni in dictis feudis successerit et tanto magis quia ipse Adamonus pro se et suis heredibus imperpetuum iure Francorum ab ipso rege Federico de feudis ipsis investitus extitit. Et postmodum in dicto anno 1453 feudum Aliani tantum in Ioannis de Iuncta posse devenit, qui de cognomine de Caldarera non est. Quapropter cum descendencia recte linee prelibati Adamonis filii condam Rogerij de Caldarera testatoris non inveniatur, necnon et feudum Rachalbigini in aliam agnationem translatum sit a possessoribus utriusque feudi Aliani et Rachalbigini, legitimus titulus est omnino habendus, ut videatur quo iure prefato Adamoni de Caldarera legitime successerint compellique etiam deberent ad edendum titulum dicti Rogerij de Caldarera testatoris et ipsorum feudorum Aliani, Rachalbigini et Chamemi dispensatoris, ut etiam videri possit si Rogerius ipse dividendi feuda predicta ad sui beneplacitum potestatem habebat; nam per illam clausulam in privilegio dicti Regis Federici appositam, scilicet, quatenus institutio ipsa rite, iuste et rationabiliter facta est dictaque feuda sub eadem forma et modo, sub quibus dictus condam pater eius illa habebat sibi que fuerunt per nostram celsitudinem confirmata etc. facile percipitur dictum Regem Federicum noticiam non habuisse vere forme et tituli,

quem in eisdem tribus feudis idem Rogerius tenebat minusque si dicta testamentaria dispositio rite, iuste et rationabiliter facta extiterat. Ed ideo verba illa preservativa tantum important, quod ipsorum feudorum possessores ad edendum dictum antiquum titulum compelli possunt, ut veritas demonstretur.

Mortuo postmodum dicto Ioanne de Iuncta, sibi in dicto Aliani feudo successit Andreas de Iuncta eius filius, qui pro se et suis heredibus iure Francorum a don Lupo Ximene Durrea tunc in regno prorege de ipso Aliani feudo, sub consueto militari servitio, regni Constitutionibus et Capitulis ac iuribus Curie et alterius semper salvis, XXVIII^o Iunii VI^o Inditionis 1459, investituram in Regie Cancellarie libro anni 1457 in cartis 492 notatam obtinuit. Ceterum prenominato Andrea de Iuncta defuncto, sibi in dicto Aliani feudo successit Anthoninus de Iuncta eius nepos, qui in vim testamenti dicti Andree eius avi paterni celebrati manu notharii Iohannis de Bisacia olim die etc. pro se et suis heredibus iure Francorum a don Iuliano Centelles tunc in regno presidente, sub consueto militari servitio ac iuribus curie et alterius semper salvis, de feudo ipso XII^o Ianuarii VII^o Inditionis 1488 investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 96 notatam reportavit.

Tandem ipso Anthonino de Iuncta decedente, sibi in eodem Aliani feudo successit Ioannes Andreas de Iuncta eius filius legitimus et naturalis ac maior natu, qui pro se eiusque heredibus more Francorum VI^o Decembris XII^o Inditionis 1508, sub consueto militari servitio iuribusque Curie et alterius sempér salvis, de feudo ipso a don Raymundo de Cardona tunc in regno preside investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 215 notatam consequutus fuit.

In presentiarum autem, anno 1511 currente, dictum Aliani feudum per ipsum Ioannem Andream de Iuncta possidetur et reddit annis singulis ultra 07 XV.

Ipsa vero Ioannes Andreas ob mortem domini Regis Ferdinandi cepit investituram XXVII^o Ianuarii notatam in libro anni 1516 f.º 481, et iuravit reddere tantumdem.

Feudum Rachalbigini

Feudum vero Rachalbigini cui post mortem prenominati Adamonis de Caldarera pervenerit seu quis in illo successerit ipsa in Regia Cancellaria non invenitur; nam Cancellarie ipsius perquisitis codicibus a tempore, quo dictus Adámonus vivebat, scilicet in anno 1328 usque ad hodiernum, anno videlicet 1511 currente, actum nullum, investituram sive privilegium aut aliam scripturam, successionem sive possessionem ipsius feudi tangentem quique illud hodie possideat invenire potui.

Feudum Chamemi

Quo vero ad feudum Chamemi dico, quod ab anno 1328, quo tempore feudum ipsum Bernardo la Caldarera filio secundogenito dicti Rogerii la Caldarera sui testamenti virtute legatum fuerat usque ad annum 1478, per quod temporis intervallum anni fere centum quinquaginta intersunt, perquisitis Regie Cancellarie codicibus nulla similiter scriptura, privilegium vel investitura invenita est de successione sive continuata dicti feudi possessione mencioem faciens. Solummodo quedam investiture nota XVII^o Martii XI^o Indictionis 1477 data et in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 257 notata reperitur, per quam demonstratur Andream de la Caldarera obitu condam Ioannis de la Caldarera eius patris in dicto Chamemi feudo pro se suisque heredibus iure Francorum succedentem a tunc in Regno proregibus investituram obtinuisse.

Ulterius vero dicto Andrea de la Caldarera decedente, sibi in ipso Chamemi feudo successisse dicitur Ioannes Thomas de la Caldarera, de quo nulla apparet in Regia Cancellaria investitura; post cuius obitum eodem in feudo sibi successit Anthonius la Caldarera eius filius legitimus et naturalis, qui Anthoninus pro se suisque heredibus iure Francorum XI^o Ianuarii VII^o Indictionis 1504 a Ioanne de Lanuça tunc in regno prorege, iuribus Curie et alterius semper

salvis, de feudo ipso investituram in Regie Cancellarie libro anni 1503 in cartis 206 notatam consequutus fuit.

Hodie vero, anno 1511 currente, dictum Chamemi feudum per prelibatum Anthoninum de la Caldarera possidetur et anno quolibet reddit ultra 07 L.

Quapropter pro Regie Curie interesse omnes antiqui tituli et privilegia ac successive investiture dictorum trium feudorum, scilicet Aliani Rachalbigini et Chamemi sunt omnino inspicienda, ut illis visis et recognitis, videri possit si ipsorum feudorum possessores in illis rite et recte successerunt necnon possessores ipsi compellendi essent ad reddendum rationem non captarum investiturarum iuxta Regni Capitula, Constituciones et statuta.

Nota, quod de predictis feudis Rachalbigini et Aliani, quia repertum fuit quoddam privilegium Serenissimi Regis Jacobi, quod pro vero titulo habendum est, inferius de eis in cartis . . . mentio facta est pro Curie cautela.

Nihilominus quoddam in registro Serenissimi Regis Martini noviter invento anni 1392, in cartis 145 quoddam reperitur privilegium, per quod demonstratur ipsum Regem Martinum prefatum Chamemi feudum condam Forcio de Insula tunc terre Placie habitatori suisque imperpetuum heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, tamquam Regie Curie devolutum ob rebellionem condam Anthonii la Caldarera feudi eiusdem feudatarii concessisse, cum clausula tamen, quod si dictus Forcius aliquam pecuniarum summam a Regia Curia recipere deberet, concessio predicta feudi ipsius in compensacionem et excompositum debiti predicti facta intelligeretur pro rata tamen precij, quo feudum predictum valeret necnon et cum clausula, quod si eidem Forcio per Regem ipsum alia fuisset facta donatio, concessio feudi eiusdem Chamemi pro irrita et nulla haberetur prout in dicto Regio Privilegio dato Cathanie X^o Novembris II^o Inditionis 1393 et in Regie Cancellarie libro dicti anni 1392 in cartis 145 notato continetur.

Ob quod ex forma privilegii predicti eidem Forcio concessi de feudo Chamemi ob rebellionem dicti condam Anthonij la Caldarera dicendum est illos de Caldarera a detentione feudi predicti fuisse penitus exclusos, nisi forte eisdem restitutum fuisset feudum ipsum cum remissione criminis et in integrum restitutione criminis et in integrum restitutione quod ipsa in Cancellaria non reperitur (1). Et ideo pos-

(1) In margine leggesi la seguente annotazione: *Die XV^o Ianuarii*

sidens compelli deberet ad edendum an a predictis de Caldarera sive a dicto Forcio de Insula descendat et quo iure feudum predictum possideat necnon ad edendum veros et legitimos titulos et investituras pro Regie Curie indemnitate.

Et mortuo dicto Anthonio Caldarera possessore dicti feudi Chamemi, successit sibi in dicto feudo Ioannes Petrus la Caldarera eius filius legitimus et naturalis, qui pro se suisque heredibus de suo corpore legitime descendentibus iure Francorum de dicto feudo Chamemi tam ob mortem dicti eius patris, quam ob mortem Catholici domini Nostri Ferdinandi Regis, cepit investituram a don Ioanne de Lanuça preside die XXX^o Decembris V^o Inditionis 1516 notatam in libro Cancellarie dicti anni f.^o 307. Et Philippus Cuniglo procurator dicti Ioannis Petri iuravit tactis Scripturis dictum feudum reddere uncias quinquaginta quolibet anno sive 07. L.

Feudum Pilinum alias Palicium vel Sancta Barbara

Feudum vocatum Pilinum alias Palicium vel Sancta Barbara in valle Nothi et territorio terre Platie positum per condam Adamucium de Speciario in vim concessionis de eo sub certa forma a Regia Curia sibi facte antiquitus possidebatur. Quo quidem Adamucio, nullo de eius corpore legitime descendente herede superstite derelicto, ad mortem deveniente, feudum ipsum tunc tenementum terrarum Sancte Barbare de Palitio et non Pilini nuncupatum Regie Curie apertum fuit et devolutum. Illudque exinde Serenissimus Rex Ludovicus condam Margarite de Palicio Nucarie comitisse ipsius Regis alumne ac suis imperpetuum heredibus et successoribus concessit, cum clausula tamen, quod possit dicta Margarita ipsum terrarum tenementum vendere, donare, alienare et pro anima iudicare ac de eo quicquid sibi placuerit, iuxta sui arbitrium voluntatis, facere ac cum clausula, scilicet: Ita tamen quod dicta nobilis Margarita, heredes et successores sui dictum tenementum terrarum in capite a nostra Curia teneant et cognoscant, sintque incole Regni nostri et in eodem

prime inditionis 1482 folio 405 apparet Investitura dicti feudi capta per Petrum la Caldarera ob mortem Andree eius patris.

regno sub nostro heredum et successorum nostrorum dominio habitent et morentur, fidelitate nostra necnon Constitutionibus et Capitulis Serenissimi Principis domini Regis Iacobi olim Aragonum et Sicilie Regis carissimi patrum nostri, dum eidem regno nostro preluit, editis ac excellentissimorum dominorum avi et genitoris nostrorum Sicilie Regum dive memorie atque nostris et cuiuslibet alterius iuribus semper salvis etc. Quo quidem in privilegio feudi ipsius fines et termini per extensum declarantur.

Mortua postmodum absque liberis Margarita de Palicio antedicta, eius cum testamento suam universalem heredem in omnibus illius bonis et signanter in dicto terrarum tenimento quondam Elisabeth neptem suam ex sorore instituit, que in dicto terrarum tenimento successit. Lodovicumque et Nicolaum ex ea et quondam Iacobo de Lamia de Leontino eius viro filios procreavit. Ipsaque Elisabeth deinde ac dicto Lodovico eius filio successive obeuntibus, in omnibus bonis maternis predictis prelibatus Nicolaus de Lamia succedere debuit. Cui tandem eiusque imperpetuum heredibus et successoribus ad ipsius Iacobi de Lamia eius patris supplicationem Serenissimus Rex Federicus predicti Regis Lodovici frater et in regno successor tenementum terrarum Sancte Barbare precontentum iuxta privilegii prenominati Regis Ludovici continenciam acceptavit et confirmavit ac de novo concessit, hac tamen cum clausula, scilicet, quod dictum terrarum tenementum a sua Regia Curia in capite teneant et cognoscant, sintque incole Regni Sicilie et in eo habitent et morentur, Constitutionibus Serenissimi Regis Iacobi aliorumque Sicilie Regum ac iuribus Regie Curie et cuiuslibet alterius semper salvis, sicut eodem in Regis Federici privilegio dato Cathanie per Henricum Rubeum de Messina comitem Aydoni regium cancellarium, V^o Octobris prime Inditionis 1363 et in Regie Cancellarie anni 1367 libro in cartis 157 notato, late patet.

A quo anno 1367 usque ad annum 1453, quo tempore spatium annorum fere octuaginta sex interest, nulla in Regie Cancellarie archivio investitura aliusve de dicto feudo actus reperitur, quibus percipi posset quis eodem in feudo sive terrarum tenimento Sancte Barbare de Palicio legitime successerit. Tamen in quodam dicti anni 1453 II^o Inditionis registro quedam apparet investiture nota in cartis 710 descripta et a quondam don Lupo Ximene Durrea tunc in regno prorege per Iulianum Columbam pro se eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servitio, regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, obtenta; in qua

exponitur feudum Sancte Barbare et Pilini ad manus et posse notarii Ioannis de Columba ipsius Iuliani Columbe patris et suorum progenitorum successione devenisse, ipsumque notarium Ioannem feudum prenarratum dum vixit tenuisse et possedisse. Ipsaque notario Ioanne Columba defuncto, prelibatum Iulianum illius filium eodem in feudo sibi successisse, qui Iulianus Columba cum de feudo sepedicto se investire voluisset, in predicti viceregis manibus iuramentum prestitit nullum eius ad manus de dicto feudo privilegium pervenisse, quod iuramentum eiusdem proregis mandato in Prothonotarij officio redactum extitit. Ob quod virtute Capituli per Serenissimum Regem Alfonso tunc Regie Serenitatis patrum Sicilie regno concessi et novissimi appellati, eidem Iuliano Columba et suis heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari servitio ut supra, de eodem feudo Pilini et Sancte Barbare investitura, data Panhormi XV^o Octobris II^o Inditionis 1453 et in eodem Cancellarie libro in cartis 710 notata, concessa fuit. Est tamen prima facie attendendum, quod quantumcumque predictum terrarum Sancte Barbare tenementum in posse Regii demanii fuerat et per Regiam Curiam sub certa forma, ut supra, concessum non tamen feudum paternum et antiquum intitulabatur. Et sic quo iure per retroprincipes infeudatum fuerit illius possessor edere et verificare tenetur, nam de huiusmodi infeudatione et feudali iurisdictione nullus apparet titulus; evenire enim potuisset, quod ipsamet pars possidentis modo usurpativo illud infeudasset et sic regalem preheminentiam ac iurisdictionem defraudasset.

Nam considerato quod dictus Iulianus Columba iureiurando affirmavit se nullum de dicto feudo privilegium habuisse et nihilominus in Regie Cancellarie codicibus verus et legitimus titulus tenimenti terrarum, ut supra, invenitur, est facile comprehendendum eundem possidentem ipsum terrarum tenementum collusive et fraudolenter infeudasse, regalem iurisdictionem et regalias propterea usurpando, quod si absque principis licentia fecisset, feudum ipsum de iure amittere deberet.

Preterea, ut ex vero titulo percipi potest, ipsum terrarum Sancte Barbare tenementum de Palicio cognominatur, quapropter mihi persuadeo hoc de Palicio cognomen causa concessionis eius per Serenissimum Regem Ludovicum in personam Margarite de Palicio Noharie Comitisse facte impositum fuisse; non tamen quod huiusmodi feudi fuisset cognomen. Tamen, quidquid sit, in dicto antiquo Regis Ludovici titulo de huiusmodi Sancte Barbare et Pilini feudo nulla fit mentio, nisi tantum de terrarum Sancte Barbare de Palicio tenimento

et sic apparet unum tantum et non duo esse corpora. Quomodo ergo Serenissimo Rege Alfonso regnante et Don Lupo Ximene Durrea viceregiatus officium exercente, Iulianus Columba antedictus investituram cepit, narrans ipsum Pilini et Sancte Barbare feudum tenuisse et possedisse et sic de illis sub illo indebito iuramento, quod privilegium non habebat, ut predicatur, investituram obtinuit? Unde per illam copulativam coniunctionem et facile comprehenditur duo esse feuda et non unum et quilibet sane mentis recte cogitando iudicabit, Pilinum esse feudum et Sancte Barbare tenimento separatum ac per hoc usurpatum, et ideo pro Regie Curie cautela et indemnitate est recte attendendum ut detur forma, quod possidens verum dicti feudi Sancte Barbare et Pilini titulum edat, nam Regia Curia ipsa per antiquum et verum titulum regis Lodovici facile demonstrat feudum prelibatum Sancte Barbare esse et non Pilini.

Mortuo tandem prefato Iuliano Columba, sibi in dicto Sancte Barbare et Pilini feudo successit Ioannes Bernardus Columba, tamen nullam dare valeo rationem si Ioannes Bernardus ipse predicti Iuliani Columbe filius fuerit, nec ne minusque quo iure in dicto feudo successerit, cum in sui iuramenti actu in tunc viceregis manibus XXVI^o Novembris XII^o Inditionis 1463 prestiti in Regie Cancellarie dicti anni libro f.º 52 notato nulla facta sit mentio, quo iure et per cuius obitum eodem in feudo successerit.

Ipsaque Ioanne Bernardo Columba decedente, sibi eodem in feudo successit Anthoninus Columba eius filius legitimus et naturalis, qui pro se eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servitio ac cum reservatione iurium Regie Curie et alterius cuiusvis, de ipso feudo ultimo Octobris VI^o Inditionis 1472 investituram in Regie Cancellarie libro anni 1471 V^o Inditionis in cartis 477 notatam consequutus fuit.

Et in presentiarum, anno 1512 decurrente, feudum ipsum Sancte Barbare et Pilini per eundem Antoninum Columbam possidetur, quod anno quolibet reddit uncias quindecim. 07. XV

Dictus vero Anthoninus de Columba ob mortem Domini Regis Ferdinandi a Don Ioanne de Luna preside de dicto feudo Pilini cepit investituram die XVIII^o Ianuarii V^o Inditionis notatam in libro anni 1516 f.º 446. Et iuravit reddere tantundem.

Feudum Bauli

Feudum Bauli in valle et tenimento terre Nothi positum ac cum possessionibus Sancte Marie de Arcu et Sancte Lucie confrontatum per quondam Iaymum de Alagona antiquitus possidebatur; cui quod iure feudum ipsum pervenerit nullus in Regie Cancellarie titulus apparet. Tandem tempore, quo Serenissimi Reges Martinus et Maria regnabant, prefatus Iaymus de Alagona contra eosdem Reges rebellionem exercuit, prout tunc constitit per diffinitivam sententiam per Magnam Regiam Curiam contra eum latam et sic feudum ipsum Bauli sacro regio demanio apertum et devolutum extitit.

Deinde autem prelibati Reges feudum ipsum Bauli cum iuribus et pertinenciis suis quondam Raynaldo Landolina pro eius servitiis prestitis suisque imperpetuum heredibus eius de corpore legitime descendentibus more Francorum, sub consueto militari servitio ac cum clausula, fidelitate regia et alterius iuribus semper salvis, concessit, quibusvis aliis donationibus et gratiis per Regiam Curiam de dicto feudo usque ad dictum feudum factis penitus annullatis, ac etiam cum clausula, scilicet, etiam quod vos et vestri non possitis a quoque a predicto feudo seu eius possessione excludi vel removeri, donec de equivalenti excambio de excendentibus nostre Curie vobis vel vestris heredibus fuerit satisfactum etc. sicut in ipsorum Regum Martini et Marie privilegio, dato Cathanie XI^o Novembris prime Inditionis 1392 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 158 notato, diffusius continetur.

Perquisitis postmodum eiusdem Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1392, quando scilicet prenominatus Iaymus de Alagona per dictam Magne Regie Curie sententiam fuit rebellis declaratus, eiusque bona ipsi Regie Curie confiscata extitere, usque ad presens, anno 1512 corrente, nullum de dicto feudo Bauli privilegium, titulum sive investituram aliam inveni, ob quod non modica ductus admiratione diversis ex vijs investigare procuravi, in cuius posse feudum ipsum inveniatur. Tandem a nonnullis percepi eodem in presenti, anno 1512 corrente, feudum Bauli predictum in posse Belledamme uxoris relicte quondam Nicolai Melchioris de Branchifortibus olim comitis Mazareni ac filie condam Blasci de Alagona inveniri, quem minus reperitur de ipso Bauli feudo investituram accepisse, adeo quod.

cum dicta Belladamma de descendentibus dicti Iaymi de Alagona rebellis existat, mihi persuadeo dictum feudum per eam fuisse usurpatum, ob quod inconueniens non esset pro veritatis dilucidatione et Regie Curie indemnitatem eandem Belladammam ad verum et legitimum titulum dicti feudi edendum compelli. Nihilominus tam per illam clausulam equivalentis excambii in concessione Raynaldo de Landolina facta appositam, quam quia dicta concessio pro serviciis prestitis eidem Raynaldo tradita fuit, facta prius per Fiscum Regium debita oblatione dictorum seruiciorum prestitorum per dictum Raynaldum possessorem dicti feudi Vestra C. Maiestas, iuxta formam pragmatice **POST BELLA** vocate, feudum ipsum et presertim propter non solum canonem vel propter militare seruitium a tunc temporis citra non prestitum ac propter non captas investituras, ut supra, feudum Bauli memoratum ad se revocare posset. Quod feudum anno quolibet reddit 07 L.

Tandem dicta Belladamma ob mortem domini Regis Ferdinandi a don Ioanne de Luna preside cepit investituram, die XXI^o Ianuarii notatam in libro anni 1516 f.º 506, et iuravit reddere tantundem per procuratorem.

Feudum Fessime Fortilicium Petretaglate Ius Augustale Iudeorum Panormi.

Feudum Fessima vocatum cum fortificio Petrataglata nuncupato in valle Nothi prope terras Placie et Castri Ioannis positum per quondam Prandinum Capizana de ipsa terra Placie ex concessione per Serenissimum Regem Federicum sibi facta antiquitus possessum extitit, de quo nullus Regia in Cancellaria titulus apparet.

Sed quia Prandinus ipse nec non et Prandinus de Exea contra eundem Regem rebellionem exercuerunt, impios tumultus in populo concitando, ac regios redditus fiscalique iura occupando, bona illorum feudalia et burgensatica Regie Curie aperta et devoluta fuere, ob quod idem Rex Federicus feudum ipsum Fessime cum dicto Petretaglate fortificio quondam Perroni de Iuenio de Termis tunc Magne Regie Curie iudici eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus iure Francorum, sub consueto militari seruitio ac Serenissimi

Regis Iacobi aliorumque Sicilie Regum Constitutionibus ac iuribus Curie et alterius semper salvis, concessit, ut in ipsius Regis Federici privilegio dato in terra Castri Ioannis XVII^o Marci XIII^o Inditionis 1374, et in Regie Cancellarie annorum 1365, 1366, libro in cartis 137 notato, late patet. Quod privilegium simul cum alio Serenissimi Regis Ludovici, Serenissimi Regis Petri filii et predicti Regis Federici fratris privilegio dato Cathanie in anno 1343 et eidem Perrono de Iuenio illiusque heredibus suo de corpore legitime descendantibus de unciis quadraginta super iure Augustalis Iudeorum de iuribus Regie Secrecie felicis Panhornitane urbis, sub militari servitio duorum equorum ac cum clausula, quod pro equivalenti exambio Regia Curia dictas uncias XXXX quodcumque sibi revocare posset, concesso, Serenissimi Reges uterque Martinus et Maria quondam Bartholomeo de Iuenio ob dicti quondam Perroni de Iuenio eius patris mortem, iuribus Curie et alterius semper salvis ac cum clausula, si usque ad eventum dictorum Regum utriusque Martini et Marie dictus Perronus de Iuenio feudum ipsum et ius augustale Iudeorum possederat, acceptarunt et confirmarunt, quemadmodum in ipsorum Regum Martini et Marie privilegio dato Cathanie XVI^o Iulii XV^o Inditionis 1392, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 101 cum inserto tenore dictorum amborum privilegiorum notato, continetur.

Preterea idem Bartholomeus de Iuenio asserens pro se et Perricone de Iuenio eius filio ab eisdem Regibus Martino et Maria aliud privilegium confirmacionis terre Aydonis cum eodem Fessime feudo et Petretaglate fortilicio consequutum fuisse, quod privilegium datum fuit Leontini penultimo Septembris prime Inditionis 1392 et de eisdem Fessime feudo, Petretaglate fortilicio et terra Aydoni ac aliis feudis prefato Perrono de Iuenio eius filio propter nuptias donacionem fecisse, sicuti quodam in donationis instrumento manu notarii Iaymi Andree in anno 1402 acto diffusius exprimitur: Necnon ad uberiorem cautelam de dictis terra et feudis eidem Perroni de Iuenio eius filio cessionem fecisse, prout in alio cessionis instrumento manu notarii Gulielmi Cartella in anno 1407 celebrato serius enarratur, ipsa eadem donacionis propter nuptias et iurium cessionis instrumenta Serenissimi Reges Martinus et Maria prelibato Perroni de Iuenio, suisque imperpetuum heredibus utriusque sexus eius de corpore legitime descendantibus iure Francorum et cum clausula, quod si eundem Perronum de Iuenio illiusque legitimos filios sine liberis eorum de corporibus legitime descendantibus mori contigisset; eo casu dicta baronia et feuda ad prefatum Bartholomeum de Iuenio eius patrem et donatorem reliquosque eius

flios suo de corpore legitimo descendentes, iure Francorum, sub consueto militari servitio reverterentur, Regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, acceptarunt et confirmarunt ac de novo concesserunt, quemadmodum in alio eorundem Regum privilegio dato Cathanie XII Iulii XV. Inditionis 1407 extensius declaratur.

Mortuo tandem dicto Perrono de Iuenio, sibi in dicto feudo et aliis Bartholomeus de Iuenio eius filius successit.

Quo Bartholomeo defuncto, illi eodem in feudo et aliis successit Perruchius de Iuenio eius filius, qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum, de predictis terra et feudis a don Lop Ximen Durrea tunc in Regno prorege XX^o Augusti prime Inditionis 1455 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 678 notatam, reportavit.

Deficiente autem prefato Perruchio de Iuenio, sibi in dictis terra et feudis successit Bartholomeus de Iuenio eius filius legitimus et naturalis, qui de eisdem terra et feudis pro se eiusque heredibus iure Francorum XIII^o Februarii XIII^o Inditionis 1494 a tunc prorege investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 341 notatam, consequutus fuit. Qua in investitura feudum Fessime prenotatum non nominatur, sed tantum illud Petramtaglatam invocat, quod, ut predicatur, erat fortilicium eodem in Fessime feudo existens. Et sic rationem dare nequeo, quo iure Fessime nomine relaxato ad nomen Petretaglate devenerit, minusque si hoc in nomine Petretaglate totum ipsum Fessime feudum comprehendatur et ideo ut hoc percipi possit et intelligi est recte attendendum.

In presentiarum autem, anno 1512 currente, dictum Petretaglate fortilicium una cum toto dicto feudo per eundem Bartholomeum de Iuenio possidetur et anno quolibet reddit 07

Feuda Baccarrati et Petralixa

Feuda Baccarrati et Petrelixe in valle Nothi et territorio terre Aydoni posita simul cum terra eadem Aydoni per quondam Comitem Henricum Rubeum seniore antequam possidebantur, de quibus nullus in Regia Cancellaria titulus apparet. Qui Comes Henricus eam-

dem Aydoni terram et feuda prelibata cum quondam Perrono de Iuenio seniore pro terra Castellionis demaniali, quam Serenissimus Rex Federicus ipsi Perrono in excambium nonnullorum iurium Regiarum excadentiarum, que Perronus antedictus in terra Calaxibette habere asserebat, concesserat, permutavit. Deinde autem prefatus Henricus Rubeus senior contra eundem regem Federicum rebellionem patravit, Messanensem civitatem violenter occupando ac Reginam Anthoniam ipsius Regis Federici consortem innani insulto persequendo, quo quidem insultu perterrita super triremibus Regino in mari in Domino obdormivit, sicut magno in Capibrevio in capitulo dicte terre Aydonis in cartis 736 diffusius expressum est.

Ipsaque perpetrata rebellionem, cum Perronus antedictus ne terram eandem Aydonis et feuda Baccarrati amicteret, neve dictus comes rebellis remissus in integrum restitueretur dubitaret, ab ipso Rege Federico obtinuit, quod casu quo comes Henricus ipse iuste vel iniuste rebellionem ipsius indulgentiam et veniam reportaret, Perronus prelibatus a terre Aydoni antedictae et feudi Baccarrati possessione nullo pacto amoveri posset; imo in illorum pacifica possessione manuteneretur, vel expoliatus ad pristinum reduceretur status, aut antequam illis privaretur, dicta Castellionis terra eidem restitueretur, quemadmodum in ipsius Regis Federici privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1371 in cartis 174 notato, continetur.

Cumque exinde dictus Comes Henricus prelibato Perrono de Iuenio eiusdem terre Aydoni, feudi Baccarrati et aliorum pheutorum possessionem iuxta eandem permutacionem denegasset, quam permutatoriam conventionem Artali de Alagona tunc ut magistro iusticiario confirmaverat, si prius eiusdem terre Castellionis possessio ipsi comiti Henrico traderetur, idem Artalis tandem armorum vi ipsam Aydoni terram acquisivit, illamque simul cum dicto Baccarrati feudo et aliis prefato Perrono de Iuenio restituit. Qui Perronus demum pro se eiusque heredibus iure Fraucorum ab ipso Rege Federico, sub consueto militari servitio, de illis confirmationem obtinuit, ut in eius Regio privilegio dato Messane XI^o Septembris VIII^o Inditionis 1369 late patet.

Ipsaque Perrono de Iuenio defuncto, sibi in dictis terra et feudo Baccarrati aliisque feudis successit Bartholomeus de Iuenio eius filius, qui cum inserto tenore privilegii eiusdem a Serenissimis Regibus Martino et Maria in anno 1391, de ipso privilegio confirmationem in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 135 notatam consequutus fuit.

Exinde vero, cum comes Henricus Rubeus iunior prelibati co-

mitis Henrici Rubei senioris filius contra prefatum Bartholomeum de Iuenio litem intemptare pretenderet, asserens eandem Aydoni terram feudum Baccarrati et alia feuda antedicta ad eum spectare et in illis amplissima iura tenere, et ex aduerso dictus Bartholomeus allegaret in eisdem iustum et legitimum titulum habere, ad hanc tandem advenere conuentionem, scilicet, quod ipse Bartholomeus de Iuenio a prelibato comite Henrico Rubeo iuniore de eisdem terra Aydoni, feudo Baccarrati et aliis feudis ac terra Castellionis iura cessa reportavit, et ipsi Comiti Henrico uncias noningentas pro eisdem terris et feudis dedit et solvit. Et sic comes predictus, ab eius desistens petitione, prefato Bartholomeo suisque heredibus de eius iuribus antedictis quomodocumque et qualitercumque ad eum spectantibus cessionem fecit; sicuti tenore duorum publicorum contractuum, manu notharii Laurentii de Notho Cathaniensis in anno 1405 celebratorum, late patet; quos contractus Serenissimi Reges Martinus et Maria cum illorum inserto tenore eidem Bartholomeo de Iuenio illiusque perpetuum heredibus acceptarunt et confirmarunt, cum clausula, scilicet, sub illis serviciis, modis et formis, prout ipsam terram et castrum Aydoni et feuda supradicta cum suis iuribus et pertinenciis habebat olim Comes Henricus Rubeus, pater ipsius Comitis Henrici Rubei, et alii predecessores ipsius quondam Comitis Henrici ipsam terram et castrum Aydoni cum suis iuribus supradictis habuerunt, tenuerunt et possederunt ac habere, tenere et possidere potuerunt etc. Nec non Reges ipsi eidem Bartholomeo de Iuenio iura Fisco Regio competencia usque ad summam terre Aydoni et feudorum predictorum super bonis dicti quondam comitis Henrici Rubei senioris, ratione iurium, fructuum et reddituum per ipsum quondam Comitem, vita sibi comite, de iuribus et redditibus civitatum et terrarum Regii demanii perceptorum, concesserunt, prout in ipsorum Regum privilegio dato Cathanie in anno 1406 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 56 notato, continetur.

Et nihilominus a quampluribus percepi eandem Aydoni terram cum feudis antedictis a Sicilie Regibus, Vestri Regii Culminis progenitoribus, quondam Comiti Rubeo de Rubeo patri prenominati Comitis Henrici Rubei senioris rebellis pro uncias noningentis, carta tamen gratie quandocumque reddimendi mediante, fuisse concessam; et ideo pro Curie cautela omnino videndum esset huiusmodi concessionis privilegium et sic possessor, ut pluries dixi, ad predicta edendum compelli posset, non enim hoc Regni Capitulis aliquo modo obstat.

Prefato autem Bartholomeo de Iuenio defuncto, sibi in eisdem terra et feudo Baccarrati successit Perronus de Iuenio eius filius.

Quo deficiente, illi in eisdem Bartholomeus de Iuenio eius filius successit.

Decedente postremo prefato Bartholomeo de Iuenio, ipsi in eisdem terra Aydoni et feudo Baccarrati successit Perruchius de Iuenio illius filius, qui pro se et eius heredibus iure Francorum de ipso Baccarrati feudo, sub consueto militari servicio iuribusque Curie et alterius semper salvis, a don Lupo Ximene Durrea tunc Regni prorege, XX^o Augusti prime Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 678 notatam, reportavit.

Prelibato tandem Perruchio de Iuenio deficiente, ei in dicta Aydoni terra successit Bartholomeus de Iuenio illius filius, qui a vicerege, qui tunc in Regno preerat, de infrascriptis terris et feudis, XIII^o Februarii XIII^e Inditionis 1494, investituram, in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 341 notatam, obtinuit, et sunt hec, videlicet:

Terra Aydoni
 Petrataglata
 Nuarie
 Vallis Currentis
 Terra Castellionis
 Casale Carboni et Oliverium cum Tonnaria.

Qua quidem in investitura dictum Baccarrati feudum nullo pacto nominatur, ob quod apparet de pertinencijs Comitatus Aydoni nullatenus esse, nisi feudum de per se antiquum et paternum ac militari servitio alijsque iuribus Regie Curie subiectum, ut in precalendata investitura diffusius continetur; et ideo possidens ad dandum de his opportunam rationem cogatur.

In presentiarum autem, anno 1512 currente, feuda predicta per eundem Bartholomeum, de Iuenio possidentur et reddunt annis singulis uncias

Et nihilominus de dicto feudo Baccarrati verba fiunt inferius in cartis 251 in Capitulo censualium Secrecie Messane.

Feudum et Casale Vallis Currentis

Feudum et casale Vallis Currentis, in valle Nothi iuxta territoria Cathanie, Paternionis et Mocte Sancte Anastasie positum, per quondam Rodericum de Alagona antiquitus possidebatur; de quo nullus

in Regia Cancellaria titulus apparet, et ideo nulla potest de illius forma larga vel stricta ratio exhiberi. Tandem prefato Roderico de Alagona mortuo, frater Iacobus de Soris Abbas devoti monasterii Sancte Marie de Lichodia, alter ex fideicommissarijs et executoribus ultime voluntatis prefati Roderici, servatis servandis, casale predictum Vallis Currentis quondam Perrono de Iuenio de Termis tunc Regni Prothonotario illiusque imperpetuum heredibus et successoribus precio unciarum sexcentarum, puplico mediante venditionis instrumento, manu notarii Petri de Honorato Cathaniensis XXII^o Martii XIII^o Inditionis 1360 celebrato, vendidit. Quo quidem in instrumento minus narratur prefatum Abbatem fideicommissarium casale prenotatum cum principis licencia, ut in feudalibus oportet, aut cum ipsius Regie licentie et militaris servicii reservatione, vendidisse; quod tandem vendicionis eiusdem feudi instrumentum Serenissimus Rex Federicus eidem Perrono de Iuenio et suis imperpetuum heredibus et successoribus, sub consueto militari servicio et cum clausula, quatenus eadem vendicio processit rationabiliter atque rite etc. acceptavit et confirmavit, prout in eiusdem Regis Federici privilegio, in Regie Cancellarie libro annorum 1360, 1366 in cartis 438 notato, continetur. Quo Perrono de Iuenio defuncto, successit Bartholomeus de Iuenio eius filius, qui pro se et suis heredibus et successoribus iure Francorum, sub consueto militari servicio, de feudo ipso Vallis Currentis a Serenissimo Rege Martino, cum inserto tenore dicti instrumenti vendicionis huiusmodi, confirmacionem cum clausula, quatenus eadem vendicio processerit rationabiliter atque iuste, reportavit; ut patet in eius Regio privilegio dato Cathanie XVI^o Iulii XV^o Inditionis 1392, notato in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 97. De quo quidem Bartholomeo de Iuenio venit Perronus de Iuenio eius filius iunior, qui obtinuit confirmacionem dicti Casalis a viceregibus qui tunc erant cum inserto tenore dictorum privilegiorum et contractus, dati Cathanie VI^o Marcii VIII^o Inditionis 1414, notato in libro anni 1415 f. 103. Et sic de supradictis de Iuenio modernus Bartholomeus de Iuenio, de quo precedenti in Capitulo feudi Baccarrati in cartis 63 mentionem feci, legitime ac recta linea descendit. Qui modernus Bartholomeus de Iuenio hodie, anno 1512 currente, feudum ipsum et casale Vallis Currentis tenet et possidet, quod anno quolibet reddunt uncias

Exinde vero dictus modernus don Bartholomeus de Iuenio de dicto Casali Vallis Currentis, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna preside cepit investituram die XVIII^o Ianuarii

V^e Inditionis notatam in libro 1516 f.º 479, et iuravit reddere tantumdem.

Allegatio

Et nichilominus est recte considerandum, quod dicta feudi Vallis Currentis venditio rite et rationabiliter his duobus respectibus non processit; primo quia absque principis licencia et sine illius reservatione facta extitit; secundo quia in eadem de militari servitio non fuit facta mentio. Et ideo, actenta forma Pragmatice POST BELLA in huius voluminis principio annotata, Vestra C. Maiestas eodem precio casale et feudum Vallis Currentis predictum recuperare potest, et sacro Regio demanio iterum agregare, quod cum maximi sit redditus nimis Regie Curie conduceret.

Feuda

**Burgillusi . Longarini . Lilansi . Rachalmedica . Bucherni .
Falconaria, Sancti Laurentii, Pulichi alias Muntisano**

Feuda Burgillusi, Longarini, Lilansi, Rachalmedica, li Bucherni, la Falconaria, Sancti Laurentii et Pulichi alias Muntisano, in valle Nothi existentia, prout infra dicetur, antiquitus possessa extitere.

De feudo autem Longarini incipiens, quod in territorio Civitatis Siracusarum consitum est, dico quod de eo (nisi forte eiusdem nominis aliud reperiretur feudum) in capitulo feudi Longarini et iuris Thoni Melacij superius in cartis 585 diffusius verba protuli. Que duo feuda, Longarini scilicet et ius Thoni Melacij, hodie per illos de Porco possidentur, quo quidem in capitulo nulla exprimitur mentio, qualiter feudum ipsum per quondam Federicum de Aragonia possidebatur, nisi per illos de Iordano. In presentiarum autem repperi dictum Longarini feudum ac etiam feudum Burgilluse per dictum Federicum de Aragonia sub certa forma antiquitus possessa fuisse; cuius morte exinde feuda ipsa Longarini et Burgilluse Fisco Regio aperta et devoluta fuere, illaque postmodum Serenissimus Rex Federicus sub consueto militari servitio quondam Philippo de Marino Messanensi, eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus, iure Fran-

corum concessit et donavit, sicuti in ipsius Regis Federici privilegio in Regie Cancellarie libro anni 1375 in cartis 6 notato, continetur.

Ulterius autem perquirendo, an invenire possem quomodo dictum Longarini feudum istis de Iordano pervenerit et a dicto Philippo de Marino defecerit, nil aliud inveni, nisi quod feudum ipsum per illos de Iordano fuit possessum atque detentum, et propterea de huiusmodi Longarini feudo et eius commutatione nulla alia dari potest ratio. Verum quia exinde quoddam repperi privilegium Serenissimi Regis Iacobi, quod pro vero titulo habendum est, propterea de ipso Longarini feudo inferius in cartis 585 verba facta sunt.

Burgillusa feudum

Minusque invenitur, quomodo feudum Burgilluse antedictum ab illis de Marino defecerit et in alias personas devenerit. Verum quedam investiture nota per quondam Ioannem de Aragonia baronem Avole in anno 1453 de prenomatis feudis li Lansi, Rachalmedice, Libucherni et Burgilluse, in quibus ob mortem quondam Perruchii de Aragonia eius patris successisse asseritur, capta reperitur: in qua narratur, quod cum Ioannes ipse, in tunc proregis manibus iuramentum prestitisset, nullum de feudis eisdem suas ad manus privilegium devenisse, constituto tamen de eius possessione a dicto prorege de feudis ipsis li Bucherni, Burgilluse, li Lansi et Rachalmedice, sub consueto militari servicio pro se et suis heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, XVII^o Iulii prime Inditionis 1453, investiram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 447 notatam, ut in ea late patet, assequutus fuit.

Preterea apparet quondam Infantem Don Petrum Serenissimi Regis Alfonsi fratrem, tunc ducem Nothi, magistro Petro de Marsigla nonnulla iura per eum super feudis Rachalmedica et li Lansi detencta concessisse, post cuius magistri Petri de Marsigla obitum, iura ipsa eidem infanti devoluta extitere. Que iura etiam super ipsis feudis li Lansi et Rachalmedica, Infans predictus quondam Ioanni de Liria pro serviciis per eum illi prestitis exinde concessit, nulla tamen facta mencione de filiis et heredibus ipsius Ioannis de Liria, nec etiam de feudo antedicto

Falconarie, prout per ipsius Infantis privilegium datum in civitate Montis Regalis, XV^o Iunii 1437, videri potest.

Mortuo postmodum eodem Infante don Petro, Ioannes de Liria predictus asseruit dictum Regem Alfonsum, suo cum regio chirografo, de dictis feudis Rachalmedice, li Lansi et Falconaria sibi confirmationem et de novo donacionem, eo modo et forma quibus illa vigore privilegii sibi per dictum Infantem facti possidebat, promississe. Tamen miror, quo iure feudum Falconarie predictum feudis li Lansi et Rachalmedice insitum fuerit et adiunctum; nam in prenominati Infantis Petri privilegio feudum ipsum Falconarie non nominatur, nisi tantum predicta feuda li Lansi et Rachalmedica.

Tandem, idem Ioannes de Liria asserens se causaliter regium chirografum predictum deperdidisse, de eisdem tribus feudis li Lansi, Rachalmedica et Falconaria, privilegium iuxta formam ipsius chirographi petiit; ipse tamen Rex Alfonsus sibi persuadens suum regium chirografum ac dicti Infantis Petri privilegium, quibus se rettulit, ipsa tria feuda in se continuisse; de feudis predictis Rachalmedice, li Lansi et Falconaria sub feudali servitio eidem Ioanni de Liria confirmationem et de novo donationem fecit, cum clausula, iuribus Curie et alterius semper salvis, si et prout ipse Ioannes de Liria predicta tria feuda tenebat et possidebat vigore privilegii donationis sibi facte per dictum Infantem Petrum.

Exinde vero dictus Ioannes de Liria eadem tria feuda la Falconaria, Rachalmedica et li Lansi quondam Anthonio de Caruso, tunc Magistro Rationali, pretio ducatorum ducentorum ad rationem decem liliatorum pro quolibet ducato, et sub onere militaris servitii vendidit; sicuti in quodam publico venditionis huiusmodi contractu IX^o Martii V^o Inditionis 1457 manu notarii Andree de Alferatro de Neapoli celebrato continetur. Quem contractum dictus Rex Alfonsus eidem Anthonio Caruso et suis imperpetuum heredibus et successoribus, sub consueto militari servitio iuribusque Curie et alterius semper salvis, accepavit et confirmavit hac cum clausula, scilicet: Et insuper ipsa feuda, licet ex lectura privilegii Illustrissimi Infantis ac confirmationis et donationis nostre superius inserte videantur eidem Ioanni de Liria, nulla de suis heredibus et successoribus mentione facta, concessa fuisse; volentes prefatam formam declarare et ad vestri utilitatem omnimodum commodum ampliare, motu proprio, de certa scientia et consulto, illa vos eundem Magistrum Anthonium de Carusio et vestros heredes et successores quoscumque etiam ex huiusmodi venditione fuisse translata, decernimus et interpretamus, et declarando protendimus et ampliamus etc., sicuti in ipsius Regis Alfonsi pri-

vilegio dato Neapoli XIII^o Augusti VI^e Inditionis 1457, de quo viceregia emanavit executoria in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 196 notata, hec et alia diffusius exprimuntur.

Quo Anthonio de Carusio decedente, sibi in eisdem tribus feudis la Falconara, Rachalmedica et li Lansi Vincentius de Carusio eius filius successit.

Ipsoque Vincentio de Carusio absque filiis deficiente, sibi in eisdem feudis successit Anthonellus de Carusio eius frater, qui pro se suisque heredibus, iuxta formam suorum privilegiorum XXVII Maij XII^e Inditionis 1479, de terra Spaccafurni et de medietate feudorum predictorum Rachalmedice, li Lansi et Falconaria, ac etiam de feudis Sancti Laurentii et di lo Pulichi investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1478 in cartis 466 notatam, reportavit.

Cuius investiture vigore, hodie anno 1512 decurrente, medietas dictorum trium feudorum Rachalmedice li Lansi et la Falconaria per dictum Anthonellum de Carusio possidentur, et annis singulis reddunt uncias

Tamen in Regia Cancellaria non invenitur quo iure eadem tria feuda divisa fuerint pro indiviso, minusque quis aliam illorum medietatem possideat, et sic pro Curie cauthela hoc inquiratur.

Burgillusa feudum

Feudum autem Burgilluse minus invenitur in cuius posse existat, et ideo, cum de hoc ratio aliqua dare non possit, oportet de hoc pro Curie cauthela inquisitionem fieri.

Pulichhi feudum

Feudum vero lu Pulichi alias Montisano, de quo in Regni Secretiarum Capibrevio in cartis 181 diffusius verba feci, per quondam Alvarum de Castro possidebatur, quo defuncto feudum ipsum lu Pulichi Regie Curie apertum et devolutum fuit.

Preterea apparet feudum iddem a Francisca quondam Actardi de Barbulato uxore possessum etiam fuisse, que exinde, ad secunda vota convolans, Martino Remiges matrimonio copulata est; tamen Regia in Cancellaria nullus apparet titulus, sub qua forma, stricta an larga, illud possederat, minusque si de illo Francisca predicta disponere poterat. Tandem absque tituli alicuius ostensione Francisca eadem, reservato sibi tantummodo feudi ipsius eius vita durante usufructu, de feudo eodem quondam Sanctio Sanctii de Landonio, tunc Castri terre Nothi Castellano, suisque imperpetuum heredibus donationem fecit inter vivos irrevocabilem; ut in huiusmodi donationis contractu XXII^o Maij VIII^o Inditionis 1429 manu notari Attardi de Provina celebrato continetur. Quam donationem Serenissimus Rex Alfonsus eidem Sanctio Sanctii de Landonio eiusque imperpetuum heredibus, sub consueto militari servitio iuribus Regiis et alterius semper salvis, acceptavit et confirmavit, sicuti, in ipsius Regis privilegio dato Messane XII^o Novembris XI^o Inditionis 1432, et in Regie Cancellarie libro anni 1433 in cartis 89 notato, diffusius exponitur.

Postremo feudum sepedictum ob predicti Sanctii de Landonio rebellionem vel aliter, Regie Curie iterum devolutum extitit. Exinde vero quondam Anthonius Sin, Regius tunc Regni huius Sicilie thesaurarius, tamquam dicti Regis Alfonsi procurator pheidum lu Pulichi prelibatum quondam Antonio de Carusio tunc regni magistro rationali pretio florenorum mille, carta tamen gratie reddimendi mediante, imperpetuum vendidit. Pro quo pretio Anthonius de Carusio antedictus eidem thesaurario salmas frumenti mille recollectionis anni VII^o Inditionis tunc venturae, ad rationem tarenorum sex pro qualibet salma, in bucca fovearum Civitatis Agrigenti dare et assignare promisit: sed quia tunc ab experto apparuit feudum ipsum maiori, quo tunc venditum fuerat, pretio valere; thesaurarius ipse et regius procurator de don Lupi Ximenis Durrea tunc in regno proregis consensu, de illo pluri eidem Antonio Carusio, pretextu servitiorum per eum Regie Curie prestitorum, donationem fecit inter vivos irrevocabilem: cum pacto tamen, quod quancumque ipsa Regia Curia feudum predictum reddimere voluisset pro illud aliis personis vendendo, teneretur prius eundem Anthonium de Carusio requirere si eodem pretio, quo vendi feudum predictum reperiretur, emere vellet, et si emere elegisset illud, utique sibi concederetur, si vero illud habere recusasset, dicti mille floreni cum expensis in Regia confirmatione factis, ipsi Antonio de Carusio in unica solutione in banco Panhormi restituerentur, sicuti in ipsius feudi venditionis contractu XX^o Ianuarii VIII^o Inditionis 1444 celebrato exponitur.

Quem contractum idem Rex Alfonsus suo regio cum privilegio, dato in Castro Cusentie X^o Martii VIII^e Inditionis 1443, de quo viceregia emanavit executoria data Panhormi XXI^o Aprilis VIII^e Inditionis dicti anni 1443, et in Regie Cancellarie anni 1444 libro in cartis 383 notata, acceptavit et confirmavit.

Postmodum autem idem Rex Alfonsus prefato Anthonio de Carusio eiusque imperpetuum heredibus et successoribus omnia iura, que Rex ipse eodem in Pulichi feudo tenebat, et signanter ob notoriam rebellionem per prenomiatum Sanctium Sanctii de Landonio contra eundem Regem Alfonsum ac contra Serenissimum Regem Ioannem, Navarre regem, illius fratrem patratam, concessit cum clausula, quod illam donationem de dicto feudo per prenomiatam Franciscam prelibato Sanctio Sanctii de Landonio factam, acceptabat non obstante quod, antequam feudum ipsum in posse dicti Antonij de Carusio deveniret, super alienationibus feudi ipsius non fuerit servata forma Capituli **Volentes**, minusque prestitum iuxta regni Statuta et regia Edicta debitum iuramentum, aliisque iuribus, quibus licitum fuerat feudum predictum quandocumque reddimere penitus extinctis; quemadmodum in alio dicti Regis Alfonsi privilegio, dato in Turri Octavj XI^o Decembris 1451, hec et alia late patet.

In anno vero 1453, prefatus Anthonius de Carusio pro se suisque heredibus et successoribus de feudo eodem lu Pulichi a quondam Simone Panormitano Archiepiscopo, tunc in regno preside, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 430 notatam, reportavit.

Quo Anthonio de Carusio defuncto, sibi in eodem feudo successit Vincentius de Carusio illius filius, qui de feudo ipso nullam cepit investituram. Mortuo deinde absque filiis Vincentio de Carusio prelibato, sibi in dicto feudo successit Anthonellus de Carusio eius frater, prenominati Anthonii de Carusio filius, qui, ut supra exponitur, de feudo predicto una cum aliis a quondam magistro Iusticiario tunc regni preside, XXVII^o Maij XII^e Inditionis 1478, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 466 notatam, obtinuit.

Hodie vero, anno 1512 decurrente, feudum predictum lu Pulichi per prefatum Anthonellum de Carusio possidetur et reddit anno quolibet uncias 07. C

Nihilominus dictus Anthonellus de Carusio de dicto feudo di lo Pulichi, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna preside cepit investituram die XXI^o Ianuarii V^e Inditionis, notatam in libro 1516 f.º 486, et iuravit hoc tempore reddere . 07. LXXX

Nihilominus pretermittendum non duxi, quin dicam, quod facultas luendi quandocumque dictum feudum pro prefato precio florenorum mille estingui debebat illis iuribus, que Rex Alfonsus antedictus tenebat ob rebellionem Sanctij de Landonio donatarij prenominata Franciscæ de Barbilato, ac ob alienationes prius de dicto feudo contra capitulum **Volentes** factas, ac ob non prestitum iuramentum et homagium. Nam, ob rebellionem dicti Sanctii de Landonio vel ex alia causa, ante venditionem de dicto feudo eidem Anthonio de Carusio factam, feudum ipsum in posse Regii Demanij iam devenerat. Quodque hoc sit verum per temporum Calendaria colligi potest; nam donatio per prelibatam Franciscam de Barbilato ipsi Sanctio de Landonio facta, in anno 1432 facta extitit, quo etiam tempore dictus est idem Sanctius rebellionem ipsam exercuisse; venditio autem prenotata in anno 1444 facta extitit, per quod tempus spatium annorum fere duodecim dinumeratur. Quomodo ergo prefato Anthonio Carusio poterant regia iura concedi contra prelibatum Sanctium de Landonio rebellem, postquam Curia Regia per tot annos dicti feudi possessionem tenuerat? Et ideo clause luytionis feudi ipsius quandocumque pro dicto pretio florenorum mille omnino standum est. Quodquidem pretium in pecunia solutum non fuit, sed in frumentis certo tempore tunc consignandis; quod frumentum consignatum fuisse non constat, minusque regius thesaurarius et procurator, legi qua deceptis ultra dimidiam iusti pretii subvenitur, renunciare poterat: cum Regia Curia ipsa ultra dictam iusti pretii dimidiam decepta extitisset, nec poterat preterea de illo pluri, quod feudum ipsum valebat, donationem facere inter vivos irrevocabilem, non habita expressa commissione et mandato Principis, ad quem tantummodo spectat huiusmodi donationes, relaxationes, concessionem et gratias facere. Et licet, in precalendato venditionis dicti feudi contractu, in viceregia executoria inserto, nomen et cognomen notarii qui illum celebravit non invenitur, nisi dies et annus celebrationis illius, tamen, quomocumque sit, ultra preallegata in vim pragmatice **POST BELLA** vocate, Vestra Catholica Maiestas eodem pretio mille florenorum feudum predictum recuperare omnino potest, illudque regio demanio restituere.

Feudum Sancti Laurentij

Feudum autem Sancti Laurentij eadem in valle et territorio Nothi positum, prefatus Rex Alfonsus quondam Ioanni de Liria suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, tunc iam natis et nascituris, in servitiorum suorum remunerationem, sub consueto militari servitio, eius cum regio privilegio concessit; in quo huiusmodi inter alia leguntur verba scilicet: Illud nostrum feudum Sancti Laurentij etc. ut eodem in privilegio, dato Cathanie XXIII^o Decembris II^o Inditionis 1438. de quo viceregia emanavit executoria in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 207 notato, continetur: per quodam verba, illud nostrum feudum etc., clarissime percipitur feudum ipsum in posse sacri Regii Demanii tunc fuisse.

Perquisitis itaque Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1438 usque ad annum 1479, de ipso Sancti Laurentij feudo nullus actus sive investitura aut privilegium inveniri potuit, nisi tantum quod feudum predictum in posse Anthonelli de Carusio Baronis Spaccafurni reperitur; de quo feudo Anthonellus antedictus pro se eiusque heredibus, iuxta formam privilegiorum suorum, a tunc Prorege XXVII^o Maii XII^o Inditionis 1479 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1478 in cartis 466 notatam, obtinuit.

Et nihilominus aliquis non apparet actus, quo videri possit, quo iure feudum ipsum Sancti Laurentij a prelibato Ioanne de Liria sive suis heredibus defecerit, et in ipsius Anthonelli de Carusio manus advenerit. Et ideo pro Regie Curie interesse cogatur Anthonellus prefatus ad verum et legitimum titulum edendum.

Et nihilominus prefatus Anthonellus de Carusio de dicto feudo sancti Laurentij, ob mortem domini regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna preside investituram obtinuit die XXI^o Ianuarii V^o Inditionis, notatam in libro anni 1516 f.^o 486, et iuravit reddere 07. XXXV

Est etiam attendendum, quod hoc in Sicilie ultra farum regno duo eiusdem sancti Laurencie nominis feuda reperiuntur, quorum presens per dictum Antonellum de Carusio ut supra exponitur, alterum vero per illos de Montaperto, de quo superius in capitulo feudi di la Gacta in cartis 47 diffusius verba protuli, possidetur.

Bucherni feudum

De feudo autem Bucherni, Regie Cancellarie registris diligenter recognitis ab anno 1453 prime Inditionis, quo tempore prenominatus Ioannes de Aragonia de illo investituram reportavit, usque ad presens, anno 1512 currente, nullum privilegium sive investituram aliumve actum, quibus ratio reddi possit in cuius manus pervenerit, inveniri potui. Et quia in nulla ex investituris, per successores dicti Ioannis de Aragonia baronis Abole ac per Anthonium de Carusio baronem Spaccafurni eiusque successores captis, nominatur feudum predictum di li Bucherni, evenire posset, quod illud inter membra et pertinen-
cias terre Abole vel Heraclie aut Spaccafurni detinuissent et occupassent; quod si ita esset, Regia Curia in iuribus suis nimis lesa fuisset, feudique ipsius possessores in penas a iure statutas penitus incurrissent, et ideo pro Curie cautela in cuius posse feudum predictum reperitur, omnino perquiratur.

Feudum Rachalginegi

Feudum Rachalginegi, in valle Nothi prope territoria terrarum et feudorum Calatagironi, Heraclie, Grassiliati et Cutumini positum, per quondam Anthonium de Fonte Cohoperto antiquitus possidebatur, quo tamen titulo nullus in Regia Cancellaria titulus apparet. Ipsoque Anthonio absque legitimis de suo corpore heredibus defuncto, feudum ipsum Regie Curie apertum et devolutum extitit. Illudque Serenissimus Rex Federicus quondam Mannelle uxori dicti Anthonij de Fonte Cohoperto, filie Raymundi de Montesereno, eiusque imperpetuum heredibus suo de corpore legitime descendentibus, iure Francorum sub consueto militari servitio regie Curie iuribus et alterius semper salvis; ac cum reservatione minerum, salinarum, solaciorum, forestarum et defensarum antiquarum, ac iactus baliste a mari infra

terram, concessit; sicuti in ipsius regio privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1364 in cartis 4 notato, continetur.

A quo anno 1364 usque ad hodie, anno 1512 currente, perquisitis Regie Cancellarie Codicibus, nullus inventus est de dicto feudo actus nec privilegium sive investitura. Nihilominus in presentiarum feudum ipsum Rachalginegi per abbatem monachos et monasterium Sancti Placiti de Caloniro possideri asseritur. Et sic inconueniens non videtur illos ad titulum eorum possessionis edendum esse compellendos. Quod Rachalginegi feudum anno quolibet reddit uncias.....

Feudum Draffu

Feudum Draffu nuncupatum, in valle Nothi existens, de membris et pertinenciis Comitatus Calatanixecte antiquitus fuisse asseritur. Quod tandem in Ioannis de Branchifortibus et Eumilie iugalium, Comitis et comitisse Mazareni, posse devenit; quibus quo iure feudum ipsum pervenerit nullus in Regia Cancellaria titulus apparet. Exinde vero prefati Ioannes et Eumilia iugales, comes et comitissa, feudum ipsum Draffu, licencia viceregia mediante, Petro et Henrico de Grimaldis fratribus, precio unciarum octingentarum publico cum vendicionis instrumento, Panhormi XIII^o Septembris XIII^o Inditionis 1510 manu notarii Mathei de Fallera acto, vendiderunt. Qui Petrus et Henricus de Grimaldis pro eis eorumque filiis et heredibus iuxta formam privilegii dicti feudi a don Ugone de Montecatheno, in presentiarum regni eiusdem prorege, VIII^o Februarii XV^o inditionis 1511, investituram, in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 318 notatam, obtinuit.

Hodie autem, anno antedicto 1512 currente, feudum Draffu memoratum per eosdem Petrum et Henricum de Grimaldis possidetur, et reddit anno quolibet 07. L.

Et pro eiusdem unciis quinquaginta ius officialibus regiis persolvit. Et sic, ad veritatem detegendam, prefati Comes et Comitissa cogi deberent ad edendum, quo iure feudum prelibatum ad eius manus devenerat, ac si de illo ipsi sui que progenitores se investierunt. Ceperunt etiam a don Ioanne de Luna presidente investituram ob mortem Catholici domini Ferdinandi regis et successoris domini nostri

Regis Caroli et Regine, die XXIII^o Novembris V^e Inditionis 1516, notatam in libro dicti anni f.^o 232, et iuraverunt etiam reddere tantumdem.

Feudum Melelaum alias la Favara

Feudum vocatum Melelaum alias la Favara, in valle Nothi et territorio terre Minei positum, cum quadam terre pecia et saltu aque per eam defluentis, ac molendino in eadem terre pecia constructo, per Serenissimum Regem Ludovicum quondam Vincentio de Bonagracia Messanensi, suisque imperpetuum heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub militari servicio unius balistarii, concessum fuit et donatum; quemadmodum in ipsius regis privilegio dato Messane, XVII^o Maij III^e Inditionis 1341, continetur.

Quoquidem Vincentio de Bonagracia deficiente, sibi in dicto feudo successit Aloysius (1) Lodovicus de Bonagracia eius filius. Qui tandem de feudo eodem simul cum dictis iuribus et molendino quondam Antonello Cirino Messanensi, filio Bergi de Cirino, et Margarite iugalium sororis et utroque parente ipsius Lodovici de Bonagracia, sub dicto militari servicio, puplico donationis instrumento manu notarii Petri de Simone Messanensis XIII^o Novembris XI^e Inditionis 1372 celebrato mediante, donacionem fecit inter vivos irrevocabilem. Quam Serenissimus Rex Federicus, eiusdem regis Ludovici frater, prefato Antonello Cirino suisque in perpetuum heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub dicto militari servicio unius balistarii, quatenus donacio ipsa iuste rite ac de iure processit, eius cum regio privilegio dato Messane XI^o Ianuarii XI^e Inditionis 1373, et in Regie Cancellarie libro anni 1371 in cartis 38 notato, acceptavit et confirmavit ac de novo concessit.

Ipsoque Antonello Cirino in minori etate absque sobole defuncto, feudum ipsum Melélay eisdem cum iuribus Regie Curie devolutum exitit, illudque cum eisdem pecia terre, saltu aque, domo et molendino ut supra, idem Rex Federicus prenominato Bergo de Cirino marito prefate Margarite ipsiusque Anthonelli patri, ipsiusque Bergi heredibus suo de corpore legitime descendentibus, iure Francorum

(1) Questo prenome leggesi in margine scritto in carattere moderno.

sub dicto militari servicio unius balistarii, concessit; sicuti in eius Regio privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1374 in cartis 6 notato, late patet.

Et sic apparet feudum ipsum ab illis de Bonagracia defecisse et ad dictum Bergum de Cirino ut supra devenisse. Sed perquisitis per me Regie Cancellarie libris a dicto tempore, quo prefatus Rex Federicus regnabat, usque ad presens, anno 1512 currente, per quod tempus anni fere centum quadraginta connumerantur; nulla de eodem Melelay feudo reperta est investitura in personam heredum sive successorum prelibati Bergi de Cirino concessa. Verum in anno 1453, quo tempore Serenissimus Rex Alfonsus vestri regii Culinis patruus regnabat, quedam de feudi eodem Melelay alias la Favara emanavit investiture nota per don Lupum Ximenem Durrea, tunc in regno proregem, quondam Blasco de Alagona concessa, unde si feudum ipsum Melelay alias la Favara est illud feudum, quod ab illis de Cirino ut supra possidebatur, in genelogia et successione huiusmodi maximus videtur fuisse commissus error. Tandem prefatus Blascus de Alagona, asserens dictum feudum Melelay alias la Favara per quondam Gratiam de Filingerio eius actavam antiquitus fuisse possessum, dictamque Graciam in ultimis quibus decessit, eius cum testamento manu notarij Petri de Aquila Catanensis, X^o Aprilis prime Inditionis 1453 celebrato, feudum ipsum Ysolde eius filie dimisisse, hac tam lege et condicione, quod si ipsa Ysolda sine heredibus decederet, feudum autedictum ad Margaritam aliam filiam suam deveniret. Quam Margaritam, si sine liberis legitimis mori contigisset, feudum prenotatum Melelay alias la Favara ad Manfredum de Alagona eiusdem Gracie nepotem perveniret. Ipsaque tandem Gratia testatrice ac prenominata Ysolda illius filia primogenita in etate pupillare decedentibus, feudum sepedictum ad prelibatam Margaritam eiusdem Gracie filiam secundo genitam devenisse, illudque Margaritam ipsam dum vixit tenuisse et possedisse.

Eademque Margarita absque filiis mortua, feudum ipsum vigore supradicte testamentarie dispositionis in posse predicti Manfredi de Alagona pervenisse; ac de ipso Melelay feudo alias la Favara dictum Manfredum de Alagona, ipsi Blasco de Alagona eius filio secundogenito, puplico donacionis instrumento, ut asseritur, mediante, Panhormi III^o Aprilis prime Inditionis 1453 manu notarij Nicholay de Apreha celebrato, donacionem fecisse.

Blascus ipse pro se eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus, iure Francorum sub consueto militari servicio ana, scilicet, unciarum XXⁱ proquolibet equo armato secundum annuos red-

ditus dicti feudi, a dicto quondam Don Lupo Ximene Durrea vicerege, iurato prius in ipsius proregis manibus nullum sibi pervenisse de dicto feudo privilegium sive aliam scripturam, regni Constitutionibus ac Regie Curie et alterius iuribus semper salvis, XXV^o Iulij prime Inditionis eiusdem anni 1453, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 287 notatam, reportavit.

Unde siquidem non est modice mirandum : nam cuncta antiqua privilegia dicti feudi, tam videlicet in personam Vincentii et Ludovici de Bonagratia, quam exinde in personam Anthonij de Cirino filii Margarite, sororis prefati Vincentii et uxoris Bergi de Cirino, emanata in eorum propria forma, in libris Regie Cancellarie notata iam reperiuntur. Et sic, cum per dictum Blascum de Alagona expositum fuerit, prefatam Gratiam de Filingerio eius actavam feudum prenarratum antiquitus possidisse, lineam sive genelogiam unde Blascus ipse descendit declarando, considerato quod in eodem tempore, quo dicti reges Ludovicus et Federicus regnabant, prefata Gracia iam vivebat, in huiusmodi successione errorem sive fraudem processisse videtur. Nam non apparet quomodo illi de Cirino feudum antedictum amiserint, minusque reperitur aliquam regiam dicti feudi concessionem in personam predictae Gracie, a qua Blascus de Alagona memoratus dependet, fuisse factam. Et propterea, actento quod tunc temporis demanialia occupari et ita occupata et usurpata detineri solebant, quodque ob temporis diuturnitatem, constituto tantum de possessione, de feudis facile investiture concedebantur; oportet omnino pro Curie cautela videri titulus, quo iure feudum predictum Melelay alias la Favara in posse dicte Gracie de Filingerio devenerit, a qua Gracia eundem Blascum dependere, ut supra asseritur. Mortuo tandem prelibato Blasco de Alagona, feudum Melelay precontenctum alias la Favara pervenit in posse Belledamme, asserite filie prefati Blasci de Alagona et uxoris quondam Nicolai Melchioris de Branchifortibus comitis Mazareni; que Belladamma non apparet de dicto feudo ob mortem eiusdem quondam Blasci eius patris investituram habuisse, verum in Regie Cancellarie libro anni 1479, in cartis 343, quedam demonstratur investiture nota per dictum quondam Nicholaum Melchiorem de Branchifortibus, tanquam maritum et legitimum administratorem ipsius Belledamme eius uxoris, de dicto feudo pro se et suis heredibus iure Francorum, ob Serenissimi quondam Regis Ioannis vestre regie Maiestatis patris mortem, obtenta. Tamen non invenitur investitura aliqua per eundem Nicolaum de Branchifortibus, seu dictam Belladammam eius uxorem ob mortem prefati Blasci de Alagona patris dicte Belledamme capta, ut eius vera et legitima successio videatur.

In presentiarum autem, anno 1512 currente, feudum ipsum Melelay alias la Favara per dictam Belladamman possidetur et anno quolibet reddit : 07. C.

Et noviter dicta Belladamma, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna preside cepit investituram de dicto feudo Melelay alias la Favara die XXI° Januarij V° Inditionis, notatam in libro anni 1516 f.° 406, et iuravit reddere tantumdem.

Feuda

Meliinventri, la Cuba, Sparacogna.

Feuda Meliinventri et la Cuba ac Sparacogna vulgo nuncupata, in valle Nothi et territorio Certurbi existentia, modo infrascripto antiquitus possidebantur, videlicet, feudum Meliinventri de membris feudi Centorbij per quondam Matheum de Sclafano, tunc Adernionis comitem et terre Chimine baronem, de quo titulus in Regia Cancellaria aliquis non apparet. Tandem prelibatus Matheus comes feudum Meliinventri antedictum quondam Disiate de Bentisano, tunc Gerardi Bonzuli consorti, nomine et pro parte Berardi infantis ipsorum iugalium filii, suisque imperpetuum heredibus, precio unciarum sexcentarum vendidit cum hoc scilicet: quod si dictum Berardum liberis legitimis et naturalibus ex eo descendantibus minime derelictis mori contingeret, eodem in feudo Honofrius ipsius Berardi frater sibi succederet; nec non quod si prelibatus Honofrius Bonzuli sine legitimis heredibus decederet, ipso in feudo ei succederet Goffrida mulier comunis soror predictorum Berardi et Honofrii. Preterea, quod si eosdem fratres et sororem sub eadem condicione mori eveniret, ipsa Desiata eorum mater et ipsius feudi emprix ut supra, in predicto feudo sola et in solidum illis succederet, non comunicando feudum ipsum cum prefato eius marito seu aliqua alia persona: immo feudum ipsum illiusque redditus et proventus tanquam parafrenalia bona teneret et possideret, de eodem ad sui libitum voluntatis faciendo, sicuti quodam in publico vendicionis feudi eiusdem instrumento, penes acta Baronis de Bayro totius regni publici notarii, III° Decembris V° Inditionis 1351 celebrato, hec et alia diffusius continentur.

Ipsamque feudi predicti Meliinventri venditionem, mortuo dicto comite Matheo venditore, Serenissimus Rex Federicus tunc in minori etate

constitutus, de serenissime Infantisse Euphenie illius sororis, tunc in regno generalis Vicarie, consensu, prenomiuato Berardo Bonzuli, eiusque imperpetuum heredibus sub consueto militari servicio iuxta regni Constitutiones ac iusta formam dicti vendicionis instrumenti, acceptavit et confirmavit hac cum clausula tamen scilicet, quatenus ipsa vendicio iuste rite et rationabiliter facta est etc; nec non cum salinarum, minerarum, forestarum et defensarum antiquarum, ac jactus baliste a mari infra terram, iuriumque regie Curie et alterius reservacione, quemadmodum in ipsius Regis Federici privilegio, dato Cephaludi V° Februarii XII° Inditionis 1358, serius exponitur.

Cumque exinde idem Rex Federicus ad perfectam devenisset etatem, ad ipsius Berardi cautelam rex ipse vendicionem prelibatam eidem Berardo suisque imperpetuum heredibus iterum acceptavit et confirmavit, ac de novo feudum ipsum, non obstante quod feudum antedictum Melinventri sit membrum feudi, et feudorum divisio et ipsorum membrorum alienacio expresse prohibeatur, concessit. Et similiter illis concessit omnia iura, actiones et rationes utiles, directas, tacitas et expressas eius Regie Curie sive fisco forte competentes et competituras cunctis regni statutis et ordinacionibus in contrarium disponentibus, de eius regie potestatis plenitudine dispensando, ut in alio dicti Regis privilegio, dato Cathanie XVIII° Maij II° Inditionis 1364, late patet.

Mortuo tandem inde ad tempora prefato Berardo Bonzuli, sibi in dicto Melinventri feudo successit Desiata mulier eius filia, tunc Ioannis Schivano de Leontino uxor. Tamen, cum feudum ipsum tunc temporis per Thomeum Bonzuli possideretur, Desiata antedicta tanquam heres et legitima filia prefati Berardi coram magna Regia Curia super dicti feudi petitione contra prelibatum Thomeum litem intemptavit. Et interea Serenissimi Reges Martinus et Maria prefate Desiate, suisque imperpetuum heredibus iure Francorum, de dicto feudo confirmationem et investituram cum inserto tenore omnium predictorum privilegiorum et instrumenti vendicionis precontencte, regijs regalijs iuribusque alijs Regie Curie et personarum particularium ac consueto militari servicio semper salvis, concesserunt; prout in ipsorum Regum Martini et Marie privilegio, dato Catanie XVIII° Februarii XV° Inditionis 1406 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 219 notato, diffusius exprimitur. In anno autem 1453, regnante Serenissimo Rege Alfonso, feudum predictum in Honofrii Bonzuli posse devenit, quo tamen iure nullus in Regia Cancellaria titulus apparet. Qui Honofrius sub involucro a quondam Simoni Archiepiscopo Panormitano, in regno tunc preside, de ipso Melinventri feudo pro se

suisque heredibus iure Francorum investituram obtinuit, iurando nullum de feudo eodem ad eius manus privilegium devenisse; sicuti in ipsa investitura data Panhormi II^o Septembris II^o Inditionis 1453, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 585 notata, exponitur.

Et nihilominus falsa informatio, per ipsum Honofrium dicto presidenti facta, facillime comprehenditur cum omnia privilegia superius enarrata in archivio Regie Cancellarie per extensum denotata reperiantur. Qua propter evenire potuisset eundem Honofrium a dicto Berardo vel a Desiata eius filia, uxore Ioannis de Schivano, non descendisse; nam cum rectam lineam eiusque legitimam successionem sue in captione investiture non expressisset, est tenendum, quod nec rite nec legitime feudum ipsum possidebat: ob quod, eum in Regia Cancellaria contractus et privilegia antedicta formam strictissimam iure Francorum denotantia semel appareant, est videndum, an prefatus Honofrius Bonzuli a stirpe prelibati Berardi primi acquiritoris descendat; nec non quomodo feudum sepedictum a prefata Desiata eiusdem Berardi filia, que est de cognomine de Schivano et non de Bonzuli, in cuius personam dictum privilegium Regum Martini et Marie celebratum extitit, deviaverit. Et ideo pro Curie cautela cogatur possidens ad edendum quomodo a recta linea et legitima descendencia prenominati Berardi de Bonzuli procedat.

Sparacogna et Cuba feuda

Quo vero ad feuda Cube et Sparacogne, dico, quod nullum de eis ipsa in Cancellaria privilegium demonstratur. Verum in dicto anno 1453 prefatus Honofrius Bonzuli pro se eiusque heredibus iure Francorum de feudis eisdem investituram reportavit; que feuda comuniter pro indiviso cum Novella relicta quondam Gulielmi de Perno legum doctoris tenere et possidere asseruit, et iurandum in posse tunc pro regis prestans, quod nullum de feudo eodem privilegium suas ad manus devenerat, de illis II^o Septembris II^o Inditionis eiusdem anni 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro prime inditionis in cartis 584 notatam, reportavit.

Uterius etiam perquirendo, inveni dictam Novellam de Perno in tunc viceregis manibus pro medietate feudorum predictorum,

scilicet Melinvetri et la Cuba, fidelitatis iuramentum prestitisse; sicuti in quadam nota in iuramentorum libro Cancellarie in cartis 58 descripta continetur. Unde due denotantur contradictiones, scilicet, feudum Melinvetri in posse dicte Novelle extitisse; et ex adverso de illo dictum Honofrium Bonzuli investituram consequutum fuisse, minusque comprehendere valeo a quo predicta Novella descendat.

Tandem, quicquid sit, feuda ipsa Melinvetri et la Cuba in posse Rogerii de Perno filii ut percepi prefate Novelle devenerunt, a quonullam apparet ob suorum parentum mortem investituram captam fuisse, nisi ob mortem Serenissimi Regis Ioannis et felicissimam Vestre C. Maiestatis successionem.

Ipsoque Rogerio de Perno defuncto, sibi in dictis feudis Melinvetri et la Cuba, sive illorum medietate pro indiviso, successit Gulielmus de Perno eius filius, qui pro se eiusque heredibus iure Francorum de illorum medietate pro indiviso a tunc regni prorege III^o Iunii VIII^o Inditionis 1490 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1489 in cartis 644 notatam, reportavit.

Mortuo postmodum eodem Gulielmo de Perno, sibi in dicta feudorum ipsorum Melinvetri et la Cuba medietate successit Ioannes Benedictus de Perno eius frater, filius secundogenitus dicti quondam Rogerii, qui a tunc prorege de ipsa feudorum medietate pro indiviso V^o Octobris V^o Inditionis 1501 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 79 notatam, habuit et recepit. Qui Ioannes Benedictus de Perno, cum feuda ipsa Melinvetri et la Cuba seu illorum medietatem teneret et possideret, Ioannellaque de Paternione et Angelus Franciscus de Paternione, mater et filius, super illis ius habere pretenderent, tandem utraque pars ad concordiam devenere, et licencia viceregia mediante feuda ipsa sibi diviserunt, scilicet, quod dictum feudum Melinvetri prefato Ioanni Benedicto de Perno remansit, feudum vero la Cuba prefate Ioannelle et Angelo Franciscus de Paternione cessit; quemadmodum in quadam viceregia huiusmodi divisionis provisione, data Panhormi XVIII^o Decembris X^o Inditionis 1506, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 363 notata, late patet.

Quo quidem Ioanne Benedicto de Perno decedente, sibi in dicto feudorum Cube et Melinvetri medietate pro indiviso successit Ludovicus de Perno eius filius, qui non apparet de dicta feudorum medietate aliquam cepisse investituram.

Ettandem Ludovico antedicto absque filiis deficiente, sibi in dicto Melinvetri feudo successit Franciscus de Perno eius frater, filius secundogenitus prefati Ioannis Benedicti, in presentiarum in minori etate consistens, qui pro se suisque heredibus iure Francorum a Don-

Ugone de Montecateno, in presentiarum prorege, de feudo ipso Melinventri investituram datam Panhormi III° Aprilis 1511, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 496 notatam, obtinuit.

In presentiarum autem, anno 1512 currente, dictum Melinventri feudum per dictum Franciscum de Perno possidetur et reddit anno quolibet 07. . .

Feudum vero la Cuba per prefatam Ioannellam ac Angelum Franciscum de Perno, matrem et filium, detinetur et reddit annis singulis 07 LV.

De dicto vero feudo Melinventri dictus Franciscus de Perno, ob mortem Domini Regis Ferdinandi, a Don Ioanne de Luna preside cepit investituram die XVIII° Ianuari V° Inditionis, notata in libro anni 1516 f.° 453. Et Franciscus de Parisio eius procurator iuravit reddere dictum Melinventri feudum , 07. LV.

Sparacogna feudum

Quo vero ad feudum de Sparacogna, dico, quod perquisitis Regie Cancellarie Codicibus a dicto anno 1453, quo anno de feudo predicto la Sparacogna Honofrius Bonzuli investituram reportavit, usque ad presens dicto anno 1512 currente, per quod temporis spatium anni fere quinquaginta octo connumerantur, nullum de feudo eodem privilegium sive investituram inveni, et ideo nullam dare valeo rationem, in cuius posse feudum ipsum ad presens reperiatur.

Quondam Petrus de Paternione, tamquam maritus et legitimus administrator Ioannelle eius uxoris, cepit de dictis feudo Sparacogna et medietate Cube, a vicerege qui tunc erat, die XII° Novembris XIII° Inditionis 1479, que non apparet in Cancellaria quantumcumque in illa sit posita manus quondam Andree la Via notarii dicti officii. Et exinde dicta Ioannella cepit, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a Don Ioanne de Luna preside investituram die XVIII° Ianuarii V° Inditionis, notatam in libro 1516 f.° 388. Et iuravit reddere la Sparacogna 07 LXV
et medietas feudi Cube reddere : 07 LV

Dictaque Ioannella de Paternione de dicto feudo la Sparacogna et medietate feudi de la Cuba fecit donationem Angelo Francisco de

Paternione eius filio, virtute contractus acti manu notarii Vincentii Spampinato die XIII^o Maij V^o Inditionis 1517, qui cepit investituram a comite de Monteleone locumtenente generali die XVIII^o Maij V^o Inditionis predictae, notatam in libro anni 1516 f.^o 599.

Et iuravit reddere tantundem, et in presentiarum per dictum Angelum Franciscum possidentur.

Feudum li Poyura di Paterno

Feudum vulgo li Poyura de Paterno nuncupatum, in Paternionis territorio situm et positum, per quondam Andream de Castellis Cathaniensem antiquitus possidebatur, quo tamen titulo illius devenerat ad manus nullam dare valeo rationem. Perquisitis enim per me Regie Cancellarie Codicibus nullum privilegium aliamvè scripturam invenire potui per quam percipi potuisset, quo iure ac sub qua forma ad eundem Andream de Castellis concessum extiterit; quapropter possidens feudum ipsum ad edendum titulum eiusdem Andree esset omnino compellendus, ut huiusmodi concessionis forma pro Curie cautela videatur. Nihilominus prefato Andrea de Castellis defuncto, sibi eodem in feudo di li Poyura successit quedam Pina eius filia et tunc quondam Federici de Crispo uxor, qui iugales per longa temporum curricula feudum ipsum tenuerunt et possiderunt. Post quorum Federici et Pine iugalium obitum, illis predicto in feudo successit Andreas de Crispo eorum filius legitimus et naturalis, ac maior natu. Ipsoque Andrea de Crispo absque filiis decedente, sibi ipso in feudo di li Poyura successit Ioannes de Crispo eius frater, filius secundogenitus legitimus et naturalis prenominatorum Federici et Pine de Crispo iugalium; qui Ioannes Crispus coram don Lupo Ximene Durrea tunc in regno prorege comparens, ac penes eum iuramento affirmans nullum suas ad manus de ipso feudo devenisse privilegium, sed constituto tantum per eum de eius legitima parentum successione, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus sub consueto militari servitio iuribus Curie semper salvis, ab ipso prorege ultimo Februarij X^o Inditionis 1446. feudi antedicti di li Poyura investituram, in Regie Cancellarie anni 1447 libro in cartis 486 notatam, obtinuit.

Et nihilominus attendendum est, quod dicta investitura iuxta formam Capituli regni per Serenissimum Regem Alfonsum, quando feudatarii privilegia non habere aiebant, novissime celebrati ius Francorum comprehendere debet.

Miror propterea quare eadem in investitura nulla de dicto iure Francorum mentio facta fuerit, tamen quicquid sit ita comprehendendum est.

Feudum Limbaccari

Feudum Limbaccari materna lingua nuncupatum, in valle Nothi et territorio Placie ac secus territoria Calatagironi, Munjalini, Gallinici et Gattae, per quondam Federicum de Cardona antiquitus possidebatur, quo tamen iure nullus in Regia Cancellaria titulus demonstratur.

Qui Federicus, cum in Regiam Coronam rebellionem perpetrasset et ob ipsius rebellionis crimen feudum predictum Regie Curie apertum extitisset et devolutum, feudum ipsum amisit. Et Serenissimus Rex Martinus medietatem feudi eiusdem pro indiviso; cum omnibus suis iuribus, rationibus, proprietatibus, venationibus, piscationibus, aquis, aqueductibus, aquarum decursibus, molendinis molendinorum saltibus, pascuis, pratis, terragiis, territoriis, limitibus, tenimentis et pertinentiis universis, sub debito et consueto militari servitio Bernardo de Villardita de terra Platie, suisque in perpetuum heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, dedit atque concessit; prius tamen per eundem Bernardum in manibus Regie Curie sponte renuntiatis omnibus et singulis iuribus, sibi ex gratia seu gratiis, ei vel progenitoribus suis, per ipsum Regem seu eius progenitores super iuribus tractarum seu exiturarum portuum et maritimarum huius Sicilie regni concessis forsitan competentibus, cum clausula scilicet: verum quia dictus Bernardus caret liberis, volumus, quod in dicta medietate dicti feudi, casu quo eum sine liberis mori contingat, succedant eius frater et soror et filii legitimi eorundem, quibus in eo casu medietatem dicti feudi, pro indiviso sub prefato militari servitio, damus, concedimus et donamus etc.; cum reservatione minerarum, salinarum, solatorum, forestarum et defensarum antiquarum, ac iactus baliste etc., Constitutionibus et Capitulis Regni iuribusque Regie Curie

et alterius semper salvis; sicuti quodam in ipsius Regis Martini privilegio, dato Catanie XX^o Ianuarii VI^o Inditionis 1397 et in Regie Cancellarie libro anni 1398 VI^o Inditionis in cartis 125 notato, hec et alia serius exponuntur.

Ipsoque Bernardo de Villardita defuncto, dicta feudi di Limbaccari medietas pro indiviso in posse Barbare illius uxoris devenit, qua sine liberis obeunte, ipsa feudi medietas Regie Curie iterum devoluta fuit. Serenissimusque Infans Ioannes Serenissimi Regis Alfonsi frater et in regno vicerex eandem Ioanni de Calatagironi Militi panhormite suisque imperpetuum heredibus et successoribus dedit et concessit, sub eodem tamen onere et debito militari servitio, sub quibus eiusdem feudi Barones prorata eiusdem feudi medietatis Regie Curie tenebantur, in suorum servitorum satisfactionem ac cuiusdam debiti unciarum centum eidem Ioanni per Regiam Curiam debitarum videlicet: uncie octuaginta septem illi debite in vin nonnullarum patentium literarum regionum legatorum tunc in regno regentium, pro quibus unciis LXXVII ab ipsis legatis eidem Ioanni de Calatagirono assignatio unciarum novem et tarenorum decem et septem annualium per eundem Ioannem eiusque heredes recipiendarum super cabella Gisie terre Sacce, nulla de debito deductione fienda, concessa extitit, quousque per eandem Curiam de dicto debito integritate satisfaceret: quemadmodum in eisdem patentibus literis, datis Catanie XI^o Septembris VII^o Inditionis 1413, contineri asseritur. Et uncie tresdecim ad complementum dictarum unciarum centum, pro quibus dictam feudi medietatem valere consideratum fuit et pro eisdem extimata extitit, hac tamen cum clausula, scilicet, resignatisque per eundem iisdem patentibus literis debiti supradicti in magna Curia rationum quas ad cautelam dicte Curie fecimus lacerari; renunciatis propterea prius per eum omnibus iuribus, rationibus, petitionibus et causis, quas et que idem Ioannes pro huiusmodi debito supradicta cabella et Curie fisco habebat et habere sperabat etc.; ac cum alia clausula scilicet: Et nihilominus si forte persona aliqua ecclesiastica seu secularis aut cuiusvis gradus et condicionis existat in dicta medietate feudi pretenderet ius habere, adeoque idem Ioannes sui que heredes et successores ab eiusdem possessione rationabiliter spoliaretur, regia auctoritate qua fungimur dictam Regiam Curiam volumus eisdem aut eorum alicui de evictione teneri, nec de eius possessione idem Ioannes sui que heredes et successores aliquatenus auferantur, donec eis aut eorum cuilibet per Curiam de dicto debito unciarum centum integraliter satisfiat aut de equivalenti provideantur excambio, nec in eo casu Idem Ioannes sui que heredes conveniri per quemvis in iudicio re-

spondere teneantur, loco cuius Curia Regia et fisci procurator responsuri debeant comparere. Et si forte infra annum unum, a die date presentium numerando, aliquis emptor eidem Curie pro dicta medietate feudi ultra uncias centum predictas maius precium obtulerit, illud plus additum dictus Ioannes sui que heredes eidem Curie solvere teneantur; aut, recepto credito suo unciarum centum, plus offerenti dictam medietatem feudi effectualiter concedatur. Nos enim de certa nostra scientia, cum matura deliberatione totius nostri Consilii, eidem Ioanni heredibus et successoribus suis per Serenissimum Dominum Regem, Dominum et Genitorem nostrum, heredes et successores suos, et per nos, donec in hoc regno morabimur, hanc presentem nostram concessionem et debiti satisfactionem modo ut supra promissimus et promittimus inviolabiliter observari, Capitulis Serenissimi Domini Regis Iacobi, olim Aragonum et Sicilie Regis, in eodem regno editis, aliorumque Serenissimorum Regum, nec non et Curie Regie iuribus semper salvis etc.; prout in ipsius Infantis Ioannis privilegio dato Cathanie XIII^o Octobris VIII^o Inditionis 1415, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 165 notato late patet. In quo expressa fit mentio reliquam dicti feudi de li Imbaccari medietatem per Ioannem de Landolina, habitatorem terre Calatagironi, fuisse possessam.

Postmodum autem prenominatus Ioannes de Calatagirono, coram Serenissimo Rege Alfonso Vestre C. Maiestatis patruo comparens, ab eodem de dicto privilegio Infantis Ioannis confirmationem reportavit, cum clausula: si et prout eodem hucusque melius et plenius usus fuistis etc., Constitutionibus et Capitulis Serenissimi Regis Iacobi aliorumque Regum ac Regie Curie et alterius iuribus semper salvis; nec non sub militaris servicii onere, mandans Regni viceregibus ac aliis officialibus, quod dictam teneant et observent confirmationem et contra illam non veniant; sicut in dicte confirmationis privilegio dato Barchinone, XVIII Aprilis 1419, late patet.

Cumque exinde prefatus Ioannes de Calatagirono per quemdam Iacobum Caldele captus fuisset et in castro terre Carpinionis Regni Neapolis in captivum detentus esset, ut ab ipsa tunc liberaretur captivitate, suam eiusdem feudi medietatem vendere proposuit; unde obtenta licentia a Serenissimo Infante Petro data in Castronovo Neapolis XVIII^o Ianuarii 1424, provisione mediante, Ioannes ipse eandem feudi medietatem ad sue redemptionis opus per Landum de Amodeo eius procuratorem Galterio de Paternione legum doctori tunc Magne Regie Curie iudici, eiusque imperpetuum heredibus et successoribus quibuscumque, sub eodem onere et debito militari servitio sub quo Ioannes ipse illud tenebat et possidebat, pro dicta

feudi medietate libera et exempta ab onere solucionis decime Regie Curie pertinentis, precio unciarum viginti vendidit, seu vendi fecit; quas uncias viginti idem Landus procuratorio nomine antedicto presentialiter et manualiter numerando habuit et recepit, ut illas dicti Ioannis creditoribus, qui easdem pro redemptione previa bistraxerant, restitueret; sicuti in ipsius venditionis contractu celebrato Panhormi per notarium Philippum de Miglacio XVIII^o Augusti II^o Inditionis 1424 exponitur. Qui Infans Petrus exinde eidem Galterio de Paternione relaxationem decime et tarenii dicte Regie Curie spectantis concessit, prout in ipsius Infantis Petri provisione cum inserto tenore licencie eiusmodi vendicionis, data Panhormi V^o Decembris III^o Indicionis late patet.

Preterea idem Galterius de Paternione a Nicolao de Speciali tunc in regno Prorege, pro se et suis imperpetuum heredibus et successoribus de predicta feudi li Imbaccari vendicione, sub debito et consueto militari servicio, confirmationem et investituram reportavit, cum clausula, scilicet: si et prout dictus Ioannes de Calatagirono prefatam feudi medietatem melius et plenius tenuit et possedit etc., Constitutionibus et Capitulis Regni iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis; quemadmodum in eiusdem Viceregis privilegio dato Cathanie XX^o Iunii III^o Inditionis 1425 et in Regie Cancellarie libro anni 1424 in cartis 383 notato, serius exaratur.

Ipsaque Galterio de Paternione defuncto, eius ultimi testamenti vigore Cathanie celebrati manu notarii Nicholay de Francavilla VIII^o Decembris X^o Inditionis 1431, illi in dicta feudi di li Imbaccari medietate successit Franciscus de Paternione, eius filius legitimus et naturalis ac universalis heres, et Helisabeth, iugales, qui Franciscus pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, iure Francorum, sub consueto militari servitio et cum reservacione mineriarum, salinarum, solaciorum, forestarum et defensarum antiquarum, ac Regni Constitutionum et Capitulorum, iuriumque Regie Curie et alterius, a Serenissimo Rege Alfonso de ipsa feudi medietate confirmationem et investituram, cum inserto tenore omnium privilegiorum ante notatorum, iuxta formam antedicti privilegii dati Panhormi XVI^o Decembris XII^o Inditionis 1433 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 29 notato, obtinuit.

Deinde autem medietas dicti feudi Limbaccari prelibata ad Therium de Paternione pervenit, qui cum ob mortem progenitorum suorum de ipsa feudi medietate non se investiverit, ratio dari non potest quo iure sibi cesserit, aut si ex prenominato Galterio de Paternione descenderit. Tamen, quodcumque sit, dictus Therius pro se suisque

heredibus et successoribus iure Francorum, ob mortem Serenissimi Regis Ioannis Vestre C. Maiestatis genitoris, de ipsamet feudi medietate XVIII^o Octobris XIII^e Inditionis 1479 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 49 notatam, obtinuit. Postmodum autem ex conventionione inter prefatum Therium de Paternione et Franciscum de Paternione eius filium, puplico mediante contractu manu notarii Gulielmi de Sancta Cruce XXI^o Octobris III^e Inditionis 1500 celebrato, facta, ipsa feudi de Imbaccari medietas ad dictum Franciscum de Paternione pervenit. Qui de ipsa feudi medietate pro se suisque heredibus et successoribus iure Francorum a Ioanne de Lanuça tunc Regni Prorege III^o Augusti III^e Inditionis 1500 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 319 notatam, reportavit.

Demum autem facta per prefatum Franciscum de Paternione de ipsa feudi medietate donatione Blandinello de Paternione, eius filio unico legitimo et naturali, puplico mediante contractu manu quondam notarii Pauli de Consentino XV^o Decembris XV^e Inditionis 1511 celebrato; Blandinellus ipse de eadem Limbaccari feudi medietate a don Ugone de Montecateno Regni moderno Prorege, pro se suisque heredibus et imperpetuum successoribus, iure Francorum, XXVI^o Februarii XV^e Inditionis 1512 investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni 1511 in cartis 441 notatam nactus fuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudi ipsius Limbaccari medietas antedicta per prefatum Blandinellum de Paternione possidetur, quod anno quolibet reddit uncias 07 L.

Viso postmodum Rollo antiquo feudorum Regni, patet, quod in dicto feudo Limbaccari sunt aliqua molendina, quorum unum habet ortum, et solita sunt et erant solvi decimam et quoddam ius census Regie Curie.

Et ultra dictus Blandinellus de Paternione cepit de dicto feudo investituram ob mortem Domini Regis Ferdinandi a don Ioanne de Luna Presidente, die VIII^o Novembris V^e Inditionis 1516, notatam in libro Cancellarie dicti anni f^o. 226, et iuravit reddere tantumdem.

Exinde vero dictus Blandinellus de Paternione de dicta medietate feudi di li Imbaccari donacionem fecit irrevocabiliter inter vivos Ioanni Baptiste de Paternione, eius filio primogenito legitimo et naturali, virtute contractus facti manu notarii Nicholai de Angelica III^o Maij VIII^e Inditionis 1521, cepitque investituram die XVIII^o Februarii, X^e Inditionis 1522, notatam in libro dicti anni f^o. 404; et iuravit reddere uncias centum 07 C.

Alia feudi Limbaccari medietas

Reliqua vero feudi Limbaccari medietas per quondam Barbaram mulierem de Villardita, de qua in Cancellaria titulus non reperitur, antiquitus possidebatur; post cuius Barbare sine filiis obeuntis obitum, cum feudum ipsum ad manus Regie Curie vacasset, Serenissimus Rex Ferdinandus eandem feudi medietatem quondam Stephano Blundo, primo nothario et scriptori, eius intuitu servitorum, sua cum Regia provisione, data Valentie VI^o Marcij 1415, concessit. Tandem Serenissimus Infans Ioannes Vestre C. Maiestatis genitor, tunc Regni generalis Vicarius, nulla habita advertencia ad predictam Regiam provisionem, quondam Ioanni de Calatagirono militi Panhormite eandem feudi Limbaccari medietatem in solutum cuiusdam debiti unciarum centum, quas certis ex causis a Regia Curia recipere debebat, concessit; prout in eius vicariali privilegio contineri asseritur.

Sed cum postmodum prenominatus notarius Stephanus de Blundo Melivetanus, cui dicta feudi medietas antea, ut predicatur, concessa fuerat, ad hoc Regnum se contulisset, et de dicta concessione facta prefato Ioanni de Calatagirono coram dicto generali Vicario querelas interposuisset; ipsique generali Vicario dictam concessionem eidem Ioanni de Calatagirono factam revocare minime apparuisset, eidem nothario Stephano Blundo suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus quoddam territorium Gareximo nuncupatum, de quo inferius in cartis verba feci, tunc ob mortem Henrici de Hosa, cui antea per dictum Regem Fidericum, ut supra, concessum extiterat, nec non ob mortem quondam Gulielmi de Guancijs, in Regie Curie manibus vacans cum omnibus et singulis eius iuribus, pertinencijs, aquis, aqueductibus, redditibus et alijs, sub illa recognitione annui census seu alia quacumque, sub qua dictus quondam Henricus de Hosa et prefatus Gulielmus de Guancijs illud tenuerunt et possederunt, cum clausula et obligacione evictionis per Regiam Curiam facta, quodque feudum predictum ex quacumque urgenti necessitate a posse dicti notarii Stephani eiusque heredum capi non posset, nisi primus ei vel eis per Regiam Curiam de equivalenti excambio super iuribus seu bonis feudalibus expeditis provideretur, aut illis realiter et de facto dicte uncie centum, ad quas dicta feudi medietas extimata fuit, persolverentur, concessit; pro quo equivalenti excambio seu pro dictis unciis

centum, dictus Infans Ioannes Regiam Curiam ad evictionem ut supra obligavit, quemadmodum in eius vicariali privilegio dato Cathanie XXVIII^o Iunii VIII^o Inditionis 1416 et in Regie Cancellarie libro anni 1415 in cartis 309 notato, continetur.

Quapropter ipsa feudi medietas de li Imbaccari penes dictum Ioannem de Calatagirono pro dicto debito unciarum centum remansit.

Deinde vero eadem feudi Limbaccari medietas ad quondam Franciscam de Cardona pervenit, que si fuit filia dicti Ioannis de Calatagirono, aut ab illo succedens, seu quo iure ad illam ipsa feudi medietas pervenit, Regia in Cancellaria nulla reperitur scriptura.

Mortua postmodum dicta Francisca de Cardona, sibi in dicta feudi Limbaccari medietate pro indiviso successit Margarita eius neptis, filia Iaymi de Cardona filii eiusdem Francisce. Que Margarita una cum Ioanne de Landolina, eius viro, dictam feudi medietatem tenuit et possedit.

Demum ipsi Ioannes de Landolina et Margarita iugales de eadem feudi medietate quondam Bartholomeo Landolina eorum filio, puplico mediante contractu manu notarii Thome de Costantino XVIII^o Februarii VI, Inditionis 1426 celebrato, donacionem per Magnam Regiam Curiam in anno 1427 insinuatam fecerunt.

Defuncto exinde dicto Bartholomeo Landolina, sibi in eadem feudi medietate successit Ioannes de Landolina eius filius, qui per Actardum Landolina eius patrum et curatorem, cum iurasset nullum eius manus (*sic*) de ipsa feudi medietate pervenisse privilegium, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servitio, antiquis regalijis, Regni Constitutionibus, iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, de eadem feudi Limbaccari medietate a don Lupo Ximene Durrea, tunc Regni Prorege, III^o Iulii prime inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 395 notatam, reportavit.

Et nihilominus de ipso feudo li Imbaccari inferius in capitulo Tabie et Gareximi in cartis . . . nonnihil dictum est.

Deinde vero, ut asseritur, prefatus Ioannes Landolina de ipsa feudi Limbaccari medietate Ioannelle, uxori Ioannis Andree de Landolina et de Calaxibecta, puplico mediante contractu manu notharii Bartholomei de Bucherio XXII^o Novembris VIII^o Inditionis 1504 celebrato, contemplacione matrimonii predicti donacionem fecit. Et sic dictus Ioannes Andreas de Landolina et de Calaxibecta, tanquam maritus et legitimus administrator prelibate Ioannelle eius uxoris, de eadem feudi Limbaccari medietate a quondam Ioanne de Lanuça, tunc Regni Prorege, XXIII^o Octobris VIII^o Inditionis 1505, investi-

turam, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 74 notatam, pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus reportavit.

Et mortua dicta Ioannella absque filiis, successit in dicta feudi medietate Clarucia Landolina et Barbadoro, uxor Nicolai de Barbadoro, que pro se suisque heredibus de suo corpore legitime descendentibus de dicta medietate feudi obtinuit investituram a don Ugone de Montecatheno Vicerege, die primo Februarii III^e Inditionis 1515, notatam in libro Cancellarie anni predicti f.º 492; et reddit dicta feudi medietas uncias 07 LXX

Exinde vero dicta Clarucia Landolina et Barbadoro cepit de dicta medietate feudi Limbaccari investituram a don Ioanne de Luna Presidente, ob mortem Catholici Domini Ferdinandi Regis et successionem dominorum Regine Ioanne et Regis Caroli, matris et filii, die XI^o Decembris V^e Inditionis 1516, notatam in libro Cancellarie dicti anni f.º 115, et iuravit reddere quolibet anno uncias CXV, et sic in maiorem summam per quam alias iuravit 07 CXV

De tenimentis terrarum viginti duobus in territorio terre Ragusie Comitatus Mohac existentibus, quorum nomina hic non exprimuntur.

Inveni, Catholice Princeps, quibusdam in antiquioribus quinternis Serenissimi Regis Federici tercii tempore confectis, et in Regie Cancellarie archivio reconditis, Villam Ragusie, que de principalioribus Mohac Comitatus existit, eius in territorio, inter cetera viginti duo terrarum tenimenta, quorum nomina hic tacentur, retinere; pro quibus illorum possessores ad equos viginti septem iuxta tunc annuos redditus Regie Curie pro militari servicio tenebantur.

Sed quia totus Mohac Comitatus Regie Curie ad equos . . . pro militari servicio tenetur, actendendum est, cum in presentiarum, anno 1512 decurrente, feuda et territoria ad maximum redditus augmentum devenerint, quod iuxta feudorum privilegia barones ad maiorem equorum numerum omnino obligati sunt. Nihilominus habita informatione, reperitur ipsius Comitatus Comites ius dictorum viginti septem equorum occultasse sub numero equorum dicti Comitatus et Regie Curie pro militari servitio, quod superioribus multociens oc-

currit, prout tenebantur, non servivisse: quod si ita accidisset, talem ac tantum errorem commisissent, ut ad eiusdem XX duorum terrarum tenimentorum amissionem merito incurrisse viderentur.

Aulivella feudum

Feudum dictum Aulivella, in valle Nothi positum, meo iudicio per longa temporum curricula occupatum extitit. Et hoc quia Regia in Cancellaria nullus de eo titulus, actusve, aut investitura apparet. Verum Serenissimo Rege Ioanne, Vestri Regii Culminis genitore, regnante, in anno scilicet 1458, quidam Gulielmus Truxellus, tunc dicti feudi assertus possessor, ob felicissimam Vestre C. Maiestatis successionem pro dicto Aulivelle feudo in tunc pro Regiis-manibus fidelitatis et vassallagij debitum prestitit iuramentum, illius superioritatem recognoscendo, ac se, ut moris est, obligando, sicuti in feudalibus fieri solet, quemadmodum in Regie Cancellarie libro iuramentorum anni 1470 in cartis 48 continetur. Et sic cum de dicto Aulivelle feudo ipsa in Regia Cancellaria nullus alius actus, sive investitura, aliave scriptura, nullo unquam tempore, antiquo scilicet vel moderno, facta appareat, actendum pro Curie cautela ut ipsius feudi titulus a possessore demonstretur et habeatur, ac ad rationem assignandum de non captis investituris, et ad legitimam primi acquisite successorem denudandam, compellatur.

Millacha foresta

Millacha foresta in valle Nothi et territorio terre Leocate, in contrata Flumicelli, secus terras quondam Petri de Impuiala, via publica qua itur Agrigentum mediante, existens, Regii solatii membrum antiquitus fuerat, et ad ipsum Regium solacium spectans, illamque Serenissimus Rex Martinus, tanquam de suo Regio solacio, ut supra, notario

Iuliano de Cali per unius anni spacium et exinde ad eius Regium beneplacitum, cum assecutione illius reddituum, fructuum et provenctuum concessit; quemadmodum in illius Regia provisione data Siracensis XXIII^o Octobris VII^e Inditionis 1398 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 32 notata, late patet.

Nihilominus, visis per me compotis Regie Secretie eiusdem terre Leocate annis singulis per magistrum Secretum huius Regni in officio Magistrorum Rationalium traditis, ut perciperem si in ipsis compotis factus fuerit de dicte foreste Millacha redditibus pro Regia Curia introitus; tamen de illis non apparet aliquem factum fuisse introitum, immo, prout relacione nonnullorum accepi, foresta ipsa per istos de Cali possidetur et in tota Regia Cancellaria aliquod non reperitur privilegium, aliusve titulus de huiusmodi foreste concessione perpetua; adeo quod comprehendi debet, quod sub dicta antiqua Regia concessione ad beneplacitum, in vim dicte Regie provisionis facta, per istos de Cali tandiu occupativo modo detinetur. Que quidem provisio, cum ad beneplacitum concessa fuerit, notissimi iuris est, quod ipso Rege Martino defuncto, revocata et extincta fuit. Quapropter possidens Regie Curie ad restitutionem fructuum et reddituum dicte foreste, a tempore mortis dicti regis Martini citra usque ad presens teneretur.

Buscaglia feudum

Feudum Buscaglia nuncupatum in valle Nothi et territorio comitatus Auguste positum, per Gulielmum de Montecateno dicti Comitatus comitem antiquitus possidebatur. Qui Comes de feudo ipso Buscaglia quondam Lancee Chilona militi donacionem fecit, sicuti tenore publici instrumenti manu Notharii Thomasii de Vergara Cathaniensis XIII^o Augusti II^e Inditionis 1340 acto, late patet. A quo Lancea de Chilona successit Ioannes de Chilona eius filius, a quo ex eius testamentaria dispositione successit Sabella illius filia, tunc Mucchii de Facio uxor. Quo Ioanne Chilona defuncto, prefata Sabella remansit. Sed quondam Matheo de Montecateno nepote et dicti Gulielmi de Montecateno successore comitatum Auguste tenente et possidente, Serenissimus Rex Martinus cum ipso Matheo ad quan-

dam devenerunt permutacionis conventionem, cuius virtute dictus Auguste comitatus ipsi regi, suoque regio demanio, cum terris et castro Calatanixette et Cammarate remansit; tamen ipsa in permutacione idem Rex Martinus prefato Comiti Matheo de Montecatheno promisit dictum Buscagle feudum cum eius iuribus et pertinenciis heredibus dicti Ioannis Chilona vel prefate Sabelle, ipsius Ioannis filie, virtute testamentarie institucionis antedictae per eundem Ioannem dicte sue heredi manu notharij Petri de Aquila Cathaniensis in anno 1394 facte, acceptare et confirmare. Et sic in vim dicte regie promissionis, idem Rex Martinus prefate Sabelle suisque imperpetuum heredibus et successoribus, sub consueto militari servicio, Constitucionibus Regis Iacobi ac Regie Curie iuribus sermp̄ salvis, feudum Buscagle prelibatum acceptavit et confirmavit, prout in eius regio privilegio dato Cathanie ultimo Marcii prime Inditionis 1408, et in Regie Cancellarie libro anni 1407 in cartis 165 notato, continetur.

Mortuo exinde prenominato Muchio de Facio predictae Sabelle marito, ex quibus Matheus de Facio eorum filius natus extiterat, Sabella antedicta ad secunda vota convolvavit et Philippo Russo matrimonio iuncta est; ex quibus, Philippo Russo et Sabella, Anthonellus Russus natus fuerat. Qui Anthonellus, cum minoris esset etatis, Sabella predicta eius mater, cum dicti Philippi Russi eius viri auctoritate, de dicto Buscagle feudo eidem Anthonello minori suisque successoribus imperpetuum donacionem fecit inter vivos irrevocabilem, reservato tamen ipsis jugalibus dicti feudi ad eorum vitam usufructu, nec non et cum condicione infrascripta, scilicet: quod si forte contingerit dictum Anthonellum decedere, filio de suo corpore legitime descendente non relicto, superstite alio filio vel filia genito vel genita dictorum Philippi Russu et Sabelle matrimonio, in dicto feudo masculus et cuius defectu femina succedat. Quo autem sine liberis legitimis (quod absit) forsitan moriente, non superstite sibi alio filio vel filia dictorum Philippi Russu et Sabelle, dictum feudum post mortem eorum Ysabelle et Philippi pervenire debeat ad Matheum de Facio filium dicte Ysabelle et quondam Muchii de Facio Pipini eius mariti etc.; quemadmodum in quodam puplico contractu donacionis antedictae, manu notarij Ioannis de Mantea XIII^o Iulii prime Inditionis 1408 celebrato, latissime exponitur: quam dictus Rex Martinus eidem Anthonello eiusque imperpetuum heredibus et successoribus, cum omnibus et singulis in ipso donacionis contractu contentis, acceptavit et confirmavit, cum clausula scilicet: quatenus ipsa donatio de iure procedit, sub retentione regii militaris servicii secundum Sacrarum Constitucionum Imperialium etc.; ut in regia confirmatione data Cathanie primo Augusti prime Indi-

tionis 1408, et in Regie Cancellarie libro anni 1407 in cartis 365 notata, diffusius expressatur.

Perquisitisque per me Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1407 usque ad annum 1479, per quod tempus anni fere 72 connumerantur, nullum in illis privilegium, actumve seu investituram super dicto Buscagle feudo reperire potui, minusque inveni quis in illo prefato Anthonello, prefate Sabelle eius matris donatario, successerit. In dicto vero anno 1479, XXI^o Ianuarii XIII^e Inditionis, quedam Pina uxor Salvatoris Chocta, ob Serenissimi Regis Ioannis Vestre Catholice Maiestatis genitoris mortem, de ipso Buscagle feudo a tunc Prorege investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 288 notatam, cepit; in qua minime exponitur quo iure ad illam devenerit, sive a quo legitime succedat.

Eisdemque Regie Cancellarie libris, ab ipso anno 1479 usque ad annum 1501, per me etiam perquisitis, nullum similiter dicti feudi actum inveni. In ipso vero anno 1501 XVIII^o Decembris V^e Inditionis, Simona filia Anthonini de Vitali et Anthonine de Aula uxor, ob donationem de dicto Buscagle feudo per Pinam de Facio, prout dixit, sibi factam, de ipso feudo investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 230 notatam, reportavit; tamen in ea non exprimitur si dicta Pina donatrix illa fuit Pina, que prenominato Salvatori Cocta copulata extitit, vel si dicta Pina ipsius Simone mater fuit, vel consanguinea.

In presentiarum autem, anno 1512 currente, ipsum feudum Buscagle per eandem Simonam possidetur, et reddit quolibet anno 07 . .

Unde est attendendum, ut a possidente ipsum feudum notitia et iustificatio habeatur, quare per tantum temporis spatium, puta per annos septuaginta duos, nemo de ipso feudo se investiverit, et si dicta Pina uxor prelibati Salvatoris Cocta, et ultimo loco prefata Simona illius donataria, per rectam primi acquisite eiusdem feudi lineam descendunt, ad veram Vestre C. Maiestatis notitiam pro Curie cautela.

Dictus vero Anthoninus de Aula tanquam maritus dicte Simone, ob mortem Domini nostri Ferdinandi Regis, de dicto feudo Buscagle a Don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die XVIII^o Ianuarii V^e Inditionis 1516, notatam in libro anni 1516 in folio 424; et iuravit, tactis Scripturis, reddere quolibet anno . . . 07 XII

Burgaranum feudum

Feudum Burgaranum nuncupatum, in valle Nothi et territorio Leontini existens, per quondam Ioannem de Alchono Camastre Baronem antiquitus possidebatur; quo tamen iure, quia in Regia Cancellaria nullus apparet titulus, rationem dare non possum. Tandem ipse Ioannes Alchonus rebellionem contra Serenissimum Regem Martinum perpetravit; ob quam eius bona et feudum Bulgaranum predictum Regie Curie aperta fuere et devoluta, feudumque ipsum idem Rex Henrico Statella concessit, sicuti per privilegium, quod in ipsa Cancellaria non reperitur, constare asseritur: verum aliquibus in ipsius Regis provisionibus de ipso privilegio mentio facta est. Deinde in vim generalis remissionis et restitutionis, quas tunc temporis idem Rex Martinus rebellibus, qui ad Regiam reddebant fidelitatem, facere intendebat, prefatus Henricus Statella, ut Regie adhereret voluntati, eisdem remissioni et restitutioni, quoad ius ob rebellionem dicti Ioannis eidem Regie Curie acquisitum et sibi ut supra traditum, cessit, hac tamen conditione et retentione penitus consensit, scilicet: quod ipse Rex eidem Henrico Statella omnia iura ipsi Regi sueque Regie Curie quacumque ex causa, preter dicte rebellionis ius, competentia concederet; de quo Rex contentus eidem Henrico Statella suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus imperpetuum omnia iura sibi sueque Regie Curie quomodocumque super dicto feudo competentia, preter eiusdem rebellionis ius, concessit. Et hoc quia idem Henricus ayebat, eundem Ioannem de Alchono multa ipsius Henrici bona in Thauromeno eiusque territorio existentia sibi vi occupasse et detenuisse; quodque, suadente iusticia, eidem Henrico de bonis sibi ut per dictum Ioannem ablati super dicto Bulgarani feudo satisfieri posset; nec non quod in casu faciende remissionis, idem Ioannes de Alchono pro bonis per eum a privatis personis ablati remissus non intelligeretur, nisi pro rebus Regie Curie intercesse tangentibus, quod per Magnam Regiam Curiam sive per aliquem iurisperitum, de consensu et comuni partium voluntate eligendum, iudicari deberet; quemadmodum in quadam dicti Regis Martini provisione, data Tauromenie XX^o Septembris IV^o Inditionis 1395 et in Regie Cancellarie libro anni 1393 in cartis 182 notatam, hec et alia latius exarantur.

Postmodum autem idem Rex Martinus, preter dictam generalem remissionem, eidem Ioanni Alchono eiusque filiis et vassallis ob dictam rebellionem pro bono pacis et publico beneficio, quibuscumque dicti feudi Bulgarini et aliorum bonorum donationibus non obstantibus, aliam concessit remissionem; non obstante etiam, quod in eisdem donationibus clausula, remissione non obstante etc., adiecta fuisset; eundem Ioannem a quibuscumque atrociniis et damnis per eum quibuscumque personis illatis liberando, sub his verbis, scilicet: Ita quod nemini, pretextu disrobationum predictarum, contra ipsum Ioannem filios et vassallos suos, aut contra bona ipsorum detur regressus, non obstante quod aliquo pretextu ipsarum disrobationum iuridice convenire, vel exigere possint eos vel aliquem ipsorum; quo casu volumus et de expressa nostra consciencia ordinamus, quod si qui sint, qui pretextu disrobationum predictarum ius aliquod contra ipsum Ioannem filios et vassallos suos et bona eorum habere pretendant, illud contra fiscum nostrum, de nostra grata voluntate et permissione, libere et sicure experiantur; sicuti in ipso remissionis privilegio, dato Thauromenie XXVII^o Septembris III^o Inditionis 1395, et in Regie Cancellarie libro anni 1393 III^o Inditionis in cartis 82 notato, continetur.

Cumque exinde prefatus Henricus Statella Regem Martinum predictum informasset, quod ob motam contra eum litem super possessorio seu petitorio dicti feudi, Ioannes Alchonus prelibatus sententiam in sui favorem et contra ipsum Henricum reportaverat; Rex idem, quia prefato Henrico promiserat se non pati quod dictus Henricus ab ipsius feudi possessione amoveretur, quin primo eisdem Henrico Statella et Ioanni Alchono equivalens excambium daretur, providit, suaque opportuna Regia provisione mandavit, quod quandocumque Ioannes Alchonus antedictus super restitutione dicti feudi in sui favorem sententiam reportaret, dictus Henricus ab illius possessione non amoveretur, immo sententia ipsa suspensa haberetur, quousque ipse Rex prefato Henrico Statella, vel eidem Ioanni Alchono, vel eius filio equivalens consignaretur excambium; prout in ipsius Regis Martini provisione, data Siracusi XX^o Novembris V^o Inditionis 1396 et in Regie Cancellarie dicti anni libro folio primo notata, late exponitur. Per quod ultimum privilegium comprehenditur dictum Henricum Statellam in dicti feudi possessione diu permansisse; nam non invenitur feudum ipsum Burgaranum eidem Ioanni Alchono fuisse aliquando restitutum, sive in eiusdem Henrici Statelle suorumque heredum ditioe remanserit. Immo perquisitis Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1396 usque ad hodiernum, anno 1512 decurrente,

nullum reperitur privilegium, actusve, sive investitura pro dicto feudo ad predictarum partium instantiam facta.

Tamen, a tempore regiminis Serenissimi Regis Ioannis Vestri Regii Culminis Genitoris citra usque ad presens, quod dicta Leontini terra Serenissime Regine in Cameram concessa fuit, coram qua ex tunc feudorum Reginalis Camere investiture capi solent, et non coram Regni Prorege fieri posset, quod aliqua dicti feudi scriptura in eiusdem Reginalis Camere archivio appareret, et non hac in Regia Cancellaria, et sic nullam dare valeo rationem.

Nihilominus negari non potest, quin post mortem dicti Regis Martini, Serenissimus Rex Ferdinandus tue Regie Maiestatis avus successerit, et post ipsius Regis Ferdinandi obitum Serenissimus Rex Alfonsus Vestre Regie Celsitudinis patruus regnaverit, per quod quidem tempus dicta Leontini terra (ut percepi) sub Regii demanii iugo semper stetit, et tandem nulla apparet in ipsa Regia Cancellaria scriptura, quomodo et ad cuius manus ipsum Bulgarani feudum devenerit, seu de presenti existat. Et propterea est super hoc pro Regie Curie cautela veritas perquirenda.

Bonvicinum sive Silvestrum feudum cum castro

Feudum Bonvicinum alias Silvestrum nuncupatum cum castro in valle Nothi et territorio Leontini positum, per quondam Matheum de Alagona antiquitus possidebatur: nihilominus quo titulo nullus in Cancellaria titulus apparet. Qui Matheus de Alagona contra Serenissimos Reges Martinum et Mariam rebellionem postmodum perpetravit, ob quam ipsa feudum et castrum Bonvicini Regie Curie aperta et devoluta fuere, ac per eosdem Reges Bernardono Bernardi de Brugueroles suisque imperpetuum heredibus et successoribus, sub consueto militari servitio, ac mineriarum, lignaminum, solaciorum aliarumque regaliarum tamquam de antiquo Regio demanio, iuribus semper salvis, concessa; quemadmodum in ipsorum Regum privilegio dato Cathanie XVII^o Aprilis prime Inditionis 1393 et in Regie Cancellarie libro anni 1392 in cartis 72 notato, diffusius continetur.

Deinde vero in anno 1394, cum idem Rex Martinus ignoraret, sive certus non esset, an dictum Bonvicini feudum et castrum prefati Mathei

de Alagona rebellis, sive Blasci de Alagona illius fratris esset, an non; ad uberiorem prefati Bernardoni cauthelam, sive ipsorum de Alagona fuerint, an non, feudum et castrum Bonvicini antedicta, cum eorum viridario et vinea, eidem Bernardono Bernardi de Brugueroles suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum, sub consueto militari servitio ac cum prelibatis reservationibus iuribusque Regie Curie et aliorum semper salvis, iterum et de novo concessit, sicuti in ipsius Regio privilegio dato Cathanie X^o Marcii III^o Indictionis 1394, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 142 notato, late patet.

Ipsoque Bernardono Bernardi de Brugueroles postmodum sine liberis eius de corpore legitime procreatis defuncto, Reges ipsi Martinus et Maria feudum ipsum et castrum Bonvicini Gerocete de Alarcan suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum, sub consueto militari servitio, concessere; prout in ipsorum Regum privilegio in Regie Cancellarie libro anni 1396 III^o Indictionis in cartis 124 notato continetur: quo quidem in privilegio data et Secretarij mandatum, ut in similibus fieri solet, deest.

In libro autem Cancellarie anni 1406 et in cartis 202 quoddam reperitur eorundem Regum Martini et Marie privilegium, in quo quoddam publicum instrumentum venditionis dicti feudi per quondam Aloysium de Rayadellis Gullelmo de Asmari militi precio unciarum 250 facte, II^o Octobris XIII^o Indictionis 1405, manu notarii Laurentii de Notho Cataniensis celebratum, insertum apparet. Quod quidem instrumentum ipsi Reges cum illius inserto tenore, ut supra, eidem Gullelmo de Asmari eiusque heredibus suo de corpore legitime descendantibus, sive uni extraneo vel extranee eius successori, illorumque heredibus et successoribus eorum de corpore legitime descendantibus, imperpetuum acceptarunt et confirmarunt, feudumque ipsum, sub consueto militari servitio ac cum prerogativa, cum qua ceteri Regni barones eorum possident feuda, nec non cum potestate conficiendi in eo pontagia, molendina, bactenderia, domos, vineas, boscagia, viridaria, hospicia, tabernas, macella et quecumque alia edificia, de novo concesserunt; prout in eorum Regio privilegio antedicto, dato Cathanie XIII^o Aprilis XIII^o Indictionis dicti anni 1406, serius exponitur. Quo quidem in privilegio nulla fit mentio prenomi-natum Gerocetam de Larchan a dicta concessione exclusum extitisse. Verum in confirmatione antedicta prelibati instrumenti per prefatum Aloysium de Rayatellis firmati exponitur, dictum feudum eidem Aloysio pervenisse ob venditionem de eo sibi factam per Arnaldum de Sancta Columba, dictum Columat; tamen nullus apparet titulus quo-

modo ipsi Arnaldo pervenerit. Et ideo super hoc quod iuris est faciendum existimo.

Mortuo postmodum dicto Gulielmo de Asmari, sibi in dicto Silvestri sive Bonvicini feudo successit Lodovicus de Asmari illius filius legitimus et naturalis, qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, sub consueto militari servitio, de ipso feudo a don Lupo Ximene Durrea, tunc Regni Prorege, XXI^{III}° Augusti prime Inditionis 1453, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 663 notatam, reportavit.

Actendum tamen est, quod antiqua ipsius feudi forma per eosdem Reges Martinum et Mariam eorum cum privilegiis concessa est stricta, iure Francorum, et sic miror quare in investitura prelibati Proregis de ipso iure Francorum mentio facta non existat, quod in Regie Curie prejudicium maximum tendit.

Decedente tandem prefato Ludovico de Asmari, sibi in dicto feudo successit Norella de Asmari eius filia legitima et naturalis ac primogenita ex eo et Euphimia iugalibus, que pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iuxta formam suorum privilegiorum, a Don Gaspare de Spes tunc in Regno Prorege, de ipso feudo XXVIII^{II}° Novembris II, Inditionis 1483 investituram in Regie Cancellarie libro annorum 1483-1484, in cartis 153 notatam, obtinuit.

Deinde autem Franciscus de Asmari, virtute cuiusdam sententie seu interloquutorie in sui favorem per Ioannem de Ansalono et Simonem de Biviachito doctores, tamquam arbitros et amicabile compositores, XXVIII^{II}° Ianuarii III° Inditionis 1484, Cathanie late a tunc Regni Presidentibus, de ipso Bonvicini feudo XXVIII^{II}° Februarii III° Inditionis eiusdem anni 1484 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 382 notatam, consequutus fuit.

In presentiarum autem, anno 1512 currente, ipsum Bonvicini feudum per eundem Franciscum de Asmari possidetur, quod annis singulis reddit uncias. 07..

Bivarium Leontini feudum

Bivarium Leontini feudum in valle Noti existens, de antiquo Regio demanio tanquam de iuribus Regie Secrecie terre Leontini semper fuit. Et exinde per Serenissimum Regem Martinum quon-

dam Calcerando de Sancta Pace concessum extitit, sicuti per ipsius Regis Martini privilegia ac per tabulam Siracusani Colloquij diffusius videri potest. In quibus privilegiis est adiecta clausula, quod persolutis prefato Calcerando de Sancta Pace quandocumque unciis centum sexaginta annui redditus, ipsi Regie Curie liceret feudum ipsum sibi penitus revocare, quod etiam per dictum Siracusanum Colloquium provisum et statutum extitit.

Tempore vero, quo Vestra Regia Celsitudo precepit ecclesiasticarum rerum ac feudalium et regaliarum Regni Capibrevium per me ad futuram rei memoriam componi, cuius mandati vigore Secreciarum regni Capibrevium composui, cum in compositione capituli dicti Biverii me adaptarem; inveni ipsum Bivarium equivalenti excambio unciarum 160 annui redditus ab ipsa Regia Curia quandocumque reddimi posse, ob quod fiscus Serenissime Donne Germane Vestri Regii Culminis Consortis contra don Ugonem de Sancta Pace, tunc dicti Bivarium possessorem, partem fecit et causa rey servande in ipsius Bivarium possessionem se posuit, dictas uncias centum sexaginta annualis redditus offerendo; sed habito per dictum don Ugonem apud Vestram C. Celsitudinem et apud eandem Serenissimam Dominam Reginam recursu, oblatoque quodam Regni capitulo, Vestro fuit Regio Culmini supplicatum, ne illum ab ipsius Bivarium possessione amoveretur, immo illud suis suorumque progenitorum serviciis Regie Corone prestitis consideratis, sibi confirmare dignaretur; quod quidem Regni capitulum sub his verbis Vestra C. Maiestas decretavit, scilicet, provisum est. Et nihilominus ad nonnullorum pro dicto de Sancta Pace apud Vestrum Regium Culmen intercedentium supplicationem, eadem Serenissima Domina Regina cum eodem don Ugone pro dicto Bivario ad quandam devenit transactionem et compositionem ac novam concessionem, quibus mediantibus, cum idem don Ugo ipsi Domine Regine de ducatis auri sex millibus servivisset, ipsi don Ugoni suisque imperpetuum heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iuxta formam Regiorum privilegiorum, sub consueto militari servicio, iure feudi antiqui, Bivarium ipsum per ipsam Dominam Reginam restitutum fuit et de novo concessum, cum omnium iurium sue Reginalis Curie, que super ipso Bivario habet, cessione, quodque ipsa domina Regina sui que successores nullo unquam tempore, dicti equivalentis excambii vigore, nec alias, possent ipsum don Ugonem suosque inquietare vel molestare, silentium perpetuum in his sibi imponendo, viamque ulterius agendi super dicti Bivarium recuperacione sibi penitus precludendo; quemadmodum in ipsius domine Regine privilegio, in valle Oleti XXVII^o Octobris XIII^e Inditionis 1509, per Ste-

phanum de Passamonte ipsius domine Regine Secretarium expedito, hec et alia diffusius continetur. Quod quidem Vestra C. Maiestas acceptavit et confirmavit, ac quatenus opus est ipsi don Ugoni suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus de novo concessit, Regni Capitulis et presertim eidem Siracusano Colloquio dispensando, sicuti in Regio privilegio dato in Valle Oleti XXX^o Octobris 1509, de quo viceregie emanarunt executorie date Panormi XVIII^o Februarii XIII^e Inditionis 1510, et in Regie Cancellarie libro anni 1509 in cartis 392 notate, hec et alia seriusius exprimuntur.

Unde videndum est, si in sacri regii demanii regalisque successionis preiudicium transactio ipsa, sive sex milium ducatorum compositio tenet, an non.

Mortuo tamen dicto don Ugone de Sancta Pace, sibi in eodem Bivarii feudo successit de Sancta Pace eius filius, qui hodie, anno 1512 currente, feudum ipsum possidet, et annis singulis reddit 07 . .

Brachalechi et Gibilem feuda

Feuda Brachalechi et Gibilem nuncupata, in valle Nothi existentia, per quondam Calcerandum de Villanova antiquitus possidebantur, de quo tamen nullus in Regia Cancellaria titulus apparet. Ipsaque duo feuda tandem una cum Mazareni terra emptionis titulo in Stephani de Branchifortibus et ultimo loco in Raphaelis de Branchifortibus posse devenerunt; qui Raphael cum dicti Calcerandi de Villanova filia matrimonium contraxit, finaliter autem de successore in successorem feuda ipsa Brachalechi et Gibilem una cum eadem Mazareni terra, que in presentiarum in Comitatus dignitatem erecta est, ad Ioannis de Branchifortibus filii Nicholai de Branchifortibus manus et posse successive devenere, sicuti in quadam investitura per ipsum Ioannem pro ipsis feudis simul cum eodem Comitatu Mazareni capta, que in Regie Cancellarie libro anni 1510 XIII^e Inditionis in cartis 284 notata est, late patet.

In presentiarum autem, anno 1512 currente, feuda ipsa Brachalechi et Gibilem per eundem Ioannem de Branchifortibus possidentur et reddunt anno quolibet 07 . .

Actendum tamen est, quod in Regie Cancellarie codicibus de ipsis Brachalechi et Gibilem feudis nullus invenitur titulus, sed tantum in investituris per istos de Branchifortibus captis absque titulo seu privilegio nominantur.

Et nihilominus iam apparet feuda ipsa Brachalegi et Gibilem de dicte Mazareni terre membris non fuisse, sed feuda antiqua de per se. Nam, tam in rollo feudorum antiquo quam in investituris per eosdem de Branchifortibus ut predicatur captis, nominatim feuda ipsa Brachalechi et Gibilem expressantur, quo casu non dubium est ea esse feuda a dicto Mazareni Comitatu separata. Et ideo titulum per possessorem edi ad informacionem Vestre C. Maiestatis ac pro Curie cautela omnino oporteret.

Bugidranum feudum

Feudum Bugidranum appellatum, in valle Nothi et territorio terre Placie positum, per quondam Raynerium de Mohac antiquitus possidebatur, quo tamen titulo, cum nullum in Regia Cancellaria privilegium invenitur, rondari (*sic*) non potest. Tandem Raynerius ipse de feudo predicto quondam Iacobo de Mohac eius filio, de consensu et voluntate Petri de Mohac alterius filii prefati Raynerii et eiusdem Iacobi fratris presentis, acceptantis, ratificantis et omnia iura ipsi Petro competentia in eundem Iacobum cedentis et renunciantis, reservato tamen eidem Raynerio donatori dicti feudi usufructu eius vita durante, donacionem inter vivos fecit irrevocabilem, sicuti in quodam puplico donacionis ipsius instrumento Calatagironi II^o Maij XIII^e Inditionis 1435 manu notarii Ioannis de Minardo acto continetur, cuius quidem donacionis virtute Iacobus ipse in eodem feudo dicto eius patri successit.

Tempore vero, quo Serenissimus Rex Alfonsus regno potiebatur, cum Iacobus ipse de dicto se feudo investire vellet, ac sacramento firmaret in actis officii Prothonotarii redacto nullum de dicto feudo suas ad manus privilegium devenisse, Don Lupus Ximenes Durrea tunc in Regno Prorex de feudo ipso eidem Iacobo de Mohac suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub debito et consueto militari servicio, Regni Constitutionibus et Ca-

pitulis ac Regie Curie iuribus semper salvis, VIII^o Iulii prime Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 337 notatam, concessit.

Exinde vero feudum Bugidranum antedictum in Francisci de Alexio terre Placie posse devenit; tamen nullus apparet titulus, quo iure a manibus istorum de Mohac defecerit et ad ipsum Franciscum de Alexio pervenerit. Tandem Franciscus ipse pro se suisque heredibus iure Francorum, ob Serenissimi Regis Ioannis Vestri Regii Culminis genitoris mortem et felicissimam Vestre C. Maiestatis successionem, XXIII^o Novembris XIII. Inditionis 1479, de ipso feudo investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 246 notatam obtinuit. Et nihilominus aliqua non apparet investitura per eum ob alicuius eius progenitoris obitum de ipso feudo capta, vel quomodo in eo successerit, et propterea pro Curie cautela ipsius feudi possessor de his rationem reddere tenetur.

Ipsoque Francisco de Alexio defuncto, sibi in eodem Bugidrani feudo successit Ioannes Anthonius de Alexio eius filius, de quo nulla apparet investitura. Quo Ioanne Antonio exinde absque filiis mortuo, sibi successit Iulianus de Alexio illius frater, qui a tunc Prorege, ob dicti Ioannis Anthonii eius fratris mortem, medietatis pro indiviso duorum feudorum Castani, de quo inferius in cartis . . . verba faciam, scilicet et dicti Bugidrani investituram, III^o Aprilis III^o Inditionis 1500 in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 35 notatam, consequutus fuit. Et nulla in ea tamen ratio assignatur, quomodo feuda ipsa separata fuerint, cuique reliqua illorum medietas pervenerit, nam nulla de his investitura reperitur. Et ideo possidens ad id demonstrandum compellatur.

Decedente postmodum Iuliano de Alexio antedicto, sibi in feudis predictis Bugidrani et Castani successerunt Ioannes Michael de Alexio et Baptista de Alexio, fratres ipsius Iuliani filii. Qui fratres pro se eorumque heredibus iure Francorum a tunc Proregibus, III^o Novembris III^o Inditionis 1509, de feudis ipsis investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 148 notatam reportarunt.

Hodie vero, anno 1512 decurrente, feudum ipsum Bugidranum per eosdem Ioannem Michaellem et Baptistam de Alexio possidetur, quod anno quolibet reddit uncias XXXX, ex relacione et iuramento Ioannis Mathei Barbarini. Dictique Ioannes Baptista et Michael de Alexio de dicto feudo Bugidrani, ob mortem domini Regis Ferdinandi, ceperunt a don Ioanne de Luna Preside investituram, die XVIII^o Ianuarii, notatam in libro anni 1516, f.º 403 et iuravit reddere tantumdem.

Unde pro Regie Curie interesse dico, quod antiqua privilegia dicti Bugidrani feudi sunt omnino videnda, ut percipiatur quo iure in illos de Mohac pervenerit, ac quomodo ab eis defecerit et in aliam agnacionem, puta in Franciscum de Alexio devenerit; nec non quare prenominatus Iulianus de Alexio de medietate ipsorum feudorum tantum et non de illis integriter se investiverit, ac cui ipsorum feudorum reliqua medietas remanserit, et sic ad hoc edendum, nec non ad ostendendum omnes investituras de herede in heredem successive emanandas, ostendendum possessor compelli deberet.

Dictum feudum Bugidrani, ut asseritur, erat in pignus imposse dictorum de Alexio pro ducatis aureis CCCCLXXXII et exinde fuerunt concordēs et fuit contractum matrimonium inter eos taliter quod feudum ipsum virtute ipsius matrimonii devenit ad Iacobum de Modica, qui ob mortem Raynerii de Modica eius patris obtinuit de dicto feudo investituram a domino Comite de Monteleone Vicerege pro se suisque heredibus et successoribus iure Francorum, die XXVII Maii VII^e Inditionis 1519, notatam in libro anni predicti f.^o . . et iuravit reddere 07 L.

Feudum Castani

Feudum Castani, in valle Nothi et in Castri Ioannis territorio positum, de membris et feudi Cundroni pertinencijs antiquitus fuit: quod universitas terre Placie quondam Francisco de Alexio exinde vendidit: tamen Franciscus ipse de illo investituram accepisse non apparet. Tandem ipso Francisco de Alexio decedente, sibi in eodem Castani feudo successit Ioannes Anthonius de Alexio eius filius, qui etiam minus apparet de eodem investituram obtinuisse.

Mortuo postmodum absque filiis prefato Ioanne Anthonio de Alexio, sibi Iulianus de Alexio eius frater successit, qui de ipsius Castani feudi medietate pro indiviso nec non et de medietate feudi Bugidrani superius in cartis . . . notati a tunc Prorege, IIII Aprilis III^e Inditionis 1500, investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 35 notatam reportavit.

Actendendum tamen est, quare Ioannes Antonius antedictus de ipsorum feudorum medietate et non de illis integriter se investive-

rit, cum ratio aliqua dari non possit in cuius posse reliqua deven-
erit medietas, nam de his nulla reperitur investitura.

Defuncto demum prefato Iuliano de Alexio, sibi in ipsis feudis
Castani et Bugudrani Ioannes Michael de Alexio et Baptista de Alexio
fratres ipsius Iuliani filii successere. Qui de ipsis duobus feudis a
tunc Prorege pro se eorumque heredibus iure Francorum, III^o No-
vembrii XIII^e Inditionis 1509, investituram in Regie Cancellarie
dicti anni libro in cartis 148 notatam obtinuerunt.

Edant ergo ipsorum feudorum possessores quo iure de utroque
feudo integriter et non de medietate pro indiviso investituram ce-
perunt, cum Iulianus de Alexio illorum pater de eorundem medie-
tate tantum se investiverit, et sic pro Curie cautela possessores ipsi
ad dandum de his rationem compellantur.

In presentiarum autem, anno 1512 currente, feudum ipsum Ca-
stani per eosdem Ioannem Michael et Baptistam de Alexio pos-
sidentur, et ex relatione Ioannis Mathei Barbarini reddit anno quo-
libet 07 L.

Dictique Ioannes Michael et Baptista de Alexio ob mortem do-
mini Regis Ferdinandi a don Ioanne de Luna Preside de dicto feudo
Castani ceperunt investituram die XVIII^o Ianuarii V^o Inditionis,
notatam in libro anni 1516 f.^o 403, et Ioannes Philippus de Assi-
nato procurator iuravit reddere tantundem.

Pipino lu grandi alias Bibino feudum

Feudum Pipino alias Bibino lu grandi vulgo nuncupatum, in
valle Nothi existens, per quondam Ioannem de Alagona ex suorum,
prout dixit, progenitorum successione antiquitus possidebatur, de quo
tamen nullus apparet titulus. Tandem Ioannes de Alagona preliha-
tus de ipso feudo Artali de Alagona eius filio, ob matrimonium in-
ter ipsum Artalem et Constanciam quondam Andree de Stayti Mes-
sanensis filiam contractum, puplico mediante contractu XIII^o Iulii
III^e Inditionis 1440 manu notarii Nicholai de Florellis celebrato, do-
nacionem fecit, cuius virtute Artalis ipse feudum Pipini lu grandi
antedictum, nulla precedente Regie Curie licentia, tenuit et possedit
et tamen non apparet de eodem investituram cepisse.

Verum, tempore quo Regni Capitulum Novissimum Serenissimi Regis Alfonsi celebratum fuit, Artalis predictus coram tunc Regni Presidentibus comparens, constituto per eum de possessione ab annis XXX ac iuramento affirmans nullum de ipso feudo privilegium suas ad manus devenisse, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, Regni Constitutionibus ac iuribus Curie et alterius semper salvis, de feudo eodem, XX° Ianuarii II° Inditionis 1453, confirmationem et investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 308 notatam reportavit.

Mortuo postmodum prefato Artali de Alagona, feudum ipsum Pipini lu grandi in Maciocte de Alagona posse devenit, qui non apparet de illo investituram cepisse, et sic dare nequeo rationem si idem Maciocta prelibati Artalis filius fuerat an non, sive quo iure successerit.

Deficiente demum Maciocta de Alagona prenominato, sibi in eodem Pipini lu grandi feudo successit Artalis de Alagona eius filius, qui pro se suisque heredibus, iure Francorum, cum iuramento firmaret in tunc Proregum manibus, iuxta formam Capituli Novissimi, nullum habere de dicto feudo privilegium, VIII° Novembris X° Inditionis 1476, investituram in Regie Cancellarie libro anni 1477 in cartis 186 notatam obtinuit.

Quo quidem Artali sue vite finem imponente, sibi in eodem Pipini feudo successit Andreas de Alagona, de quo titulus neque investitura apparet. Ipsoque deficiente Andrea, sibi in dicto feudo successit Artalis de Alagona eius filius et nullus actus sive investitura feudi eiusdem in Cancellaria per ipsum Artalem aliamve personam capta reperitur; ob quod nulla dari potest ratio in cuius posse existat, ad quod est pro Regie Curie interesse omnino attendendum.

Et iste Artalis de Alagona ob mortem Catholici domini nostri Ferdinandi Regis a don Ioanne de Luna Preside de dicto feudo Pipini lu grandi cepit investituram die XII° Ianuarii V. Inditionis, notatam in libro anni 1516 in cartis 430, et Iacobus de Platamone eius procurator iuravit dictum feudum reddere 07. CL.

Exinde vero fuit presentata in officio Cancellarie quedam investitura de dicto feudo, capta per eundem don Artalem de Alagona maiorem, tamquam avum paternum et legitimum administratorem don Artalis de Alagona minoris eius nepotis succedentis ob mortem quondam don Ieronimi filii dicti don Artalis maioris et patris ipsius don Artalis minoris, virtute donacionis propter nuptias facte eidem Ieronimo per dictum don Artalem maiorem et avum, ut supra, data

Panhormi XXII^o Marcii VII. Inditionis 1519, notata in libro 1518 in cartis 83.

Sancti Iacobi de Belmineo et Solarini feuda

Feudum Sancti Iacobi de Belmineo in Palacioli territorio ac feudum Sularini in territorio Civitatis Siracusarum in contrata Minei Vallis Nothi existencia, per quondam Petrum de Modica Siracusanum antiquitus possidebantur; quo tamen iure ad illum devenerint et sub qua forma eadem possidebat in Cancellaria titulus non apparet aliquis. Tamen, cum prefatus Petrus de Modica Cesaream eius naturalem filiam, ex se et Saphira muliere procreatam, Aloysio Contarino Veneto matrimonio coppulasset, illi nonnulla eius bona et territoria in ipso Siracusano tenemento ac territorio Corleonis posita et presertim prenominata feuda, sub consueto militari servicio, in dotem constituit, quemadmodum in quodam puplico instrumento, manu Notharii Nicholay de Avela Siracusani primo Iunii II^o Inditionis 1394 celebrata, continetur.

Preterea alio cum puplico contractu, manu notharii Francisci Mandala XX^o Novembris III. Inditionis 1394 celebrato, contemplatione predicti matrimonii, tempore eius sponsaliti, Petrus de Modica antedictus prefate Cesaree eius filie naturali ac Aloysio Contarino eius sponso dicta duo feuda ac alia bona, sub dicto consueto militari servicio ac sub nonnullis pactis et condicionibus ipso in contractu contentis, dedit et consignavit. Quam quidem donacionem Serenissimi Reges uterque Martinus et Maria ipsis Aloysio et Cesaree iugalibus illorumque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, cum hoc tamen quod essent incole Regni, ratificarunt et confirmarunt, cum hac etiam clausula, quod si aliqui ius aliquod seu obligacionem vel causam in eiusdem feudis et bonis haberent, qui forsan in rebellionem incurrissent, sive in illam locum aut consensum dedissent, quo casu iura ipsa Regie Curie iam devoluta fuissent et applicata, iura ipsa deperderent. Illaque Reges ipsi prefatis iugalibus cesserunt. Et si forte huiusmodi rebelles remissi et in integrum restituti extitissent, donacione antedicta, quo ad bona et feuda, ut supra, donata, illesa permanente, contra alia bona

predicti Petri de Modica, et non contra bona et feuda ipsa ut supra donata se dirigere possent. Preterea si alter ex dictis iugalibus decederet, superstes in ipsis feudis succedere deberet, cui etiam filii legitimi in eisdem succedere possent, et cum clausula etiam, ita quod vos coniuges et successores predicti ex nunc in antea perpetuo predicta feuda et ipsorum quodlibet plene, pacifice et quiete teneatis et possideatis et in eisdem habeatis totum illud ius et omnes illas actiones et oblationes, quas nostra Curia in eis quovis modo habet et habere potest, nec non et cum alia clausula, scilicet, non obstante quod dicta Cesarea non fuerit de legitimo matrimonio procreata, super quo nos ex plenitudine nostre Regie potestatis plene dispensamus; quemadmodum quodam in Regio privilegio dato Cathanie X^o Iulii III^e Inditionis 1395, et in Regie Cancellarie libro anni 1395 III^e Inditionis in cartis XIII notato, hec et alia diffusius exprimuntur. In quo etiam apparet Reges ipsos pro huiusmodi concessione et donatione uncias XXXX habuisse. Unde videndum, si verus prefati Petri de Modica titulus is erat per quem feuda ipsa prelibate Cesaree eius filie spurie donare potuisset; nec non si Reges predicti nulla per eos habita notitia ex forma et titulo eiusdem Petri de Modica in Regii demanii preiudicium donacionem predictam prelibate Cesaree spurie ratificare poterant et confirmare, pecunia interveniente, videlicet illis unciis XXXX per ipsos Reges a prefatis Cesarea et Aloysio iugalibus habitis, ut dictam facerent concessionem et iurium cessionem. Nam, meo iudicio, si titulus prefati Petri de Modica non is erat quo feuda ipsa eius filie spurie donare potuisset, solutis per Vestram Regiam Celsitudinem possessoribus dictis unciis XXXX, actenta Regia Pragmatica Post BELLA incipiente, feuda ipsa Regio Demanio agregari possent. Perquisitis tamen per me Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1394 usque ad tempus regiminis Serenissimi Regis Ioannis Vestri Regii Culminis genitoris, scilicet usque ad annum 1460, per quod tempus anni fere 66 connumerantur, et post mortem dicti Regis Martini per iddem tempus Serenissimus Rex Ferdinandus Vestre Catholice Maiestatis avus et Serenissimus Rex Alfonsus Vestre Regie Serenitatis patruus ac deinde prefatus Rex Ioannes successive regnarunt, nullus actus, nullaque de ipsis feudis Sancti Iacobi de Belmineo et Solarini investitura reperitur. Verum in quodam dicte Regie Cancellarie libro anni 1470 in cartis 198 X^o Ianuarii III^e Inditionis eiusdem anni quedam apparet investitura per Simonem Moriscu Siracusanum a Don Lupo Ximene Durrea, tunc Regni Prorege, obtenta pro se suisque imperpetuum heredibus de feudo Sancti Iacobi de Belmineo tantum, sub consueto militari ser-

vitio, iuxta formam cuiusdam privilegii eidem Simoni a dicto Serenissimo Rege Alfonso concessi, dati Cayete XXVI Decembris 1489, per quod presumitur eidem Simoni in dicto feudo per eundem Regem largam formam fuisse concessam; quod quidem privilegium in ipsa Cancellaria non apparet; ob quod mihi persuadere non possum Regem ipsum absque legitima causa formam predictam ampliare voluisse, cum Sicilie Reges, pro Regni conservacione et Regii demanii augmento, potius formam stringere quam ampliare consueverint, nisi pro Regni adquisicione, bono pacis et alijs privilegiatis auxiliis hoc factum extitisset. Nihilominus, quicquid sit, ipsa in investitura nulla fit mentio, quare feudum Sancti Iacobi prelibatum a prefatis Cesarea et Loysio de Contarino iugalibus, a prelibato Petro de Modica, ratione dotis ut supra dependentibus, defecerit et in predictum Simonem Morisco legitime devenerit, aut si idem Simon ex ipsis Cesarea et Loysio iugalibus legitime descenderit, ad quod edendum pro Curie cautela possessores feudi ipsius compelli deberent.

Postmodum autem feudum sancti Iacobi de Belmineo in Anthonii et Petri Morisco posse simul pro indiviso pervenit. Qui de huiusmodi feudo ob mortem prefati Simonis investituram non acceperunt. Verum XX^o Ianuarii XIII^o Inditionis 1479, ob Serenissimi Regis Ioannis mortem, de illo investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 341 notatam reportarunt.

Mortuo exinde Petro Morisco prelibato, feudum ipsum Sancti Iacobi de Belmineo in posse Almisende dicti Petri filie devenit, que pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iuxta formam sui privilegii, a quondam Ferdinando d'Acuña tunc Regni Prorege de ipso feudo integro, iuribus Curie et alterius semper salvis, X^o Octobris X^o Inditionis 1491 investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 168 notatam obtinuit.

Praeterca XX^o martii X^o inditionis 1492 alia demonstratur investitura in Regie Cancellarie dicti anni libro, in cartis 10 notata, per Philippum de Morisco ob mortem prelibati Petri de Morisco, eius fratris, de certa parte seu quota dicti feudi una cum alijs possessoribus reliquarum quotarum feudi eiusdem comuniter pro indiviso capta, adeo quod apparet feudum ipsum in posse plurium personarum existere, per quas hodie, anno 1512 decurrente, feudum ipsum possidetur; tamen propter non captas investituras de huiusmodi feudi possessorum nominibus et cognominibus nulla dari potest ratio. Quod feudum anno quolibet reddit uncias 07 L.

Et nobilis Petrus Pompeus veluti maritus et legitimus administrator dicte domine Almisende filie dicti quondam Petri Morisco de

dicto sancti Iacobi feudo ob mortem domini Regis Ferdinandi a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram, die XVIII^o Ianuarii V^o Inditionis, notatam in libro anni 1516 in cartis 502, et iuravit dictam medietatem ipsius feudi per eum possessam reddere 07. XX.

Medietas vero dicti feudi Sancti Iacobi de Belmineo venit ultimo loco in posse Francisci Morisco descendentis ex dicto Petro Morisco seniori, de quo in Cancellaria nulla apparet investitura; tamen ipse Franciscus ob mortem domini Regis Ferdinandi a dicto don Ioanne de Luna Preside de dicto feudo sancti Iacobi cepit investituram, die XXI^o Ianuarii V^o Inditionis, notatam in libro anni 1516 f.º 485, et iuravit reddere dicta medietas. 07. XXV.

Et mota lis per dictum Franciscum de alia medietate dicti feudi contra dictam dominam Almisendam et Laurentium de Gulfis, eius filium primi matrimonii, et Augustinum de Pompeo eius maritum, tandem dicti iugales et filius eidem liti et questioni cesserunt, ut patet in actis notarii Angeli de Aurifice de Notho XXVII^o Marcij IX^o Inditionis 1521, virtute cuius dictus Franciscus Morisco de dicta alia medietate ipsius feudi possessa per eosdem iugales et filium cepit investituram a don Hectore Pignatello Vicerege pro se suisque heredibus et successoribus imperpetuum die XII^o Iulii VIII^o Inditionis 1521, notatam in libro Cancellarie anni X^o Inditionis 1521 in cartis 289, et iuravit reddere tantumdem.

Solarini Feudum

Quo vero ad feudum Solarini dico, quod a dicto anno 1394, quo tempore prenominati Cesarea et Loysius de Contarino iugales vivebant, usque ad hodiernum, anno 1512 decurrente, nullus in Regia Cancellaria reperitur actus seu investitura, quibus noticia dari possit, in cuius posse ipsum Solarini feudum devenerit. Nihilominus quia a tempore regiminis dicti Serenissimi Regis Ioannis usque ad presens Siracusana civitas, simul cum nonnullis aliis terris, sub Reginali dominio in Camera persistit, coram qua Regina seu eius gubernatore feudatarij Reginalis Camere de eorum feudis se investire solent; et feudum ipsum Solarini in territorio dicte Siracusane Civitatis, ut predicatur, positum est; possibile esset quod a dicto tempore,

quo dictus Rex Ioannes regnabat, usque ad presens possessores ipsius feudi Solarini investituras a dictis Reginalibus gubernatoribus obtinuerint, quarum investiturarum note in archivio dicte Reginalis Camere conserventur. Et sic nullam dare valeo rationem, qui fuerint vel sint ipsius Solarini feudi possessores, aut si ex primo acquirentore legitime descendant. Tamen ante regimen dicti Serenissimi Regis Ioannis acta feudalia Regni in Regie Cancellarie archivio reperiuntur, cum totum Regnum sub Regio tantum dominio observatum fuisset. Et nihilominus de dicto Solarini feudo nullus actus nullaque investitura reperitur, ob quod ad Regie Curie interesse, prout iuris fuerit, providendum est.

Baronissa Feudum, alias Ictibillini

Feudum Baronissa alias Ictibillini nuncupatum, in valle Nothi et territorio terre Castri Ioannis positum, per quondam Nicholaum de Palamaro eiusque uxorem ac Bernardum de Palamaro eorum filium successive antiquitus possidebatur; quo tamen iure, nullus in Regia Cancellaria titulus apparet. Tandem, ipso Bernardo sine liberis suo de corpore legitime descendantibus decedente, feudum ipsum Regie Curie fuit apertum et devolutum, illudque Serenissimus Rex Martinus quondam Henrico de Grimaldo Castri Ioannis illiusque imperpetuum heredibus et successoribus, sub consueto militari servicio, pretio unciarum centum huius Regni monete, eius Regio mediante privilegio dato Cathanie II^o Ianuarii VIII^o Inditionis 1399, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 12 notato, vendidit, cum clausula scilicet: Promittentes nos et nostrum fiscum et eius bona solemniter obligantes cuicumque in futurum legitime ostendenti ius et causam in et super dicto feudo eidem Henrico vendito habere rationabiliter posse pretendere, eidem condignum precium solvere vel de equivalenti excambio providere, cum oblatione de qualibet evictione etc. faciensque eidem donationem inter vivos irrevocabilem, de illo pluri quod feudum antedictum valeret dimidie iusti precii, deceptione alijsque legibus et Constitutionibus Sicilie Regum super ipsa vendicione contrarium disponentibus non obstantibus, quibus

ex Regie potestatis plenitudine ac de certa scientia derogavit, prout in ipso privilegio continetur.

Mortuo postmodum ipso Henrico Grimaldo, feudum ipsum Ytibillini seu Baronisse dicte donationis vigore ad Franciscum Grimaldum illius filium pervenit. Qui dum vixit, illud tenuit et possedit et tamen nulla apparet capta per eum investitura. Ipsoque Francisco Grimaldo deficiente, eius cum testamento suus in dicto feudo investitus fuit heres Anthonius Grimaldus, eius filius, cum hoc quod, casu quo in minori etate Anthonius ipse sine liberis decederet, eodem in feudo posthumus ex eodem Francisco nasciturus succederet; sed si omnes sine liberis obirent, tali casu Franciscus ipse Iacobum Grimaldum eius fratrem et prenominati Henrici filium substituit. Quo quidem Anthonio sine liberis tandem defuncto, posthumoque ipso non nato, ipsius testamenti vigore prefatus Iacobus Grimaldus prelibati feudi possessionem obtinens, cum inserto tenore privilegii dicti Regis Martini pro se suisque heredibus et successoribus, sub consueto militari servicio a don Lupo Ximenes Durrea tunc Regni Prorege, Regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, XII^o Iulii prime Inditionis 1453 investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 451 notatam reportavit.

Prefato tamen Iacobo decedente, sibi in dicto Baronisse feudo successit Iacobus Grimaldus ipsius Iacobi filius. Qui pro se suisque heredibus et successoribus, sub consueto militari servicio a tunc Prorege, XXIII^o Ianuarii V^o Inditionis 1471, investituram in Regie Cancellarie libro anni 1470 in cartis 128 notatam consequutus fuit.

Defuncto tamen ipso Iacobo Grimaldo Iuniore, sibi in dicto Ytibillini seu Baronisse feudo successit Pinus Grimaldus, eius filius, qui pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus a Ioanne de Lanuça tunc Prorege de ipso feudo, XVIII^o Octobris VIII^o Inditionis 1505, investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 70 notatam obtinuit.

In presentiarum autem, anno 1512 decurrente, feudum ipsum Baronisse seu Ytibillini per dictum Pinum Grimaldum possidetur et reddit anno quolibet 07. XX.

Et nihilominus, cum Vestra C. Maiestas, prout superius dictum est, quecumque Regni demanialia precio segregata, eodem precio, in vim Regie Pragmatice Post BELLA Regni Sicilie citra Farum cum Marchie Anconitane etc. vocate, recuperare possit suoque Regio Demanio agregare, propterea feudum ipsum Baronisse pro precio unciarum centum, pro quibus a Serenissimo Rege Martino venditum fuerat, in vim eiusdem Pragmatice recuperare potest sueque Regie Curie-

iterum restituere. Dictus vero Pinus a don Ioanne de Luna cepit investituram de dicto feudo ob mortem domini Regis Ferdinandi die XVI^o Decembris V^o Inditionis 1516, notatam in libro dicti anni in cartis 290, et iuravit tactis Scripturis reddere. . . . 07. XX.

Spalla Bigeni Mustrari et Priolo feuda

Feuda Spalla, Bigeni, Mustrari et Priolo vulgo nuncupata, in valle Nothi et territorio Auguste posita, per quondam Gulielmum Raymundum de Montecatheno, olim Auguste Comitem, antiquitus possidebantur; quo tamen iure, nullus in Regia Cancellaria titulus apparet. Tandem cum ipse Gulielmus Raymundus contra Reges Martinum et Mariam rebellionem patrasset et per Magnam Regiam Curiam sententiam in castro Cathaniensi XVI^o Novembris VI^o Inditionis 1397 rebellis declaratus inde fuisset, ipsa quatuor feuda Regie Curie aperta et devoluta fuere, illaque Reges ipsi quondam Agathe tunc uxori quondam Galterij de Alea et sorori quondam don Thomasii Siracusani Episcopi, serviciis ipsius Regie Curie circa conservationem fidelitatis Siracusane civitatis prestitis consideratis, ipsiusque Agathe heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio iuribusque Curie et alterius ac Regni Constitutionibus semper salvis, concessere; sicuti in ipsorum Regum privilegio in Regie Cancellarie dicti anni libro 1397 VI^o Inditionis in cartis 13 notato continetur.

Perquisitis tamen per me Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1397 usque ad hodiernum, anno 1512 decurrente, nulla investitura aliave de ipsis feudis scriptura reperitur, minusque qui in illis inde successerint sive per quos ad presens possideantur comprehendi potest, adeo quod mihi persuadeo possessorem ipsius Comitatus Auguste, sub pretexto quod ipsa quatuor feuda de ipsius Comitatus pertinentijs existant, illa sibi usurpasse et tandiu preter debitum detinuisse; quo casu, si ita esset veritas, in contrarium etiam existeret; nam tam per privilegia dicti Regis Martini, quam per infra nominatam investituram Priolo unius ex prenominatis feudis, constat eadem quatuor feuda de ipsius Auguste Comitatus pertinentijs non fuisse, immo feuda de per se antiqua et ab ipso Auguste Comitatu

separata extare. Nihilominus de ipso tantummodo feudo Priolo quaedam reperitur investitura VII^o Augusti III^e Inditionis 1486 per quondam Gulielmum de Montecatheno a don Gaspare de Spes tunc Regni Prorege obtenta, per quam apparet eidem Gulielmo ipsum Prioli feudum in dotem per dominam Catherinam eius uxorem, filiam quondam Ioannis de Cardines militis, apportatum fuisse, prout in ipsa investitura in Regie Cancellarie libro anni 1485 in cartis 488 notata late patet.

Ecce ergo quod ipsum Prioli feudum per prefatam Catherinam et non per comitem dicti Comitatus Auguste possidebatur. Tamen quo iure ad ipsam Catherinam devenerat non apparet; unde cum in ipsa Regia Cancellaria non reperiatur, in cuius posse ipsa quatuor feuda ad presens reperiuntur, est ex parte fisci Regii perquirendum, in cuius posse existant et quo titulo; sed quavis ex descendencia feuda ipsa per quospiam possideantur, quia a dicto anno 1397 usque ad hodiernum, anno 1512 currente, per quod tempus anni fere 115 connumerantur, nulla investitura aliave scriptura reperitur, per quam de successione et possessore ipsorum quatuor feudorum mentio fiat, adeo quod non dubium est maximam fuisse commissam fraudem per dictum Comitem Auguste seu per ipsorum feudorum possessores. Et ideo pro Curie cautela veritas videatur.

Dictaque domina Catherina de dicto feudo fecit donationem propter nuptias Catherinelle eius filie de Mexia, ut patet in contractu acto manu notharii Bartholomei de Fatalia de Siracusa die X^o Ianuarii VII, Inditionis 1518, que matrimonio coppullavit don Francisco de Alagona, qui cepit investituram XXII^o Martij VII^o Inditionis 1519 in libro anni predicti in cartis 126.

Noviter vero dicta domina Catherina de Cardines de dicto feudo lu Priolo, ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die XXII^o Ianuarii V^o Inditionis notatam in libro anni 1516 in cartis 424, et iuravit reddere 07. XXXX.

Dictum vero feudum Spalla possidebatur per quondam Franciscum Gargana, qui iam cepit investituram per Regiam Cancellariam; quo mortuo, successit in dicto feudo Franciscus Gargana iunior, eius nepos, filius quondam Anthonij filij dicti Francisci senioris, qui Franciscus iunior nullam cepit investituram.

Noviter Franciscus ipse iunior, ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside de dicto feudo Spalle cepit investituram die XVIII^o Ianuarii V^o Inditionis, notatam in libro anni 1516 in cartis 452, et Franciscus de Parisio eius procurator in animam constituentis iuravit dictum feudum reddere. . 07. XV.

Burgilfeza Feudum

Feudum Burgilfeza dictum, in valle Nothi et territorio terre Mohac positum, per quondam Perrellum de Mohac antiquitus possidebatur; quo tamen iure, in Regia Cancellaria non invenitur. Tandem nonnullis ex causis feudum ipsum Regie Curie apertum extitit et devolutum, illudque Serenissimus Rex Martinus Alamanno de Pulchropodio Algozirio suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, eius cum Regio privilegio dato Cathanie XXVI^o Februarii VI^o Inditionis 1397 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 37 notato concessit.

Viso exinde per me Regni feudorum repertorio in Regie Cancellarie Archivio reposito, a dicto anno 1397 usque ad hodiernum, anno 1512 decurrente, nullum privilegium actumve sive investituram de dicto feudo repperi, minusque noticia habetur in cuius posse existat. Tamen firme teneo, cum terra ipsa Mohac in Comitatus titulum erecta fuerit, et in Baronis potestate existat, ipsius Comitatus Comitum feudum ipsum Burgilfeza sibi cepisse, asserens illud de iuribus et pertinencijs dicti Comitatus Mohac forsitan extare. Tamen, si ita esset, quod dictum Burgilfeza feudum in ipsius Comitatus pertinencijs persisteret, etiam evidenter decipisset illud usurpatum et tamdiu preter debitum detentum fuisse, nam ipsius Comitatus concessio in feudum per Serenissimum Regem Martinum quondam Bernardo de Craparia et suis imperpetuum heredibus in anno 1392 facta fuit: hec vero per eundem Regem Alamagno de Pulchropodio tamquam de feudo predicti Perrelli de Modica Regie Curie aperto, ut supra dictum est, in anno 1397 facta extitit et sic apparet post annos fere quinque illam factam fuisse; quo casu dicendum non est ipsum Burgilfeza feudum de dicti Comitatus pertinencijs non esse, immo ab illo penitus separatum; unde contingere potuisset, quod propter extinctam prefati Alamagni de Pulchropodio genealogiam feudum prelibatum Regie Curie fuisse et esse devolutum (*sic*). Et ideo veritas pro Curie cautela exquiratur.

Buchalca feudum

Feudum Buchalca appellatum, quod antiquitus casale fuerat, in valle Nothi iuxta baroniam Militelli positum, per quondam Henricum Rogerij de Luchetta antiquitus possidebatur; quod feudum et casale cum in Curie demanium revocatum extitisset, Adelicia, prefati Rogerij neptis, tunc Soldani de Gualdo uxor, non sine labore conata est, nomine dicti eius avunculi, a posse Regii demanij recuperare; quibus quidem laboribus consideratis, idem Henricus prelibatis Soldano et Adelicie iugalibus eorumque imperpetuum heredibus omne ius et actionem, quod et quam in dicto Buchalce feudo habebat et sibi competeat, donatione inter vivos irrevocabili concessit, sicuti quodam in donationis contractu olim die XXIII^o Iulii prime Inditionis 1228 quindecim testibus firmato continetur, ipsamque donationem Serenissimus Imperator Fidericus prelibatis Soldano et Delicie iugalibus eorumque heredibus, servicio militari ac mandato et ordinacione Regia salvis, suo cum Imperiali privilegio dato apud Sanctum Laurentium mense Augusti II^o Inditionis 1229 acceptavit et confirmavit. Item per aliud rescriptum quondam Ioannis de Romania, tunc Imperialis dothane de secretis et questorum magistris, in mense Octobris III^o Inditionis 1229 factum, apparet factam fuisse de finibus dicti feudi et casalis declaracionem denotantem in ipso feudo salmas mille seminari consuevisse, preter terras aridas.

Quibus quidem Soldano et Adelitia iugalibus donatariis antedictis e vita sublatis, illis in dicto feudo Tornainbeni Gualdus eorum filius et heres successit.

Defuncto postmodum prefato Tornainbeni, sibi in eodem feudo successit Soldanus eius filius et prelibatorum Soldani et Adelicie nepos, et subsequenter quondam Soldanus Gualdus quondam Federici Gualdi filii prefati Soldani Gualdi iunioris filius, ac exinde Soldanelus tercius Soldani filius, successivis temporibus, a tempore scilicet donacionis et confirmacionis predictarum, successerunt ac casale prenotatum Buchalce sive feudum tenuerunt et possiderunt, debitum militare servicium prestando. Tandem ipso Soldanello Gualdo decedente nullis relictis suo de corpore heredibus, virtute dispositionis et substitutionis testamentarie Soldani eius patris volentis et disponentis, quod si eundem Soldanelum filium suum mori contigisset, filiis legitimis non

derelictis, eodem in feudo Iacoba ipsius Soldani testatoris soror succederet, Iacoba ipsa successit et se in possessionem ipsius feudi immisit. Qua Iacoba in ipsius feudi possessione persistente, Regia Curia feudum predictum, tamquam de Regie ipsius Curie excadencijs, sibi cepit et inde nonnullis personis concessit, postremo autem feudum prelibatum in Simonelli de Ruirra posse devenit. Deficiente demum prenominata Iacoba, cum Signorella eius filia, tam per viam successionis, quam iuribus ipsius Iacobe progenitorumque suorum, preponderet feudum predictum ipsi Signorelle competere, contra prefatum Simonellum Ruyra dicti feudi possessorem in Magna Regia Curia litem intemptavit. Sed per Magnam Regiam Curiam in favorem dicte Signorelle declarato, Simonellus predictus ad Sacre Regie Conscientie iudicem appellavit, per quem dicte Magne Regie Curie sententia confirmata extitit; decursis postmodum fatalibus, Simonellus prelibatus per viam supplicationis coram Serenissimo Rege Federico eiusmodi rei iustitiam petiit: sed quia fatalium tempus decursum fuerat, Simon predictus audiri non potuit. Immo Rex ipse Federicus prenominata Signorelle suisque imperpetuum heredibus et successoribus, sub consueto militari servicio, feudum Buchalce prelibatum, cum clausula non obstante quod feudum ipsum fuerit per modum excadentie Regie Curie devolutum et per ipsam Curiam per aliquot tempus possessum, ac exinde prefato Simonello concessum, ratificavit et confirmavit ac de novo concessit. Et nihilominus concessionem eidem Simonello factam, privilegium et scripturas inde subsequutas, ex sua certa Regia sciencia et expresse postmodum annullavit illisque derogavit. Ita quod prefata Signorella illiusque heredes feudum ipsum, sub dicto onere militaris servicii, iure Francorum iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, possideret; quemadmodum in ipsius Regio privilegio dato in terra Abole X^o Iunii XIII^e Inditionis 1375 continetur.

Inde vero ad tempora Signorella antedicta, que quondam Manfrido de Marino matrimonio iuncta erat, et Cosmerius ipsorum iugalium filius, Viceregia preheunte licencia, Rogerio de Albegino de Calatagirono pro uncijs centum quinquaginta, sub dicto militaris servicii onere, vendiderunt, prout in quodam venditionis instrumento, manu notharii Ioannis de notario Raynerio in terra Minei primo Decembris III^e Inditionis 1419, contineri asseritur. Quem quidem vendicionis contractum Vicereges ipsi prefato Rogerio de Albegino eiusque heredibus, iure Francorum, sub dicto militari servicio, iuribusque Curie et alterius semper salvis, confirmarunt; quemadmodum in eorum viceregia provisione data Panhormi X^o Maij XIII^e Inditionis 1420 et

in Regie Cancellarie libro anni 1419 in cartis 306 notata, late patet.

Perquisitis itaque per me Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1420 usque ad hodiernum, anno 1512 currente, per quod tempus anni fere nonaginta duo connumerantur, nulla investitura actusve sive scriptura de dicto Buchalce feudo reperitur in personam descendantium prelibati Rogerij de Albegino facta, minusque ipsa in Cancellaria reperitur, in cuius posse ad presens existat. Tamen possibile esset ipsos possessores de ipso feudo in Reginali Camera investituram obtinuisse, cum in territorio Minei positum existat ipsum feudum, que Minei terra de dicta Camera est, et ab ipso demanio separata; quod totum in contrarium reperitur, nam ipsum feudum in demaniali territorio positum esse apparet, scilicet prope Militellum et Palagoniam: quod si ita esset, feudum ipsum a Regia iurisdictione usurpatum fuisset et Regia iura relevii, decime et tarenii ac marce argenti, dolo et fraude occupata. Et ideo ad Regie Curie indemnitatem attendendum est.

Nihilominus quicquid sit, Serenissimo Rege Martino regnante, cum feudum ipsum per prefatam Signorellam et Cosmanum de Marino eius filium possideretur, uterque in rebellionem incidit, Gulielmi Raymundi de Montheateno rebellis partem insequendo, qui una cum eius complicitibus per Magne Regie Curie sententiam rebellis et proditor declaratus fuit, cum illorum honorum feudaliurn burgensaticorum et se moventium confiscatione ad Regium Demanium. Quam ob rebellionem cum feudum ipsum Buchalce Curie Regie apertum et devolutum extitisset, Rex Martinus antedictus feudum predictum Bernardo Russello Siracusano eiusque heredibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio concessit. Sed quia ipso in feudo prefata Signorella mater prelibati Cosmani, qui etiam per dictum Regem rebellis dicebatur, ius habere pretendebat, Rex ipse Martinus ipso Bernardo Russello suisque heredibus contra prefatam Signorellam Regie Curie iura in dicto feudo cessit; renunciatis prius per ipsum Bernardum ipsi Regie Curie quibuscumque gracijs sibi per Sicilie Reges forte factis, prout in ipsius Regis Martini privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1397 VI^o Inditionis in cartis 3 notato, latius exaratur. Quod quidem in privilegio non reperitur data neque secretarij mandatum, nisi tantum firma ipsius Regis, et nihilominus repertorium Cancellarie, in quo antiqua et moderna privilegia, remissiones et alia acta descripta sunt, perquirere procuravi. Sed nullam remissionem aut in integrum restitutionem in personam ipsius Signorelle et Cosmani matris et filii factam inveni. Quo casu mirari contingit, quare ipsa Signorella sententiam obtinuerit, cum nulla ostendatur Regia remissio et in integrum restitucio, minusque-

de sue innocencie purgacione constiterit. Nam si forte prelibati Bernardi Russellii, qui feudum ipsum a dicto Rege Martino habuit, ob rebellionem dicte Signorelle et Cosmani, heredes aliqui non apparerent, Regia Curia in vim Regiarum exradenciarum feudum ipsum ad se revocare posset. Et ideo veritas exquiratur et quod iuris fuerit videatur.

Belvidiri Feudum

Feudum Belvidiri nuncupatum, in valle Nothi et territorio Siracusarum positum, per Bartholomeum Bisoccu et Bartholomiam iugales antiquitus possidebatur; quo tamen titulo non apparet in Cancellaria. Tandem iugales ipsi feudum ipsum Diez Sanchez de Porto Carrero pro uncijs 134, prout in quodam puplico contractu contineri asseritur, vendiderunt. Serenissima tamen Regina Blanca, tunc Regni Vicaria, ob absentiam Serenissimi Regis Martini eius viri a Regno, quia ad Aragonias partes se contulerat, infra legitimum tempus a iure statutum, iuxta Regui ipsius Constitutiones, pro dicto Rege et ad opus sue Regie Curie, persolutis eidem Diez Sanchez de Porto Carrero dictis uncijs 134 sub illis conditionibus et forma, quibus venditores ipsi illud sibi vendiderant, redemit; cuius redemptionis virtute Regina ipsa regio nomine ipsius feudi possessionem nacta est, illud per Secretum dicte Siracusane Civitatis per certum tempus possidendo.

Occurrentibus postmodum Regie Curie nonnullis necessitatibus, ad speciales eiusdem Regis licteras quondam Iacobo de Arizio militi et regni Prothonotario pro eodem precio unciarum 134 feudum Belvidiri prelibatum Regina ipsa vendidit. Quam quidem venditionem sub militari servicio Rex idem exinde confirmavit, ipsique Iacobo emptori suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus singula iura Regia sueque Regie Curie, que in ipso feudo tenerent, militari servitio, Regni Constitutionibus iuribusque Curie et alterius semper salvis, cessit; quemadmodum in ipsius Regis Martini privilegio, dato Cathanie XXV^o Septembris XIII^o Inditionis 1405 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 48 notato, late patet.

Mortuo demum dicto Iacobo de Aricio, sibi in dicto Belvidiri feudo successit Nicolaus de Aricio, eius filius legitimus et naturalis,

qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum, cum inserto tenore privilegii dicti Regis Martini, iuribus Curie et alterius semper salvis, XXIII^o Ianuarii, XII^o Inditionis 1418 ab Illerdensi episcopo et Anthonio de Cardona, tunc Regni Proregibus, investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 296 notatam reportavit.

Sed perquisitis per me a dicto anno 1418 usque ad hodiernum, anno 1512 decurrente, Regie Cancellarie codicibus, nullum actum nullamque de dicto feudo investituram inveni; ob quod nullam dare valeo rationem in cuius posse ad presens reperiatur, vel sub qua forma in illo eius possessor successerit. Tamen evenire potuisset, quod a dicto tempore, videlicet a dicto anno 1418, Siracusana Civitas Sicule Regine in Cameram concessa fuisset, et a demanio, prout ad presens est, segregata esset, quodque ipsius feudi possessores in ipsa Camera de dicto feudo se investissent, quorum acta in Reginalis Cancellarie archivo et non hac in Regia Cancellaria reperiantur. Et ideo iuris dispositioni me remitto; tamen non silebo quin dicam, quod in vim Regni Constitutionum seu Capituli VOLENTES, vel illius pragmatice POST BELLA vocate, per Serenissimum Regem Alfonso novissime sancite, quando Anchone Marcam acquisivit, de qua in huius operis principio verba feci illamque de verbo ad verbum ibidem inseri procuravi; Vestra C. Maiestas pro eodem unciarum 134 precio dictum Belvidiri feudum de iure sibi redimere posset Regioque Demanio agregare.

Quo vero ad genealogiam successorum prefati Nicholai de Aricio, quando tuo Regio iussu mihi licebit feuda Reginalis Camere in Capi-brevium redigere, totis viribus an modernus ipsius feudi possessor a dicto Nicholao de Aricio legitime successerit et ad eum iuridice devenerit clare detegere conabor; tamen inferius in presenti volumine f.^o . . . de huiusmodi feudo Belvidiri sub nomine Caranchino verba fiunt.

**Modalu di la Campana, alias Bruca sive Crixma, Cavalli
alias Churca, Captasi feuda.**

Cum de feudis vulgo nuncupatis lu Modalo di la Campana alias Bruca sive Crixma, et Cavalli alias Churca in valle Nothi, ac Captasi in valle Demine et plano Melacii positis, hoc in loco disserendum sit; primo de Captasi feudo, quod antiquitus per quondam Aloysiam de Palicio olim uxorem Nicholai de Pactis tunc Baronis Scalecte possidebatur, quia superius hoc in opere in cartis . . . de eo verba facta sunt, nil aliud dicam, nisi quod in Cancellaria nullus apparet titulus, sub qua forma et quo iure per ipsam Aloysiam possidebatur, aut si de illo ad sui libitum voluntatis disponere poterat, cum de eodem Captasi feudo quondam Sallimbenio de Marchisio militi suisque in perpetuum heredibus donacionem fecerit inter vivos irrevocabilem, prout de huiusmodi donacione patet publico instrumento acto Messane in anno 1400; quam donacionem apud acta Curie Messane insinuatam apparet. Serenissimus Rex Martinus prefato Sallimbenio de Marchisio suisque imperpetuum heredibus et successoribus exinde acceptavit et confirmavit; ac illi omnia iura sue Regie Curie super dicto feudo competencia quovis modo, et presertim ea ratione quod personis et locis incapacibus per dictum quondam Nicolaum de Pactis sint onera relicta super eodem feudo, de novo concessit; quemadmodum in eius Regia confirmatione, data Cathanie XX^o Novembris XII^e Inditionis 1403 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 39 notata, continetur.

Deinde autem ex dicto Sallimbenio de Marchisio successit Marchisius de Sallimbenio de Marchisi, illius nepos, qui feudum Captasi antedictum Antonelle eius sorori et tunc Iulii Sanctii de Platamone uxori, in satisfacionem sue dotis de paragio, dedit et consignavit. Unde feudum ipsum predicti Iulius Sanctius de Platamone et Antonella iugales possederunt. Et sic ad ea, que in dicti Captasi feudi capitulo late dicta sunt, me refero; hec tamen hoc in loco dicenda esse duxi, ut melius que de predictis feudis lu Modalo di la Campana Bruca, Crixma et Cavalli, alias Churca, dicenda comprehendi possint.

Modalu di la Campana alias Bruca sive Crixma

De feudis vero lo Modalu di la Campana, alias Bruca sive Crixma, dico, quod per quondam Anthonium de Sclafano alias de Montecateno Adernionis comitem antiquitus possidebatur; quo tamen iure nullus in Cancellaria titulus apparet. Nihilominus feudum ipsum quondam Sallimbenio de Marchisio seniori suisque inperpetuum heredibus et successoribus Comes ipse concessit; sed cum antiquus titulus ipsius Comitis non appareat in Cancellaria, dare non possum rationem si Comiti predicto taliter feudum ipsum concessum extiterat, ut de illo ad sui voluntatem disponere potuisset illudque donare et precipue sine Principis licentia, cum in Cancellaria huiusmodi non appareat licentia. Sed postquam ipsum feudum di lu Modalu di la Campana, alias Bruca sive Crixma, ad dictum Sallimbenium de Marchisio seniore devenit, cum quamdam eius filiam nomine Siciliam Benedicto Romano Messanensi matrimonio iunxisset, ipsis iugalibus prefatum feudum in dotem assignavit.

Ipsoque feudo di lo Modalu di la Campana, alias Bruca sive Crixma, in posse predictorum Benedicti Romani et Sicilie iugalium persistente: iugales ipsi cum prenominitis Iulio Sanctio de Platamone et Anthonella iugalibus ad quandam permutationis conventionem devenerunt, videlicet, quod ipsum feudum lu Modalu di la Campana, alias Bruca sive Crixma, cum feudo Captasi antedicto absque refectione aliqua permutarunt, sicuti quodam puplico in permutationis instrumento, acto manu notharii Nicholai de Francavilla de Cathania VIII^o Marcij II^o Inditionis 1438, continetur. Quam quidem permutationem et feudum eidem Iulio Sanctio de Platamone suisque imperpetuum heredibus et successoribus, sub consueto militari servicio, iuribus Curie et alterius ac Regni Constitutionibus semper salvis, Don Lupus Ximen Durrea tunc Regni Prorex, eius cum viceregia provisione data Panhorni XXVI^o Iulii prime Inditionis 1453, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 606 notata, acceptavit et confirmavit.

Inde vero ad tempus feudum ipsum di lu Modalu di la Campana, alias Bruca sive Crixma, in posse quondam Blancefloris, que secundo Iacobo Tudisco matrimonio copulata est, devenit. Sed quia a dicto anno 1453 usque ad annum 1492 non reperitur in Cancellaria privilegium sive scriptura, de dicto feudo mentionem faciens, rationem

dare nequeo, cuius fuerit filia ipsa Blancaflos ac quomodo ipso in feudo successerit; et ideo oportet possidentem ad edendum successionem eiusdem Blancafloris ac rationem dandum, quare Blancaflos ipsa de feudo predicto non se investiverit, compelli, ut percipi possit an ipsa Blancaflos recta linea ac legitime ipso in feudo successerit.

Preterea prefata Blancaflos de ipso feudo lu Modalu di la Campana, quod eisdem nominibus, puta Bruca sive Crixma intitulavit, una cum feudo Churca et li Cavalli, Ioanni Andree Tudisco filio ipsius Blancafloris et Iacobe de Tudisco iugalium, illiusque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servitio, donacionem fecit. Itaque de ipsis feudis investituram sibi procurare curet; qua obtenta, illorum realem possessionem illico consequeretur, sicut quodam in contractu celebrato manu notharii Iacobi de Carissimo Messanensi XIII^o Iulii X^e Inditionis 1492 hec et alia diffusius enarrantur.

Quem contractum, sub consueto militari servicio, iuribus Curie et alterius semper salvis, don Ferdinandus Dacuña tunc Regni Prorex, eius cum viceregia provisione data Messane VII^o Augusti X^e Inditionis 1492, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 442 notata, confirmavit.

Ipsa vero Ioannes Andreas de Tudiscis pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, a dicto Prorege de dicto feudo Churca, quod non Crixma neque li Cavalli nominavit, que nomina erant collateralia ipsis feudis, de feudo vero la Bruca pro se suisque heredibus et successoribus investituram datam Panhormi VIII^o Augusti XI^e Inditionis 1493, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 356 notatam, reportavit.

In presentiarum autem, anno 1512 currente, ipsa feuda per dictum Ioannem Andream Tudiscum possidentur, que annis singulis reddunt 07 . . .

Sed quia de prenominato feudo Churca hoc in opere superius in cartis . . . suffieienter dixi, hoc in loco nil aliud dicendum esse proposui, nisi quod ignoro an feudum li Cavalli sit ipsum feudum Churca; nam in donacione per prefatam Blancamfloreem Ioanni Andree eius filio facta dictum feudum nominatur Churca et li Cavalli, in investitura vero post dictam donacionem per prefatum Ioannem Andream capta nominatur Churca tantum et non li Cavalli. Nihilominus videatur an dictum feudum li Cavalli sit membrum separatum ab ipso feudo Churca pro Curie cautela.

Dictusque Ioannes Andreas ob mortem domini nostri Regis Fer-

dinandi a don Ioanne de Lanuça Preside de dicto feudo Bruca una cum feudo Churca impetravit investituram die VII^o Ianuarii V^o Inditionis, notatam in libro anni 1516 in cartis 357, et Bernardinus de Perricono eius procurator iuravit dictum feudum reddere uncias

Bidino, sancti Iacobi, li terri di la Ecclesia, la volta di la Monaca, li terri di la Spina, li terri di Petralonga, Bruchectu, Saliuella et Santellu feuda.

Feudum lu Bidino vulgari eloquio nuucupatum, in valle Nothi et iuxta territorium terre Calatagironis ac secus feudum di lu Biscari positum, per quondam Leonoram uxorem quondam Ioannis de Pisano Castri Ioannis antiquitus possidebatur; quo tamen iure illud tenebat sive quomodo in illo successerit, nullus apparet in Cancellaria titulus. Tandem Leonora ipsa de feudo predicto quondam Goffrido Rizari, legum doctore, suisque imperpetuum heredibus et successoribus eius, actentis serviciis sibi prestitis, cum reservacione usufructus eius vita durante, qui usufructus post eius mortem cum ipsius feudi proprietate uniretur, donacionem fecit, cum pacto etiam, quod cum dicta Leonora donatrix feudum ipsum cuidam Anthonio de Amato de Claramonte per decennium unciarum LX precio vendidisset, de quibus quandam partem reportaverat Goffridus ipse donatarius, de ipsa vendicione contentaretur seu curaret, quod ipsa donatrix dictarum unciarum LX complementum reportaret. Quodque si donatarius ipse in aliquo de contentis in contractu huiusmodi donacionis prevenisset, donatio ipsa esset nulla ac si facta non fuisset, habitis etiam pro revocatis per ipsam donatricem omnibus et singulis scripturis seu alienacionibus aut donationibus per eam forte de dicto feudo factis et fiendis; quemadmodum in ipso donacionis contractu manu notharii Mathei de Profecto Cathaniensis, XV^o Aprilis VIII^o Inditionis 1445 celebrato, hec et alia diffusius continentur. Quam donacionem inde ad annos fere duos, cum Magne Regie Curie insinuacione, prefato Goffrido Rizari suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servitio, Regni Constitutionibus iuribusque Curie et alterius semper salvis, quondam don Lupus Ximen Durrea, tunc Regni Prorex, eius cum Viceregia provisione data

Panhormi XIII^o Februarii X^o Inditionis 1446, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 203 notata, acceptavit et confirmavit.

Qua quidem in Viceregia provisione nulla fit de Principis licentia mentio, que licentia similiter ipso in contractu, prout in feudilibus requiritur, reservata non extitit. Et quod peius est, confirmacio Viceregia prenarrata per annos fere duos post dictam donacionem, ut predicatur, obtenta fuit; ob quod in ipsa confirmacione Viceregia de ipsa non reservata neque obtenta Principis licentia in contractu dicte donacionis, cum Regia vel Viceregia dispensacione pene in quam donatrix et donatarius inciderant, erat mentio fienda. Unde necesse est omnino edi titulum prefate Leonore donatricis, ut percipi possit, si ea sub forma illud tenebat, quod de eo ad sui votum disponere ipsumque in aliam agnacionem, puta in non descendantibus ab ipsa donatrice, transferre potuisset, ad quod pro Curie cautela est recte attendendum.

Deinde vero dictum Bidini feudum in posse quondam Petri Rizari militis Cathaniensis devenit; quo tamen iure prelibato Goffrido Rizari successerit, nullam dare valeo rationem, cum non appareat ipsum Petrum de dicto Bidini feudo ob mortem prefati Goffridi se investisse, seu quomodo successerit docuisse. Sed tantum appareat ipsum Petrum in tunc Proregis manibus iuramentum et homagium in forma debita et consueta pro dicto feudo Bidini ac pro feudo Sancti Iacobi, sito et posito in valle Nothi, prestitisse, prout in ipsius iuramenti nota X^o Decembris XIII^o Inditionis 1464 acta, et in Regie Cancellarie libro anni 1463 in cartis 228 notata, continetur.

Et ideo possidens ad edendum qualiter idem Petrus Rizari ob mortem prelibati Goffridi de ipso feudo non se investiverit, pro Regalis preheminentie et Regni statutorum observatione, cogi deberet.

Postmodum autem idem Petrus Rizari de ipso Bidini feudo Aloysie eius nepoti Pauluchii de Minardo uxori, iugalibus, propter nuptias donacionem fecit, pro quibus iugalibus Alienora uxor relicta quondam Iacobi Rizari, ut halia et tutrix ipsius Aloysie, de dicto Bidini feudo pro se suisque heredibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, V^o Madij XI^o Inditionis 1508 a don Raymundo de Cardona tunc Regni Vicerege investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1507 in cartis 555 notatam, reportavit.

In presentiarum autem, anno 1512 currente, feudum ipsum lu Bidino per prefatos Pauluchium et Aloysiam de Minardo iugales possidetur, et reddit anno quolibet 07. XXXXVIII

Qui quidem Paulus de Minardo, tamquam maritus Aloysie, de dicto Bidini feudo a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram

ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis die VII^o Ianuarii V^e Inditionis 1516, notatam in libro Cancellarie dicti anni folio 372, et iuravit reddere quolibet anno 07 XXXXVIII

•

Sancti Iacobi feudum

Feudum verò sancti Iacobi, in valle Nothi ut predicatur positum, per prelibatum Petrum Rizari virtute iuramenti in manibus tunc Proregis X^o Decembris XIII^o Inditionis 1464 prestiti, et in Regie Cancellarie libro anni 1463 in cartis 228 notati, ut predicatur, possidebatur.

Tamen ipsa in Cancellaria nullus apparet titulus, sive privilegium, aut investitura aliquando per ipsum Petrum sive suos progenitores seu postmodum eius successores obtenta; minusque percipi potest in cuius posse ad presens, anno 1512 currente, feudum ipsum existat, et sic nulla dare potest ratio de his, et ideo veritas per fiscum Regium pro Curie cautela inquiri debet.

Terre Ecclesie, Volta di la Monaca feuda

Terre di la Ecclesia autem et la Volta di la Monaca feuda, in valle Nothi et territorio Castri Ioannis existencia, antiquitus possidebantur, videlicet: la Volta di la Monaca per quondam notarium Laurentium de la Monaca et notarium Berardum Rizo de ipsa terra Castri Ioannis. Terre vero di la Ecclesia per Priorem Prioratus ecclesie sancti Iacobi de Altopasso dicte terre Castri Ioannis sub regula sancti Augustini; tamen nullus in Cancellaria apparet titulus quo ratio dari valeat, quo iure ipsis Prioratui et Laurentio ac Berardo devenerint.

Tandem quondam frater Paulus de Grasso prelibati Prioratus Prior notario Laurentio la Monaca et notario Berardo Rizo in solidum eo-

rumque heredibus et successoribus imperpetuum, sub annuo censu unciarum duarum eidem ecclesie sive Prioratui sancti Iacobi, in mense Iulii in festo divi Iacobi solvendarum, feudum predictum di li terri di la Ecclesia dedit et concessit; Serenissimusque Rex Alfonsus Vestre Maiestatis patruus, ad ipsorum notariorum supplicationem, terras antedictas di la Volta di la Monaca cum eodem feudo di li terri di la Ecclesia incorporavit et coniunxit atque univit; ipsas terras in unum tamen feudum et membrum perpetuo habendum constituit vendiditque preterea Rex ipse prelibatis notario imperpetuum iura baiulie ruralis ac rantarie et dohane in feudo predicto pro unciis decem. Quemadmodum de ipsa infeudacione et regalium iurium vendicione ac aliis late patet quodam in privilegio ipsius Regis Alfonsi dato in Castello Novo Neapolis XV^o Marcii VII. Inditionis 1443, de quo Viceregie emanarunt executorie in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 190 notate.

Postmodum autem feudum ipsum di li terri di la Ecclesia et di la Volta di la Monaca emptionis titulo in quondam Goffridi Rizari legum doctoris magistri rationalis et iudicis magistrorum rationalium posse devenit; tamen ipsa in Cancellaria non apparet aliquis huiusmodi vendicionis contractus, minusque reperitur per quem feudi ipsius medietas vendita extiterit.

Demum autem Goffridus ipse coram eodem Rege Alfonso comparens, illi supplicavit, quod cum ipse prope feudum antedictum di li terri di la Ecclesia et di la Volta di la Monaca nonnulla terrarum tenimenta ac alias burgensaticas terras, vulgo dictas li terri di la Spina et li terri di Petralonga, teneret et possideret, intenderetque alias salmatas centum terrarum eisdem feudo et terris contiguas et coniunctas emere, sibi gratiam facere dignaretur, ut cum dicta eius feudi medietate redduci et coadunari possent: ob quod Rex idem, tam dictas terras di la Spina et Petralonga, quam alias centum terrarum salmatas tunc emendas ut supra, univit, et cum reliqua medietate feudi terrarum Ecclesie et di la Volta di la Monaca in unum tantum feudum incorporavit, cum onere tamen, nexu, natura et preheminentia feudi ac cum recognitione, solutione, sive prestatione feudaliu[m] serviciu[m] imperpetuum, ac etiam cum iuribus, emolumentis, iurisdictionibus, baiuliis, prehemincijs et arrantariis, quas habebat et habere poterat, necnon cum potestate eodem in feudo construendi et edificandi unam turrim seu fortilicium, sicuti in ipsius Regis privilegio dato in Turri Octavii X^o septembris XII^o Inditionis 1449, de quo Viceregia emanavit executoria in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 215 notata, continetur.

Perquisitis itaque per me Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1449 usque ad hodiernum, anno 1512 currente, ut scire potuissem quis post dictum Goffridum Rizari successerit, ac feudum ipsum di li terri di la Ecclesia et di la Volta di la Monaca possederit, nullum actum, nullamque investituram inveni, quibus forte percipi posset, quis successerit in dicto feudo ac quis de presenti illud possideat. Verum Serenissimo Rege Ioanne Vestri Regii Culminis genitore defuncto, quondam Petrus Rizari successor et heres prelibati Goffridi ob ipsius Regis mortem et felicissimam Vestre C. Maiestatis successionem investituram accepit, ac debite fidelitatis et vassallagii iuramentum et homagium de feudo Bidino ac feudo Petralonga in forma debita XV^o Octobris XIII^e Inditionis 1479, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 177 notatum, prestitit.

Unde considerandum est, ne forte feudum hoc de Petralonga illud sit terrarum burgensaticarum de Petralonga nuncupatarum membrum, cum dicto feudo di li terri di la Ecclesia et di la Volta di la Monaca annexum et incorporatum, adeo quod nomen de Petralonga amissum fuerit et sub nomine feudi di li terri di la Ecclesia et la Volta di la Monaca remanserit, tamquam res annexa et incorporata ac in feudum sub nomine predicto reducta, iuxta formam privilegii dicti domini Regis Alfonsi.

Et sic inconueniens videretur, cum burgensaticum in feudum sub alio nomine reductum fuerit, quod successores prefati Goffridi primi infeudatoris terras de Petralonga cum feudo di li terri di la Ecclesia et di la Volta di la Monaca annexas et incorporatas et in feudum sub predicto nomine reductas alieno potius quam proprio nomine, iuxta provisionem et ordinationem dicti Regis Alfonsi nuncupaverit. Quapropter percipere curavi an feudum hoc de Petralonga, de quo prelibatus Petrus Rizari ob mortem dicti Serenissimi Regis Ioannis se investivit, esset aliud feudum quam burgensaticum, prout in capitulo continetur. Et tamen nullum feudum huiusmodi nominis inveni, adeo ut mihi persuadeam ipsum Petrum Rizari tanquam heredem et successorem prenominati Goffridi nature et forme dicti feudi ac privilegio dicti Regis Alfonsi infeudatorio dicti burgensatici de Petralonga in nomine feudi di li terri di la Ecclesia et la Volta di la Monaca reducti forte contravenisse: quod si ita fuisset, in penam amissionis feudi ipsius incurrisset; et ideo pro Curie cautela veritas videatur. Quicquid sit tandem, a tempore prelibati Goffridi Rizari et prenominati Petri Rizari illius heredis et successoris iamdiu defuncti usque ad presens, anno 1512 currente, nullus actus nullaque de ipso feudo, ut predicatur, investitura

reperitur, quod non sine preiudicio et detrimento Regie Curie processisse videtur.

De reliqua autem medietate feudi ipsius di li terri di la Ecclesia et di la Volta di la Monaca dico, quod sequuta morte prefati notarij Laurentij la Monaca illius primi acquisite, ut predicatur, in ipsa feudi medietate ex eiusdem testamento successit Pentheus la Monaca illius nepos. Qui pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus de ipsa feudi quota una cum baiulia, arrantaria et dohana a tunc Prorege, sub consueto militari servitio, iuribus Curie et alterius semper salvis, VII^o Iunii VI^e Inditionis 1458, investituram in Regie Cancellarie libro anni 1457 in cartis 440 notatam reportavit.

Quo quidem Pentheo la Monaca defuncto, sibi in dicta feudi di li terri di la Ecclesia et di la Volta di la Monaca medietate successit Bertus la Monaca, illius filius, qui pro se suisque heredibus et successoribus, sub consueto militari servitio, de ipsa feudi medietate ac de feudo Brucchito antedicto, sub servicio unius balistarii a don Lupo Ximenes Durrea, tunc Regni Prorege, XIII^o Aprilis V^e Inditionis 1472, investituram in Regie Cancellarie libro anni 1471 in cartis 383 notatam obtinuit.

Mortuo vero dicto Berto la Monaca, successit sibi in dicto feudo cum la Volta di la Monaca, Ioannes Nicolaus de la Monaca, eiusdem Berti filius, qui pro se et suis heredibus et successoribus obtinuit a quondam don Gaspare de Spes tunc Vicerege de feudo ipso di la Volta di la Monaca investituram die XXI^o Augusti III^e Inditionis 1486, notatam in libro anni 1485 in cartis 519.

In presentiarum autem, anno 1512 decurrente, ipsa feudi medietas terrarum Ecclesie et di la Volta di la Monaca cum dicto feudo Bruchictio per prefatum Ioannem Nicholaum la Monaca possidetur et reddit anno quolibet uncias

Et ultra dictus Ioannes Nicolaus de la Monaca cepit a don Ioanne de Luna Preside investituram, ob mortem domini Regis Ferdinandi, de feudo lo Fegocto cum la Volta di la Monaca die VII^o Ianuarii V^e Inditionis 1517, notatam in libro anni 1516 in cartis 358, et iuravit Bernardinus de Pericono eius procurator dicta feuda reddere 07. XXX

Sed ad primam medietatem feudi ipsius di li terri di la Ecclesia et di la Volta di la Monaca, de qua prima facie hoc in capitulo alloquutus fui, que emptionis titulo in posse quondam Goffridi Rizari cum illa infeudatione terrarum burgensaticarum di la Spina et di Petralonga, ac aliarum centum salmatarum terre per eum tunc

emendarum devenit: redeundo dico, quod per predicta et infra-scripta innumere denotantur contradictiones, immo potius fraudes Regie Curie illate. Nam in anno 1453, videlicet per annos fere tres post infeudacionem antedictam et privilegium dicti Regis Alfonsi pre-nominato Goffrido Rizari suisque imperpetuum heredibus concessum, quedam apparet fuisse capta investitura de ipsa feudi medietate per Petrucium Derbicella, in qua pre-nominatorum notarii Laurentii la Monaca et notarii Berardi Rizu privilegia inserta apparent, in cuius investiture narrativa verba hec inter cetera notata sunt, scilicet: Et nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse Simon et Aloysius de Iuliana miles emptionis nomine a dicto notario Bernardo territorium ipsum, nunc feudum, titulo emptionis habuissent, qui Ludovicus et Simon per certum tempus dictum feudum cum dictis iuribus suis tenuissent ac fructus et redditus percepissent, ipsique Ludovicus et Simon per quamdam notam publicam declarassent, quod dictum feudum cum dictis iuribus suis et cum onere dicti census de propriis pecuniis dicti Petri Derbicella et ad opus suum fuerit emptum etc. In principio autem dicte Viceregie investiture prelibatus Petrus Derbicella et non prefati Simon et Loysius de Iuliana nominantur. Unde nisi hoc ex scriptoris vicio sive errore processerit apparet non sine fraude et dolo hoc evenisse. Miror ergo quare tunc fisci procurator huiusmodi expediverit investituram, que in Regie Cancellarie libro dicti anni 1453 in cartis 457 notata est.

Alia similiter denotatur confusio; hec enim feudi medietas illa-met esse videtur, que dicto quondam Goffrido Rizari vendita fuit et ante prelibati notarii Berardi Rizu fuerat, nam reliqua medietas, que notarii Laurentii la Monaca fuerat, ex recta successione in Rubertum la Monaca devenit, cuius Roberti investitura reperitur usque ad annum 1474. Ecce ergo quod nullatenus stare potest, quod ex una eademque feudi medietate in uno eodemque tempore due facte fuissent venditiones, sed cum mecum discererem, an forte dictus Goffridus Rizari ex accordio ipsam feudi medietatem prefato Berardo Rizo primo acquisitori revendidisset, et deinde ipse Berardus prelibato Petro Derbicella eandem vendidisset cum de hac nulla in Cancellaria scriptura reperitur; mihi persuasi, non sine dolo et fraude prefatum Petrum Rizari investituram feudi de Petralonga cepisse, quod fuerat territorium per Regem Alfonsum ad supplicationem ipsius Goffridi Rizari emptoris, ut supra, infeudatum. Cui prelibatus Petrus Rizari successit et amisso nomine de Petralonga in nomen feudi di li terri di la Ecclesia et di la Volta di la Monaca commutatum fuit.

Nihilominus in rolo feudorum Regni, sub rubrica terre Castri Ioannis, feudum de Petralonga denotatum est, ob quod maiorem fuisse factum errorem demonstratur, cum sub alio nomine infeudatum fuerit, ut superius diffusius expositum est.

Et tamen a dicto anno 1453 usque ad hodiernum, anno 1512 decurrente, nullus actus nullaque investitura de ipsa feudi medietate per ipsum notarium Berardum Rizu prelibato Petro Derbicella vendita reperitur, minusque apparet quis ipsi Petro Derbicella successerit, quisve ipsam feudi medietatem possideat. Et ideo quid iuris fuerit pro Curie cautela provideatur. Quod feudum anno quolibet reddit uncias

Feudum Brucchitu

Feudum autem Brucchitu quomodo in feudum planum et quaternatum reductum fuerit, dico, quod in territorio dicte terre Castri Ioannis per quondam Pentheum di la Monica tria contigua et collateralia ac coniuncta terrarum tenimenta possidebantur; unum Brucchitu nuncupatum, aliud la Salinella, tertium vero Santellu; que tria tenimenta, cum idem Pentheus unire et in unum corpus reducere et infeudare exoptaret, coram quondam don Lupo Ximenes Durrea tunc in Regno Prorege comparuit; illique nonnullas licteras Universitatis dicte terre Castri Ioannis presentavit, quibus Prorex ipse certior factus fuerat se facillime posse dictam facere infeudacionem, cum non esset eidem Universitati sive alijs particularibus prejudicialis. Supplicato denique ipsi Proregi per dictum Pentheum, ut ipsam faceret infeudacionem, persolutisque ab eodem Pentheo ad iddem opus Regie Curie unciis quindecim, Vicerex ipse eidem Pentheo suisque imperpetuum heredibus privilegium ipsius infeudationis concessit. Ita quod ab inde in antea ipsa tria terrarum tenimenta in unum tantum feudum planum et quaternatum perpetuo reducerentur, nominarenturque feudum Brucchitu, ipseque Pentheus ac sui heredes ad invicem dicti feudi feudatarii et barones dicerentur ac si in Secrecia Messanensi quaternatum extitisset, quod a iurisdictionibus quorumcumque Regni officialium ac dicte terre exemit. Quodque de cetero de ipso feudo sola Magna Regia Curia cognoscere posset, nec

non quod dictus Pentheus sui que heredes de omnibus causis civilibus ad dictum feudum eiusque pertinencias spectantibus cognoscerent, prout alii Regni feudatarii cognoscere soliti sunt, reservatis tamen Regie Curie iuribus lignaminum, mineriarum, salinarum, solaciorum, forestarum et defensarum antiquarum, que de Regio sunt demanio. Quodque animalia et equitature araciaram et marescellarum Regiarum in pertinencijs dicti feudi pascua summere libere valerent ac quod dictus Pentheus sui que heredes incole essent Regni et sub Regia fidelitate in eo habitarent et morarentur, Regnique Constitutionibus et Curie iuribus et alterius cuiuscumque etiam reservatis, sub servitio unius balistarij Regie Curie prestando, prout eodem in Viceregio privilegio dato Panhorni VIII^o Iulii XI^e Inditionis 1448 et in Regie Cancellarie libro anni 1447 in cartis 454 notato continetur.

Exinde vero Pentheo di la Monaca antedicto decedente, sibi in dicto Brucchiti feudo successit Bartholomeus la Monaca eius filius successit (*sic*). Qui de illo, sub dicto servicio unius balistarii, a quondam don Lupo Ximenen Durrea tunc Regni Vicerege XIII^o Aprilis XV^e Inditionis 1472, pro se et suis heredibus et successoribus investituram in Regie Cancellarie libro anni 1471 in cartis 383 notatam obtinuit.

Hodie vero, anno 1512 decurrente, feudum ipsum Brucchitu per dictum Bertum la Monaca possidetur et reddit annis singulis uncias . .

Buchuto seu sancti Iuliani Feudum

Feudum Buchuto seu sancti Iuliani dictum, in valle Nothi et territorio terre Castri Ioannis existens, antiquitus burgensaticum fuerat territorium per quondam Anthonium la Coppera possessum; quod territorium una cum alijs terrarum sexaginta salmatis illi coniunctis et tunc per ipsum Anthonium la Coppera emendis quondam Don Lupus Ximeneu Durrea tunc Regni Prorex, ad ipsius Antonii supplicationem, infeudavit et in feudum planum, quaternatum eidem Antonio et suis heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub servicio unius balistarij Regie Curie prestando, reservatis tamen Regie Curie forensibus, baiulia, arrantaria et dohana Regie Secrecie

dicte terre Castri Ioannis debitis, ac iuribus lignaminum, mineriarum, salinarum, solaciorum, forestarum et defensarum antiquarum, que de Regio sunt demanio etiam reservatis, elegit. Quodque in dicto feudo animalia et equitature araciaram et marescellarum Regiarum libere pascua summere valerent, ac quod ipse Anthonius sui que heredes Regni incole essent et in eodem sub Regia fidelitate morentur, Regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis; pro qua infeudatione Anthonius ipse Regie Curie de uncijs decem servivit, quemadmodum in ipsius Prorege privilegio dato Panhormi VIII^o Iunii V. Inditionis 1457, et in Regie Cancellarie libro anni 1456 in cartis 316 notato, late patet.

Exinde vero prefatus Antonius la Copperra pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iuxta formam sui privilegii, ob mortem Serenissimi Regis Ioannis Vestre C. Maiestatis genitoris, de ipso feudo a tunc Prorege VII^o Ianuarii XIII^o Inditionis 1479 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 179 notatam, reportavit.

Sed quia a dicto anno 1479 usque ad presens, anno 1512 currente, nullus in Regia Cancellaria de ipso feudo actus sive investitura reperitur, mihi persuadeo feudum ipsum per dictum Antonium la Copperra etiam possideri; tamen eo tempore, quo dictam investituram Antonius ipse cepit pro uncijs triginta duabus annui redditus, ius officialibus competens persolvit, ut in margine dicte investiture continetur. Nunc autem ipsi redditus multiplicati sunt; feudum ipsum anno quolibet reddit uncias

**Bessima feudum cum molendino di donna Guirrerera
cum orto.**

Feudum Bessima nuncupatum cum quodam molendino di donna Guirrerera et orto, in valle Nothi et territorio terre Placie existens, per Preceptoriam domus ecclesie sancti Ioannis terre eiusdem antiquitus possidebatur; quo tamen titulo, nullus in Cancellaria titulus apparet. Tandem tempore, quo quidam frater Lubertus de Diana Prioratum divi Ioannis Iherosolimitani Messanensis Civitatis possidebat, ac quidam frater Marcus ordinis eiusdem predictum Prioratum divi Ioannis

Placie tenebat, cum quidam Bernardus de Villardita de ipsa terra Placie anno quolibet, sub certa forma, ex concessione sibi per Serenissimum Regem Martinum facta, quoddam ius census salmarum triginta frumenti ac salmarum quindecim ordeï a dicta domo divi Ioannis Placie recipere deberet, cum eisdem Priore Messanensi et Preceptore Placie ad quandam devenit concordiam et transactionem, videlicet, quod ipse Bernardus de Villardita cessit, remisit ac imperpetuum prefate ecclesie divi Ioannis Placie relaxavit dictum ius annui census, ipsique Prior et Preceptor prefato Bernardo de Villardita suisque imperpetuum heredibus et successoribus prenominationum Bessime feudum cum eisdem molendino di donna Guirra et orto, cum omnibus et singulis eorum iuribus debitis et consuetis, cum quibus ac sicut et prout ipsa ecclesia ea tenebat et possidebat, dederunt et concesserunt. Quam quidem permutationem, conventionem et cambium prelibatus Rex Martinus, quatenus tamen ad eum eiusque Regiam Curiam spectabat, acceptavit et confirmavit. Ita quod ipsum feudum, molendinum et ortus eidem Bernardo de Villardita per ipsam ecclesiam, sub consueto militari servicio Curie Regie per ipsum Bernardum eiusque heredes imperpetuum prestando, ana scilicet uncias XX pro quolibet equo armato, iuxta annuos redditus et provenctus dictorum feudi molendini et orti ac iurium et pertinenciarum eorumdem, iuribusque Curie et alterius semper salvis, data et concessa censeantur; sicuti in ipsius Regis Martini privilegio dato Cathanie XVIII^o Maij VII^o Inditionis 1399 continetur.

Qui quidem Bernardus de Villardita, ipsius permutationis et Regie confirmacionis virtute, ipsum feudum et burgensantica bona tenens et possidens et inde ad mortem deveniens, suum condidit testamentum, in quo Ioannem eius filium minorem et quemdam posthumum seu posthumam suos heredes instituit universales; ipsosque certo modo et porcionibus ad invicem substituit. Volens et mandans quod si eosdem Ioannem et posthumum heredes universales in minori etate sive maiori, liberis eorum de corpore legitimis et naturalibus non derelictis, mori contigisset, illis Manfridus de Modica ipsius Bernardi primi acquiritoris frater in omnibus et singulis eius bonis feudalibus succederet.

Ipsi vero universales heredes, cum sine filiis decessissent, Manfridus de Modica antedictus in dicto Bessime feudo ac ipsis bonis feudalibus successit. Qui Manfridus exinde pro se eiusque imperpetuum heredibus et successoribus, iuxta continentiam dicte permutationis ac illius Regie confirmacionis, de ipsis Bessime feudo et bonis feudalibus, ut supra, a quondam Don Lupo Ximenes Durrea tunc Re-

gni Prorege, sub consueto militari servicio, Regni Constitutionibus ac iuribus Curie et alterius semper salvis, VIII^o Iulii II^o Inditionis 1453 investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 599 notatam reportavit. Cumque Manfridus ipse de Villardita alias de Modica in ipsorum feudi Bessime orti et molendini feudalium possessione persisteret, geminosque filios haberet, unum Manfridum nomine, alterum vero Ioannem, quos ipse uxorem habens cum quadam Angela de Tudiscis moniali in sacris ordinibus constituta generasse asseruerat; ad ipsius Manfridi supplicationem Serenissimus Rex Alfonsus Vestri Regii Culminis patruus illos legitimavit, habilesque et capaces, maxime in bonis paternis et maternis quibuscumque, mobilibus et stabilibus ac etiam feudalibus, succedendis effecit, cum clausula scilicet, nisi ipsa feudalialia non possent per dictos eorum parentes in aliorum hereditatem converti; videlicet quod habeant potestatem cui voluerint, tam hereditatis quam alterius cuiusvis iure concedere, dimittere, vendere vel donare etc.; quemadmodum in huiusmodi legitimationis Regio privilegio dato in Castro novo Neapolis XXVI^o Iulii VIII^o Inditionis 1445, de quo Viceregia emanavit executoria data Panhormi XXVIII^o Ianuarii X^o Inditionis, late patet.

Postmodum autem Manfridus de Modica antedictus in ultimis, quibus decessit, eius cum testamento in ipso Bessime feudo ac alijs bonis predictis presatum Ioannem eius filium heredem instituit. Qui Manfridus, vigore et auctoritate cuiusdam apostolice bulle date Rome in anno 1414 et sententie inde sequute in terra Placie pronunciate in anno 1451, prenominatam Angelam desponsaverat.

Et sic eodem Manfrido defuncto, dictus Ioannes de Modica illius filius legitimatus, tam vigore dicte provisionis, quam prefate legitimationis, in dicto Bessime feudo ac alijs bonis eidem patri suo successit. Qui exinde pro se eiusque imperpetuum heredibus et successoribus, sub consueto militari servitio, de illis a quondam Simone Archiepiscopo Panhormitano tunc Regni Preside XVIII^o Maii II^o Inditionis 1454 investituram in Regie Cancellarie libro anni 1453 in cartis 332 notatam obtinuit. Et nihilominus non est silentio pretermittendum, quod legitimatio per dictum Regem Alfonsum eidem Ioanni filio dicti Manfridi ac Angele monialis professe, cum successione feudorum concessa, data fuit in anno 1445; bulla vero apostolica sponsalicii dicte monialis data fuit in anno 1414; ob quod impossibile videtur, quod dictus Ioannes per viam matrimonij potuisset huiusmodi legitimatione gaudere, cum dicta apostolica bulla per annos fere XXXI ante dictam legitimationem obtenta fuisset.

Preterea maior apparet error, nam sententie virtute dicte Apo-

stolice bulle inde sequuta fuit in anno 1451, puta per annos fere triginta septem post datam ipsius bulle pronunciata, adeo quod hoc non sine dolo et preiudicio et lesione Regie Curie processisse dicendum est. Nihilominus, cum semel in anno 1445 facta fuerit dicta legitimatio cum feudorum successione, ut predicatur, attendendum est, nam ipsa legitimatio in preiudicium Vestri Regii Culminis in successione feudorum legitimi successoris fieri potuisset; nec non ad illam clausulam, scilicet, nisi ipsa feudalia non possent per dictos eorum parentes in aliorum hereditatem converti, videlicet quod habeant potestatem cui voluerint, tam hereditatis quam alterius cuiusvis iure, concedere, dimictere, vendere vel donare etc., est recte attendendum, nam per illam aliquod vinculum reservari videtur, per quod cum non essent filij de legitimo matrimonio nati, Regia Curia in dicto feudo aliquod haberet ius, sed in hoc iuris dispositioni me remitto.

Perquisitis itaque per me Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1453 usque ad presens, anno 1512 currente, nullus apparet actus sive investitura dicti feudi de Bessima in personam successorum prefati Ioannis de Modica facta. Et ideo quinam feudum ipsum possideat perquiratur, qui rationem det quare de illo, iuxta Regni statuta, non se investiverint. Quod feudum anno quolibet reddit 07. XXV.

Dictum vero feudum Bessime nuperrime possidetur per Ioannem Antonium de Modica filium Petri quondam Ioannis, de quibus nulla investitura in Cancellaria apparet. Tamen ipse Ioannes Antonius, ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die XX^o Ianuarii V^o Inditionis notatam in libro Cancellarie anni 1516, f.^o 405, et iuravit reddere tantundem.

Sancti Iuliani feudum

Feudum sancti Iuliani in valle Nothi et territorio terre Auguste positum, per quondam Guillelmum Raymundum de Montecatheno tunc comitatus Auguste comitem seu per Anthonium de Xacca antiquitus possidebatur. Quod feudum ob rebellionem dicti Guillelmi Raymundi ac prefati Anthonij de Xacca illius sequacis Regie Curie

devolutum fuit. Tamen non apparet in Cancellaria titulus, quo iure ad dictum Guillelmum Raymundum seu Anthonium de Xacca pervenerit. Unde Serenissimus Rex Martinus feudum predictum sancti Iuliani quondam Martino Sgalambro militi Siracusano suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum, sub consueto militari servitio concessit, quemadmodum in ipsius Regio privilegio dato Cathanie XVI^o Ianuarii VI^o Inditionis 1397 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 117 notato continetur.

Quo Martino Sgalambro defuncto, sibi in dicto feudo successit Petrus de Sgalambro eius filius; qui non apparet de illo investituram cepisse.

Ipsoque Petro Sgalambro decedente, sibi in dicto sancti Iuliani feudo successit Sgalambra eius filia, Ioannis de Rizo uxor. Que pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum, sub consueto militari servitio, Regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie et alterius cuiuslibet semper salvis, cum inserto tenore privilegii dicti Regis Martini, de ipso feudo penultimo Septembris II^o Inditionis 1453 investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 811 notatam obtinuit.

Exinde vero feudum ipsum sancti Iuliani in posse Elisabeth de Aricijs filie Ioannelle de Aricijs pervenit; tamen in Cancellaria nullus apparet actus sive investitura, an in eo legitime successerit. Verum Ioannella ipsa, tanquam ipsius Elisabeth tunc minoris mater et tutrix testamentaria, ob mortem Serenissimi Regis Ioannis, pro ipsa Elisabeth de dicto Sancti Iuliani feudo XVIII^o Ianuarii XIII^o Inditionis 1480 a tunc Prorege investituram in Regie Cancellarie libro anni 1479 in cartis 345 notatam consequuta fuit. Tamen nulla reperitur investitura per eam capta ob eius legitimam successionem, et sic nullam dare valeo rationem an in dicto feudo Sancti Iuliani legitime successerit.

In anno vero 1484 die primo Aprilis II^o Inditionis quedam reperitur investitura, notata in libro Cancellarie dicti anni, in cartis 291 descripta, per Franciscum de Riziis pro se suisque heredibus, iure Francorum, a tunc Prorege obtenta, in qua apparet ipsum Franciscum in dicto feudo, ob donacionem sibi de eo per prefatam Sgalambra eius matrem relictam quondam Ioannis de Aricijs factam successisse; ob quod in chaos incidi; nam in anno 1479 apparet prefatam Bectam minorem filiam Ioannelle antedictae de Rizis, ob mortem Serenissimi Regis Ioannis, de dicto feudo se investisse. Unde non modica apparet adesse contradictio, cum in donatione per prefatam Sgalambra eidem Francisco eius filio facta nulla fiat mentio; quod

feudum ipsum per annos quinque ante investituram et donacionem predictam in posse prelibate Elisabeth, minoris filie predictae Ioannelle, devenerat; et propterea pro Curie cautela veritas videatur.

Mortuo demum prelibato Francisco de Ariciis, sibi in dicto Sancti Iuliani feudo successit Ioannellus de Ariziis, eius filius, ex Regali illius uxore procreatus. Qui pro se suisque heredibus, iure Francorum, a Ioanne de La Nuça Regni tunc Prorege VIII^o Octobris III^o Inditionis 1500 de ipso Sancti Iuliani feudo investituram in Regie Cancellaria dicti anni libro, in cartis 77 notatam, consequutus fuit.

In presentiarum autem, anno 1512 currente, feudum ipsum Sancti Iuliani per prefatum Ioannellum de Aricijs possidetur et reddit anno quolibet. 07. XXX.

Et ultra dictus Ioannellus de Aricijs per eius procuratorem cepit investituram dicti feudi, ob mortem domini Regis Ferdinandi, die XXVII^o Novembris V^o Inditionis 1516 a Don Ioanne De Luna Presidente, notatam in libro dicti anni in cartis 243, et iuravit dictus procurator reddere tantumdem.

Chadedi, Buchalesi feuda

Cum feuda Chadedi et Buchalesi nuncupata, in valle Nothi consita, Serenissimo Rege Alfonso Vestre C. Maiestatis patruo regnante, per Raynaldum di Ricca et Ioannem Nicholaum de Pompeio tunc minores comuniter pro indiviso possiderentur; tunc vero temporis per ipsum Regem feudorum privilegia a Regni feudatarijs postulantur; ipsi Raynaldus de Ricca et Ioannes Nicolaus de Pompeio coram Don Lupo Ximenen Durrea, tunc Regni Prorege, comparuerunt, asserentes, quod quondam Ioannes de Ricca pater ipsius Raynaldi, et Antonius de Pompeio pater prefati Ioannis Nicholai, feuda ipsa communiter pro indiviso tenuerunt et possederunt. Quodque ipsis Ioanne de Ricca et Anthonio de Pompeio decedentibus, eisdem in feudis sibi Raynaldus de Ricca et Ioannes Nicholaus de Pompeio antedicti successere; ob quod, cum instanter de ipsis feudis confirmationem et investituram petissent, prestito prius per eos in dicti Proregis manibus iuramento, in scriptis in officio Prothonotarij redacto, quod ad eorum manus aliqua de ipsis feudis privilegia non

deveniant, iuxta Regni Capitulum ab ipso Rege Alfonso indultum, pro eis eorumque heredibus ipsorum de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servitio, Regni Constitutionibus iuribusque Curie et alterius semper salvis, de feudis prelibatis ab ipso Prorege XII^o Iulii prime Inditionis 1453 investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 251 notatam reportarunt.

Postmodum autem prefatus Ioannes Nicholaus de Pompeio de eius medietate dictorum feudorum Bartholomie eius filie donationem fecit. Que Bartholomia illam tenuit et possedit, tamen non apparet de illa se investisse. Ipsa demum Bartholomia decedente, sibi in dicta feudorum medietate successit Ioannellus De Naro, eius filius, ac Raynaldi De Naro iugalium, qui pro se suisque heredibus, iure Francorum, a quondam Ferdinando de Acuña, tunc Regni Prorege, de dicta feudorum medietate XVIII^o Maij X^o Inditionis 1492 investituram in Regie Cancellarie libro anni 1493, in cartis 408 notatam, obtinuit.

Hodie vero, anno 1512 currente, ipsa feudorum predictorum Chadedi et Buchalesi medietas per ipsum Ioannellum De Naro possidetur et anno quolibet reddit 07. XII.

Et mortuo dicto Ioannello De naro absque filijs, successit in dicta feudorum medietate Alienora de Marinis eius soror, que, ut ayunt, obtinuit investituram, illaque nondum venit in Cancellaria; dictaque Alienora, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a Don Ioanne De Luna Preside de ipsa feudorum medietate cepit investituram die XVIII^o Ianuarii V^o Inditionis 1517, notatam in libro anni 1516 f.º 896, et iuravit reddere tantumdem.

Reliqua vero ipsorum feudorum medietas in posse prefati Raynaldi de Ricca remansit. Sed quia a dicto anno 1453 usque ad presens, eodem anno 1512 currente, in Cancellaria nullus reperitur actus sive investitura dicti feudi, per quam comprehendi possit in cuius posse existat, dare non valeo rationem, in cuius vel quorum manus sit, aut si legitime in illa successerint, et ideo pro Curie cautela inquiratur; que feudorum medietas annis singulis reddit . 07. XII.

Aydoni terra, Baccarati feudum.

Terra Aydoni et Baccarati feudum, in valle Nothi prope terram Placie existens, prout a nonnullis eiusdem terre Aydoni senioribus et probis hominibus percepi, de antiquo fuerat Regio demanio; ad quod probandum, Universitatis eiusdem privilegia et auctentica Capitula, quando opus erit, edere ipsi probi homines se paratos obtulere. Nihilominus inveni ego ipsam Aydoni terram per Comitem Rubeum de Rubeo et deinde per Comitem Henricum Rubeum seniorem, eius filium, absque titulo antiquitus possessam fuisse. Qui Comes Henricus dicitur de ipsa Aydoni terra cum quondam Perrono de Iuenio de Termis, tunc Regni Prothonotario pro terra Castellionis ipsi Perrono eiusque heredibus a quondam Serenissimo Rege Federico, sub certa forma, Regio mediante privilegio dato Messane XVII^o Decembris XII^o Inditionis 1373 concessa, permutationem fecisse. Que quidem Castellionis terra, prout alias hoc in opere superius in cartis 174 diffusius dictum est, cum de ipso antiquo Regio demanio fuisset, nullatenus ab illo segregari et in feudum concedi poterat, obstantibus premaxime privilegiis et Capitulis illius Universitatis per Sicilie Reges concessis; que privilegia et Capitula eandem tenere Universitatem certum est. Tandem, cum prelibatus Henricus Rubeus senior contra ipsum Regem Federicum rebellionem patrasset, ipseque Perronus de Iuenio vereretur, ne forte indulgentia Regia prelibato comiti Henrico Rubeo concessa, per consanguineos aut personas coniunctas ipsius Comitum Henrici, sive alias extraneas, et maxime ex substitutione per prefatum comitem Rubeum de Rubeo, patrem dicti Comitum Henrici, facta sive ex contractu aut alia quavis causa, aliqua iura in dicto Aydoni Comitatu pretenderentur, sive bona eiusdem comitis Henrici Regie Curie confiscata illis restituerentur, quandam Regiam patentem cartam ab ipso Rege Federico obtinuit per quam mandatur, quod ipse Perronus de Iuenio in ipsius terre Aydoni possessione ac feudi Baccarata manuteneretur et illis non poliaretur, quin prius terra Castellionis antedicta sibi restitueretur; quam pro ipsa Aydoni terra, ut predicatur, permutarat, sicuti in ipsa Regia patienti carta data in anno 1374, et in Regie Cancellarie libro anni 1371 in cartis 174 notata, continetur.

Cumque exinde ipse Comes Henricus prelibato Perrono de Iuenio

possessionem dicte terre Aydoni et feudi Baccarati, iuxta permutatoriam conventionem denegaret; quam permutationem quondam Artali de Alagona tunc ut Regni Magistro Iusticiario antea confirmaverat, si eandem Castellionis terram sibi prius traderet, idem Artalis de Alagona bellica manu terram Aydoni prelibatam acquisivit illamque cum dicto Baccarati feudo eidem Perrono de Iuenio restituit. Que omnia dictus Rex Federicus ipsi Perrono de Iuenio suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, ex sua Regia scientia et pleno favore Regio, exinde confirmavit, cum clausula scilicet, iuribus eidem Perrono et suis heredibus in predictis terra et castro Castellionis competentibus eidem Henrico, quantum ius erit, cedentibus ex causa predicta: volentes nihilominus ex certa scientia, quod in casu quod predicta terra et castrum Castellionis a dicto Henrico de iure vel de facto evicta fuerint seu a manibus et potestate suis quocumque modo, iure vel iniuria revocata, aut quod idem Henricus alia quavis causa a possessione dictorum castri et terre Castellionis inveniretur forsitan destitutus, quod nullum propterea ipse vel heredes sui ad dictam terram et castrum Aydoni recursum habeant aut possint vel debeant habere regressum, sed eo casu excambium equivalens, quatenus iuris erit, expectet et petat a nostra et successorum nostrorum, prout fuerit expediens, Maiestate etc., prout in ipsius Regis Federici privilegio dato Messane XI^o Septembris VIII^o Inditionis 1363 late patet.

Quod quidem privilegium, sequuta ipsius Regis Federici morte, Serenissimus Dux et Infans Martinus Regia auctoritate exinde confirmavit, cum clausula scilicet, iuribus Regiis et aliorum semper salvis etc., quemadmodum in ipsius Ducis privilegio dato Cathanie XV^o Iulii XV^o Inditionis 1391, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 135 notato, diffusius exponitur. Et ad induratam prefati Comitis Henrici Rubei senioris rebellionem contra Serenissimos Regem Federicum et Reginam Anthoniam coniuges patratam redeundo, dico quod cum idem Comes Henricus Rubeus Messanam civitatem vi occupatam detineret, Regios triremes, in quibus ipsa Regina Antonia soporem nocte trahebat, Regino in mari taliter insiluit, ut terrore perterrita Regina infra triduum vitam cum morte commutavit militumque suorum pars marinis in fluctibus demersi, pars vero gladio perfossi vitam finierint. Quemadmodum in quadam ipsius Regis Federici epistola eius socruī destinata, et in Regie Cancellarie libro anni 1374 in cartis 97 registrata, hec et alia seriusius exponuntur, que huiusmodi est tenoris scilicet (1):

(1) Nel testo, come di frequente accade nei Capibrevi di Luca Barberi — *Capibrevi* — vol. I.

« Primo Februarii apud Cathaniam ».

« Scriptum est. Inclita et Reverenda mater, durum ac mestum nuncium scribit filius, et dolentem uxoris grate obitum refert coniux. Ecce quidem, miseranda mater dulcissima, quod existentibus nobis in partibus vallis Mazarie Regni nostri, percepta occupatione clandestina civitatis nostre Messane, per comitem Henricum Rubicum de Messana nepharia machinatione patrata, cum duabus galeis et totidem galeottis ad civitatem ipsam una cum Serenissima Regina Antonia unigenita vestra nostraque consorte dilecta, die veneris, decimonono presentis mensis ianuarii iter assumpsimus, et Messanensem portum sequenti die dominice applicantes, dictum comitem suosque complices armatos invenimus, nobis pacifice et libere intrare civitatem ipsam cupientibus resistentes: qua ex causa, pro tutiori personarum nostrarum statu et ut ex recessu nostro Messanensium fidelium nostrorum corda contra dictum comitem zelo fidei nostre commoverentur ad arma, ad maritimam civitatis Regii de partibus Calabriae venimus, ubi predictus Comites (*sic*) per se et Universitatem Messanensis (*sic*) statim suos misit nuncios, restitutionem dicte civitatis sub certis pactis et condicionibus promittentes, ad que per celsitudinem nostram congruo dato responso, nocte sequenti, non verbis et reverentia, sed et armis et vyolencia responderunt. Nam cum una galea aliisque vassellis armatis post mediam partem noctis contra galeas nostras secure in dicta maritima Regitana manentes, in quarum una dicta Regina cum sua familia dormebat, insultum subitum et asperum commiserunt, multa iactantes balista missilia ex quibus nonnulli fuerunt mortui hinc et inde; quo terrore dicta inclita stupefacta, certis militibus nostris eam adiuvantibus, nudis pedibus et in aqua demersis nobis sibi obviis descendit ad terram, mentis stupore

bieri, è riservato lo spazio in bianco per la copia della lettera accennata, che io ho riprodotta dal registro della Cancelleria, citato con la consueta esattezza dal compilatore. Cotesta lettera fu pubblicata dal Pirri nel t. 1 pag. 417 della *Sicilia Sacra*, ma con piccole mende che non ho tralasciato di correggere.

Come ognun vede, il documento è importantissimo potendo riguardarsi come la sintesi di quel periodo di anarchia e prepotenza feudale, che preparò il terreno alle lotte funestissime dei quattro Vicarii. È desso un grido disperato ch' esce dal cuore dell' avvilito monarca; è il rantolo di morte d'una dinastia ch'era stata così splendidamente elevata e sorretta sul trono dell'Isola dal voto e dal valore del popolo. Credo poi notare per gli studiosi del nostro dialetto le voci *merciori* e *veneri*, che così esattamente corrispondono a quelle tuttora adoperate anche dalle persone, che non son volgo.

detenta; quam sequenti die Martis, occasione, ut firmiter credimus, tam asperi, ut premittitur, accidentis, glandula pestilencialis inuasit, ex qua, proh dolor! subsequenti die mercori ecclesiasticis sacramentis munita decessit: sic nos et nostra negocia fortuna versat, auferendo nobis tantam et talem uxorem et sociam, conversacione dulcissimam, moribus claram et virili prudentia circumspectam! Consolari vos nolumus sed perpetuo intendimus dolere vobiscum, tanto enim vulnere medela non sufficit cum adversa in hac fortuna resistat: sed quia contra stimulum divini Iudicis calcitrare non possumus, necesse est ut patientie baculo equanimiter incumbamus. Datum etc. ».

Secuta postmodum dicti Regis Federici morte, et Serenissimis Regibus utroque Martino et Maria regnantibus, quo quidem tempore dictus Perronus de Iuenio Prothonotarius obierat et in illius bonis Bartholomeus de Iuenio eius filius successerat, Bartholomeus ipse coram ipso Rege Martino comparens, ab illo prelibati privilegii terre Castellionis prefato Perrono de Iuenio suisque heredibus per dictum Regem Federicum concessi confirmationem expostulavit, ac etiam exponens, quod dictus quondam Perronus de Iuenio eius pater cum dicto quondam Comite Henrico Rubeo seniore ad dictam devenerat permutationem, videlicet, quod ipse Perronus prelibato Comiti Henrico terram Castellionis corporaliter assignaverat; dictus vero Comes ipsi Perrono castrum et terram Aydoni tradiderat, adeo quod uterque in vim ipsius permutationis terram suam per certum tempus possederat. Quodque successive idem Bartholomeus, tanquam dicti Perroni filius et heres, ipsam Aydoni terram etiam detinuerat. Et licet prefatus Comes Henricus iunior, vita sibi comite, super possessorio dicti castri et terre Aydoni contra eundem Bartholomeum heredem, ut supra, in Magna Regia Curia litem intemptasset, demum ipse Bartholomeus in prefata possessoria causa obtinuit. Timens propterea ne forte heredes dicti quondam Comitum Henrici contra eum super petitorio seu super petitione proprietatis dicte terre Aydoni, sive alia quavis causa questionem in futurum movere pretenderent, ipsi Regi Martino, ut predicatur, supplicavit, ut sibi dictam concessionem terre Castellionis dicto quondam Perrono eius patri per ipsum Regem Federicum factam confirmaret. Unde Rex Martinus antedictus eidem Bartholomeo de Iuenio suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus privilegium ipsum Regis Federici de dicta Castellionis terra cum illius inserto tenore acceptavit et confirmavit, cum clausula, scilicet: Mandantes et concedentes dicto Bartholomeo et suis heredibus supradictis, quod in futurum omni tempore possint et valeant experiri pro defensione terre Aydoni castri et iurium

suorum omnia iura concessa eidem Perrono per eundem Illustrē Regem Federicū vigore privilegii predicti, spectantia quoque et competentia eidem Bartholomeo vel dictis suis heredibus, ex causa legitime successionis dicti Perroni in eisdem terra et castro Castellionis. Volentes dictum privilegium et omnia in eo contenta debitum sortiri effectum et roboris firmitatem in iudicijs et extra pro defensionibus terre Aydoni, omni tempore quo lis vel controversia contra eundem Bartholomeum vel suos heredes predictos modo aliquo moveretur supra terra et castro Aydoni, predictis iuribus ipsorum etc. sicuti in ipsius Regis Martini privilegio dato Cathanie ultimo Septembris III^e Inditionis 1394 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 75 notato continetur.

Preterea idem Bartholomeus ab ipso Rege Martino de dicta Castellionis terra pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus aliud confirmacionis seu de novo concessionis privilegium obtinuit, cum clausula, scilicet: et quia de presenti terra et castrum predicta non per sese sed per alium indebite occupantur et possidentur, de novo sibi permittimus, conferimus, concedimus et donamus plenariam et omnimodam potestatem, quod ipse Bartholomeus, nullo alio nostro expectato mandato, in viribus armorum vel per tractatum aut per alium quemlibet modum poterit aptiorem, valeat et possit sibi et pro se dictam terram et castrum acquirere, recuperare, recipere et habere et suis commodis et utilitatibus applicare ac possessionem ipsius accipere corporalem et ipsam terram recuperatam libere et licite retinere, iuxta ipsius Privilegii continentiam et tenorem etc. Quemadmodum alio in privilegio ipsius Regis Martini, dato Cathanie primo Novembris III^e Inditionis 1394 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 76 notato, clarius exponitur.

Nihilominus, si prefato Rege Federico regnante prelibati Comes Henricus Rubeus senior et primus Perronus de Iuenio vivebant, et prenotata permutatio facta fuerat ac illorum uterque suam possederat permutatam terram, videlicet dictus Perronus terram Aydoni et prefatus Comes Henricus terram Castellionis, sicuti in narrativa privilegii antedicti prefati Regis Martini eidem Bartholomeo de Iuenio concessi exponitur per hec verba, scilicet: idem Perronus terram et castrum Aydoni et prefatus Henricus castrum et terram Castellionis certo tempore tenuerint et possederint etc., quomodo ergo dictus Bartholomeus de Iuenio, prelibati Perroni permutatoris filius et heres, confirmacionem privilegii ipsius Regis Federici concessionis terre Castellionis sibi impetrare poterat, cum sua non esset terra ipsa? nam illa prefatus Perronus se spoliaverat et in vim prelibate per-

mutacionis de eadem prefatus Comes Henricus possessionem nactus fuerat, illamque per multum temporis intervallum possederat. Ecce ergo quod clarissime liquet Regium demanium in hoc non modicum damni et lesionis perpeffum fuisse; tum quia ipsa Castellionis terra, ut dictum est, de antiquo fuerat Regio demanio et illius Universitas sua retinet privilegia et Capitula; quibus continetur illa nullo unquam tempore alienari et in feudum in tercii et Regii demanii preiudicium concedi potuisset; tunc etiam quia dictus Comes Henricus senior rebellis fuerat, cuius ob induratam rebellionem illius bona Regie Curie aperta et devoluta extiterant, exclusis in illorum detentione cunctis eius agnatis et cognatis, consanguineis et successoribus; tum etiam quia rebellio ipsa, ob quam dicta Regina Anthonia obiit, eo tempore patrata fuit quo permutatio predicta fieri non poterat, nam dicta perpetrata rebellionem, que ante ipsam permutationem facta extitit, ipsa Aydoni terra aliaque bona et iura prefati Comitis Henrici senioris Regie Curie aperta et devoluta erant.

In anno vero 1405, cum prefatus Bartholomeus de Iuenio, quo tamen iure ignoro, in utriusque terre Castellionis et Aydoni possessione reperiretur, Comes Henricus Rubeus iunior, prefati comitis Henrici Rubei senioris rebellis filius, contra dictum Bartholomeum de Iuenio filium et heredem dicti Perroni de Iuenio senioris, super petitione seu vendicatione dicte terre Aydoni cum feudis Baccarati Petralixa et aliis litem intemptavit et tandem, comunibus amicis inter eos intervenientibus, ad conventionem et accordium devenerunt, videlicet, quod ipse Comes Henricus iunior quoddam manu sua descriptum chirographum faceret, per quod aliquam pecuniarum summam ipsi Bartholomeo de Iuenio offerret pro recuperando dictam terram Aydoni, sive quod soluta per ipsum Bartholomeum eidem Comiti Henrico consimili pecuniarum quantitate, Bartholomeus ipse terram ipsam sibi retinere posset, quod quidem chirographum quondam don Iaymo de Prades tanquam eorum communi amico tradi deberet, cui omnino esset standum, sicuti de his per quoddam publicum instrumentum manu notharii Laurentij de Notho VII^o Ianuarij XIII^o Inditionis 1405 celebratum cerni potest.

Facto tandem huiusmodi chirografo sive cedula, que huiusmodi est seriey, videlicet: Per viguri di la convegna fatta infra lo magnifico misser Bartholomeo di Iueni et mi conti Enricu Russu supra li fatti di la terra et castello di Ayduni, cum li raxuni et membri soy, secundo lu contrattu fattu per manu di notaru Lensu di Notho, in presentia di lu signuri don Iaymo, per la quali convegna eu conti digio fari la cedula et mettiri lu prezu sive quantitati di denari,

per li quali misser Bartholomeo divi eligiri oy prindiri li dinari offeriti per mi et assignarimi lo locu predittu per la presenti scritta di mia manu propria. Eu conti Henricu sopradittu profero a lu dicto misseri Bartholomeu dari unzi novichentu per la causa predicta, li quali oy ipso prindirà et assignirami lu locu, oy mi assigni li denari predicti ed eu li farrò la renuntiacioni et cessioni di la raxuni, secundo lo dicto contratto etc. prefatus Bartholomeus de Iuenio sibi dictam terram et castrum Aydoni cum illorum iuribus et pertinentiis sibi retinere et eidem Comiti Henrico dictas uncias noningentas iuxta formam dicte apodixie persolvere, prout persolvit, elegit et sic ipse Comes Henricus eidem Bartholomeo de Iuenio suisque imperpetuum heredibus et successoribus omnia et singula iura, que supra dicta terra et castro Aydoni ac eorum iuribus, nec non super dicta terra Castellionis quocumque iure, titulo, ratione seu causa tenebat, cessit, prout in quodam alio contractu manu dicti notharii Laurentii de Notho XII^o Ianuarii XIII^o Inditionis 1405 celebrato latius est videre.

Quam quidem transactionem, concordiam et iurium cessionem Serenissimus Rex Martinus, eius cum Regio privilegio dato Cathanie VII^o Iulii XIII^o Inditionis 1406 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 86 notato ipsi Bartholomeo de Iuenio suisque imperpetuum heredibus, sub consueto militari servitio, cum clausula, prout terram et castrum ipsum Aydoni prefatus Comes Henricus Rubeus senior ipsius Henrici Rubei iunioris pater, alijque eius progenitores tenuerunt et possederunt, acceptavit et confirmavit ac ex uberiori et speciali gratia omnia iura, que ipse Rex super bonis burgensaticis seu feudalibus dicti Comitis Henrici senioris rebellis, ratione iurium, fructuum et reddituum per ipsum Comitem Henricum seniore, vita sibi Comite, vi captorum de iuribus, redditibus et provenibus civitatum, terrarum et locorum sacri Regij demanij per eum sue rebellionis tempore occupatorum, usque ad summam et valorem dictorum terre et castri Aydoni ac dictorum feudorum sibi cessit.

Nihilominus est attendendum ipsum Regem Martinum prefato Bartholomeo de Iuenio iura fructuum per dictum Comitem Henricum rebellem usurpatorum et non iura, que Curia Regia super prefatis terris Castellionis et Aydoni tenebat, concessisse. Et sic per utrumque modum utraque terra, Castellionis scilicet et Aydoni, in maximum tercij, puta Regij demanij, preiudicium et Universitatum, terrarum ipsarum lesionem, cum dicta Castellionis terra ex iure antiquissimo et suorum privilegiorum ac Capitulorum vigore, de Regio esset demanio et ab illo segregari non posset, in ipsius Bartholomei de Iuenio posse devenit.

Et si prefatus Rex Federicus prelibato Perrono de Iuenio primo acquirenti predictae permutationis confirmationem concessit, huiusmodi confirmatio cum hac clausula, scilicet, quantum iuris erit etc. sibi concessa extitit. Et sic Perronus ipse huiusmodi confirmatione iuridice gaudere non poterat, cum terra Castellionis antedicta demanialis esset et valde privilegiata, ut supra. Nihilominus idem Rex Federicus summopere Curie iura sibi reservavit. Preterea quomodo-cumque sit, ipsa Aydoni terra ob dicti quondam Comitis Henrici senioris rebellionem, licet de illa titulum non habuisset, sacro Regio demanio aperta fuit et devoluta, et quamvis inter prefatos Comitum Henricum seniores et Perronum de Iuenio de dicta Castellionis terra cum terra Aydoni, ut supra, permutationem factam fuisse dicatur; nihilominus ante ipsius Comitis rebellionem de permutatione huiusmodi nullum apparet instrumentum, sive scriptura. Et sic cum nullum appareat huiusmodi permutationis instrumentum, cum consensu, ratificatione, confirmatione ac beneplacito dicti Regis Federici factum et firmatum, permutatio ipsa de iure esset nulla et Fiscus Regius in eius iuribus esset firmus et robore subsistens confirmationesque in favorem illorum de Iuenio inde sequute tamquam surrepticie et tacite veritate impetrata ac super falso fundate nulle essent nulliusque efficacie et momenti.

Similiter notorium est, quod cum prenominatus Comes Henricus Rubeus senior rebellis extiterit, illius bona feudalia et burgensatica eius filiis agnatis, cognatis et successoribus a successione et detentione illorum exclusis Fisco Regio aperta, confiscata et devoluta fuere; unde et terra Castellionis ut supra permutata ac terra Aydoni predictis ex causis Regio demanio devoluta similiter extitere. Quomodo ergo utraque terra, Castellionis scilicet et Aydoni, in ipsorum de Iuenio posse reperitur? certe sub involucro ad illos devenisse dicendum est, et ideo attendatur quod omnia eorum privilegia causa incognita et sub nube ac tacite veritate impetrata fuere et ideo, iuribus Curie et alterius semper salvis, indulta esse de iure comprehenditur.

Et si forte ex parte istorum de Iuenio servitia per eos Sicilie Regibus prestita allegarentur, in vim Regie Pragmaticae POST BELLA vocatae, huiusmodi prius persolutis servitiis, prout iudicatum fuerit, Regia Curia ipsa res illis concessas sibi vindicare posset; et sic facto per Fiscum Regium dictorum servitiorum deposito, ultra predictas easdem terras recuperare potest et suo Regio demanio agregare.

Cumque exinde prefatus Bartholomaeus de Iuenio se quoddam dicti Regis Martini privilegium datum Leontini penultimo Septem-

bris 1392 confirmacionis et nove donacionis dicte terre Aydoni cum feudo Imbaccarati et aliis feudis ad eandem terram pertinentibus ac feudi Fessime cum fortificio Petretaglate tam ipsi Bartholomeo quam Perrono de Iuenio eius filio et deinde aliis filijs et heredibus utriusque sexus concessum habere allegaret, quod privilegium in Cancellaria non reperitur; quodque Bartholomeus ipse de dicta terra Aydoni ac feudis Fessime cum fortificio Petretaglate, Baccarati, Petrelixe et Casalis de Asmundo Perrono de Iuenio eius filio donacionem fecerat, ut in quodam donacionis contractu manu notarii Ioannis Andree V^o Martii XI^o Inditionis 1402 celebrato apparere dixit; quodque ad uberiorem cautelam VIII^o Iulii XV^o Indicionis 1407 eidem Perrono de Iuenio eius filio aliam fecerat donacionem seu iurium cessionem, manu notarii Guillelmi Cartella, de dicta terra et Castro Aydoni cum eisdem feudis, celebratam; prefatus Serenissimus Rex Martinus, ad ipsius Bartholomei de Iuenio preces, donaciones easdem et iurium cessiones prefato Perrono de Iuenio illius filio suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus utriusque sexus, iure Francorum, sub consueto militari servitio, acceptavit et confirmavit seu de novo in feudum concessit, cum clausula tamen quod si eundem Perronum eiusque filios legitimos sive liberos, eorum de corpore legitime descendentes mori contigisset, dicta Aydoni terra cum eisdem feudis ad eundem Bartholomeum de Iuenio patrem suum aliosque filios suos, eius de corpore legitime descendentes, reverteretur, cum clausula etiam, Regni Constitutionibus iuribusque Curie et alterius semper salvis, quemadmodum alio in privilegio dicti Regis Martini dato Cathanie XI^o Iulii XV^o Inditionis 1407 late patet.

Defunctis tandem prefato Bartholomeo de Iuenio et successive dicto Perrono de Iuenio, patre et filio, in ipsa Aydoni terra cum eisdem feudis Baccarati, Petrelixe, Mendule, Fessime et Asmundi illis successit Bartholomeus de Iuenio, ipsius Perroni filius, qui investituram cepisse non apparet.

Ipsaque Bartholomeo de Iuenio decedente, sibi in eisdem terra et feudis successit Perruchius de Iuenio, eius filius, qui pro se suisque heredibus, eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, de illis a Don Lupo Ximenes Durrea tunc Regni Prorege XX^o Augusti prime Inditionis 1453 investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 678 notatam obtinuit.

Mortuo demum eodem Perruchio de Iuenio, sibi in ipsa Aydoni terra et feudis successit Bartholomeus de Iuenio, eius filius, qui a Don

Ferdinando D'Acuña, tunc Regni Vicerege, de eisdem investituram in Regie Cancellarie libro anni 1494 in cartis 341 notatam reportavit. In presentiarum autem, anno 1512 currente, ipsa Aydoni terra cum eisdem feudis ab ipso Bartholomeo de Iuenio possidetur, et reddit anno quolibet. 07. . . .

Cum ex tenore Regie Pragmatice Post BELLA vocate, omnia Regni feuda et baronie, aut pecunia interveniente seu alias quomodocumque et qualitercumque, in quaslibet personas translate et alienate, eodem pretio illas possidentibus persoluto, revocari possint et Regio Demanio agregari; dico quod, licet Regia Curia super eisdem terris Aydoni et Castellionis nullum haberet ius, firme sum opinionis, quod persolutis dicte terre Aydoni possessori prefatis unciis DCCCC, pro quibus, ut predicatur, vendita fuit, recuperari potest et Regio Demanio applicari: licet non modice mirer, quare in confirmatione dicte terre Aydoni per quondam Bartholomeum de Iuenio, filium primi Perronis, in vim illius privilegii dati Leontini in anno 1392 a Serenissimo Rege Martino in anno 1407 impetrata, nulla fiat mentio in cuius posse ipsa terra Aydoni tunc temporis permanserat. Ego vero ex serie cuiusdam provisionis dicti Regis Martini date in castro dicte terre Aydoni V^o Iulii III^e Inditionis 1396, et in Regie Cancellarie libro annorum 1393, 1396, 1397 in cartis 73 notate, invenerim ipsum Regem Martinum Universitati dicte terre franchiciam iurium dohane terre Placie suique territorii Regie Curie pertinencium, pro rebus et mercibus per eos et eorum quemlibet in dictam terram Placie et eius territorium immictendis et ab inde extrahendis ac ibi emendis et etiam vendendis imperpetuum, eius populi fidelitate actenta ac serviciis ipsi Regi prestitis aliisque respectibus eius in privilegio contentis, concessisse, comprehendendum est ipsam terram et castrum Aydoni eodem in anno 1396, sub ipsius Regis Martini suique Regii Demanii ditione perstitisse. Sed cum in privilegiis et confirmationibus istis de Iuenio concessis nulla de ipsa franchicia mencio fiat, quam franchiciam Reges terris tantum demanialibus et non terris baronum concedere soliti sunt, nec non cum nulla causa sive ratio assignetur, quo iure terra et castrum Castellionis a potestate Comitis Henrici Rubei abstracta fuerit, cum illam, ut predicatur, Comes ipse in vim dicte permutacionis cum eadem terra Aydoni possedisset, dico quod huiusmodi privilegia istorum de Iuenio, de quibus superius verba facta sunt, surrepticia habentur et pro surrepticiis ac nullo iuris ordine servato impetratis et obtentis omnino habenda sunt.

Bondisem Feudum

De feudo Bondisem nuncupato, in valle Nothi prope Comitatum Auguste et Mililli posito, licet in Regni Secreciarum Capibrevio diffusius verba fecerim, nihilominus ad ea que eodem in Capibrevio de illo dicta sunt me referens, hec tantummodo exponenda esse proposui, videlicet, quod cum feudum ipsum in Regii demanii posse extitisset, Serenissimus Rex Alfonsus quondam Ingucterre de Nava illud vendidit et ab ipso sacro demanio ac Auguste Comitatu dismembravit et segregavit, sicuti de huiusmodi vendicione quodam in privilegio ab ipso Rege Alfonso emanato dato in anno 1432 contineri asseritur.

Quod quidem Regium Privilegium Serenissimus Rex Ioannes Vestre C. Maiestatis genitor ad eius tamen Regium beneplacitum exinde confirmavit.

Quo quidem Ingucterra de Nava defuncto, sibi eodem in feudo successit Gondisalvus de Nava eius frater. Adveniente postmodum ad Regnum Petro de Bisuldimo Regio Conservatore, ut Regni feudalia preter debitum a Demanio segregata recuperaret, ipse Gondisalvus de Nava a prelibato Conservatore ipsius feudi possessione expoliatus extitit, unde Regia Curia per annos fere septem in eiusdem feudi possessione permansit.

Tandem ad prefati Gondisalvi de Nava supplicationem, Rex ipse Ioannes eidem Gondisalvo feudum Bondisem antedictum restituit, quemadmodum suo in Regio privilegio dato Barchinone III^o Iunii VIII^o Indicionis 1460 contineri dicitur.

Deinde autem idem Rex Ioannes ipsi Gondisalvo, ad eius vitam et unius eius heredis, quem verbo vel scriptis elegisset, feudum predictum, procedente tamen ipsius Regis beneplacito, ampliavit, prout in eius Regie ampliacionis huiusmodi privilegio dato Tarragone XV^o Decembris 1463, de quo Viceregia emanavit exquatoria data Placie XIII^o Septembris XIII^o Indicionis 1465, exponi enarratur.

Mortuo demum prelibato Gondisalvo de Nava, per eiusdem testamentariam electionem sibi in ipso Bondisem feudo successit Gondisalvus de Nava, eius filius, qui de ipsa testamentaria dispositione sive electione pro dicto feudo confirmationem ab ipso Rege Ioanne, ut asseritur, suo cum Regio privilegio dato Tarracone XXII^o Aprilis prime Indicionis 1468 reportavit, de quo Viceregia emanavit exe-

quatoria data Panormi ultimo Ianuarii II^e Inditionis 1469 notata in libro Officii Conservatorie dicti anni. Decedente exinde ipso Rege Ioanne, idem Gondisalvus de Nava iunior, tunc minor, a domino Gaspare de Spes tunc Regni Prorege de ipso feudo, iuxta formam privilegii dicti quondam eius patris XVIII^o Ianuarii XIII^e Inditionis 1479, investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 212 notatam obtinuit.

De his tamen privilegiis superius hoc in capitulo annotatis, in antiquis informacionibus in Officio Conservatoris repositis expressa facta est mencio; tamen in Regia Cancellaria non apparent in magno Capibrevio f.^o 1053.

Mortuo demum dicto Gondisalvo de Nava iuniore, Ioannes de Nava eius frater absque titulo et investitura feudi antedicti possessionem cepit et sic in presentiarum, anno 1512 decurrente, ipsum Bondisem feudum per prefatum Ioannem de Nava absque titulo possidetur, quod feudum anno quolibet reddit . . . 07. XXXVI.

Verum ad Regie Curie cautelam privilegia superius annotata exdicto Officio Conservatoris abstracta hoc in opere in cartis 477 registrari feci.

Post vero mortem dicti Ioannis de Nava, successit sibi in dicto feudo Gaspar de Nava, eius filius, qui cepit investituram die XXI^o Ianuarii III^e Indicionis 1516 et exinde, ob mortem domini Regis Ferdinandi, cepit aliam investituram die XXI^o Ianuarii V^e inditionis notatam in libro anni 1517 f.^o 504 et iuravit reddere tantumdem.

Campana, Billiti, tenimenta terrarum.

Campana et Billiti terrarum tenimenta, in valle Nothi et territorio terre Leontini existencia, de iuribus Secrecie Regie Curie ipsius terre antiquitus fuerant; quorum unum, scilicet Campana, per Serenissimam Reginam Constanciam Serenissimi Regis Federici uxorem, sub onere annui perpetui census salmarum quatuor et tumminorum octo tritici, ac salmarum duarum ordei Regie Curie prestandi; alterum vero, videlicet Billiti, per Serenissimam Reginam Leonoram eiusdem Serenissimi Regis aviam, sub onere annui perpetui census salmarum quinque frumenti et salmarum duarum et tumminorum

octo ordei generalis mensure, quondam notario Nicolao de concessum extitit, sicuti in quodam privilegio dicte Regine Leonore dato Cathanie XII^o Ianuarii prime Inditionis 1362 continetur.

Post mortem vero dicti notarii Nicholay, in eisdem duarum terrarum tenimentis successit Bartholuchius de Fiso, alias de Sancta Cecilia, qui an descendat a dicto notario Nicholao, an non Regia in Cancellaria non reperitur, nam registrum, in quo privilegium ipsum notatum apparet, ob temporis diuturnitatem laceratum invenitur.

Mortuo postmodum prefato Bartuchio, eiusque heredibus eisdem in terris succedentibus, cum constitisset de dicto annuali censu Regie Curie solutum non extilisse, propter non solutum canonem ipsa terrarum tenimenta Regio demanio aperta et devoluta fuere. Et tandem idem Rex Federicus de ipso non persoluto census canone filio dicti notarii Nicholay concessionem faciendo, dictumque ius annui census ad par unum calcarium deauratorum communium Regie Curie anno quolibet solvendum redducendo, ipsi filio quondam notharij Nicholay eiusque imperpetuum heredibus et successoribus ipsa terrarum tenimenta Campane et Billiti confirmavit, de qua confirmacione ac reductione dicti census ad par calcarium predictum quodam in privilegio eiusdem Regis dato Cathanie XXVI^o Augusti III^o Inditionis 1365 et in Regie Cancellarie libro anni 1340 in cartis 144 notato contineri asseritur.

In libro autem Regie Cancellarie anni 1367 in cartis 98 quedam apparet notata Regia carta per ipsum Regem Federicum quondam Machalde uxori Ambrosiani de Sicamino concessa, in qua exponitur ipsam Machaldam quondam Bartuchii de Fiso, alias de Sancta Sicilia, filiam fuisse, et tanquam illius filiam et heredem dicta duo terrarum tenimenta, Campane scilicet et Billiti, tanquam eidem Bartuchio illius patri per prenominatam Reginam Leonoram, virtute prefati privilegii dati Cathanie XII^o Ianuarii prime Inditionis 1362 concessa tenuisse et possedisse. Que quidem terrarum tenimenta, bellorum tumultibus tunc in Regno vigentibus, per nonnullos sibi occupata extiterant, et tandem in vim dicte Regie carte per eundem Regem Federicum mandatur eadem terrarum tenimenta ipsi Machalde, sub prelibati prestacione annui census, iuxta tenorem sui privilegii, restitui.

Nihilominus attendendum est, quod in his duobus privilegijs sive patentibus licteris maximus reperitur error et contradictio. Nam privilegium dicte Regine Leonore datum in anno 1362 in personam prelibati Bartuchii de Fiso et de Sancta Cecilia emanavit; in privilegio autem in libro anni 1340, ut supra, notato exprimitur, in personam dicti.

notarij Nicholai emanasse. Quodque eo defuncto, idem Rex heredibus ipsius notarij Nicholay prelibatam concessionem terrarum Billiti per dictam Reginam Leonoram ipsi factam ac concessionem terrarum Campane per prefatam Reginam Constanciam, cum relaxatione preteriti census non soluti ac cum reductione illius ad par unum calcarium communium auratorum anno quolibet Curie Regie prestando, etiam factam confirmavit, adeo quod per ipsas varias expositiones maximam fraudem et lesionem Regie Curie factam extitisse facillime comprehenditur; nam, cum dicatur privilegium dicte Regine Leonore datum in anno 1362 tam pro parte dicti Bartholuchii, quam pro parte dicti notarii Nicholay emanasse; stare non potest ambos ipsorum terrarum tenimentorum fuisse acquirentes, nam realiter eorum alter illa acquisivit et non ambo, et sic de hoc pro Curie cantela veritas videatur.

Preterea tuam non lateat Celsitudinem me percepisse dictum servicium seu annualem solucionem predictorum calcarium deauratorum Curie Regie non fuisse prestatam. Et ideo propter non solum canonem sive servicium ipsa terrarum tenimenta Regio demanio, prout prius fuerant, devoluta essent. Et si verba fieri non liceat an dictus Rex Federicus censum annualem tritici et ordeï predictum tamquam rem demanialem penes Regiam Secreciam antedictam tunc existentem, in preiudicium Regii patrimonij ac Regie Corone et Regalis successionis detrimentum et contra tenorem Regni Capitulum ad ipsum par calcarium deauratorum reducere poterat.

Ulterius reperitur post mortem dicte Machalde, prefati Ambrosiani de Sicamino coniugis, ipsa duo terrarum tenimenta Campane et Billiti in posse Geraldi de Sicamino dicti quondam Ambrosiani et Machalde iugalium filii devenisse. Qui Gerardus de Sicamino alterum ex ipsis terrarum tenimentis, puta Campanam, quondam Tuchio Detimera Leontinensi eiusque imperpetuum heredibus, precio unciarum quadraginta ac sub onere annui census salmarum sex victualium, scilicet quatuor frumenti et duarum ordeï, anno quolibet Regio demanio prestando, puplico mediante vendicionis instrumento acto manu notarii Petri de Simone Messanensis ultimo Ianuarii XI^o Indictionis 1372, vendidit. Quod quidem vendicionis huiusmodi instrumentum idem Serenissimus Rex Federicus, cum clausula scilicet, quatenus ipsa vendicio iuste, rite et rationabiliter facta extitit et cum dicto onere annui census salmarum sex victualium Regie Curie prestando, confirmavit enarrans, sub certis modo et forma, per ipsum Regem Francisco de Henrico Messanensi suisque imperpetuum heredibus fuisse concessum; de hoc tamen aliquod non apparet privi-

legium, per quod ius reddi posset, qua sub forma illi concessum fuerit, quemadmodum in alio ipsius Regis Federici privilegio in Regie Cancellarie libro anni 1371 in cartis 40 notato continetur.

Unde per precalendatum dicti Regis Federici privilegium prelibato notario Nicholao et eius filio et heredi concessum super reductione annui census prenotatorum duorum terrarum tenementorum ad unum par calcarium deauratorum, et in Regie Cancellarie libro anni 1340 in cartis 144, ut predicatur, notatum maxima notatur confusio; nam in privilegio antedicto Gerardi de Sicamino, qui terras Campane Tucio Detimera, cum prefato onere annui census salmarum sex victualium annis singulis Curie Regie prestando, vendidit, nulla fit de reductione antedicta iuris census ad ipsum par calcarium mentio. Et nihilominus, quia ab anno predicto 1372 usque ad hodiernum, anno 1512 decurrente, nullum aliud privilegium nullaque alia scriptura de ipsis terrarum tenementis in Regia Cancellaria reperitur minusque apparet quinam illa possideat, rationem aliquam dare non valeo sub qua possideatur forma aut si illorum possessores dictum ius annui census sive calcarium servicium ipsi Regie Curie prestiterint. Et propterea eosdem possessores ad edendum quo titulo illa possideant et si censum ipsum sive servicium, prout tenentur, prestiterunt vel si recta linea a primo illorum acquirentore descendunt pro Curie cautela cogere necesse est.

Finochara, terrarum tenementum.

Terrarum tenementum, vulgo nuncupatum Finochara, capacitatis salmarum centum in valle Nothi et territorio civitatis Cathanie prope terras monasteriorum Sancte Marie de Roccadia et Sancti Nicholay de Harenis existens, de sacro fuit Regio demanio. Quod exinde, regiminis tempore Serenissimi Regis Federici, quondam Nicholaus de Rocca Cathaniensis possedit, ipsoque Nicholao postmodum absque filiis eius de corpore legitime descendentibus defuncto, tenementum ipsum Regie Curie devolutum extitit. Illudque Rex idem quondam Nicholao de Traversa eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus, solita sub recognitione seu annuo censu Regie Curie prestando, eius cum Regio Privilegio in Regie Cancellarie libro anni 1371

in cartis 43 notato concessit. In anno vero 1375 XIII^o Marcij VII^o Indicionis quedam emanavit provisio a quondam Artali de Alagona tunc Regni Magistro Iusticiario et una cum socijs Generali Vicario, per quam Magistro Philippo Finochu Cathaniensi eiusque imperpetuum heredibus tenementum terrarum ipsum di la Finochara, sub onere census paris unius calcarium deauratorum annis singulis Regie Curie prestandorum et a Secreto Regie Curie nomine exigendorum concessum extitit.

Succedente exinde in Regni successione Serenissimo Rege Martino, Rex ipse eidem Magistro Philippo Finochu et suis imperpetuum heredibus provisionem ipsam, iuxta sui seriem et tenorem, confirmavit ac tamen lege previa, quod si dictus Magister Philippus aliquid aliud obtinuisset, de quo in dicta provisione nulla fuisset facta mentio, ipsa Regalis confessio irrita haberetur et nulla, sicuti in ipsius Regio privilegio dato in obsidione Placie XV^o Iunii III^o Inditionis 1396 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 139 notato late patet.

Perquisitis tamen per me et diligenter examinatis Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1396 usque ad hodiernum, anno 1512 currente, de ipso terrarum tenimento la Finochara nullum privilegium nullaque alia scriptura reperitur. Et sic nullam dare valeo rationem quinam illud possideat minusque si Regia Curia dictum annum censum calcarium consequuta fuit et est; immo reviso et per me diligenter recognito Capitulo Regie Secrecie Civitatis Cathanie in Regni Secreciarum Capibrevio, in cartis . . . notato, nullus apparet introitus sive exitus dicti iuris census. Verum possibile esset quod ius ipsum per Secretum terre Paternionis, que tunc temporis de Regio erat demanio, nunc autem in posse baronis existit, exactum fuisset, et sic dictum ius census fuisset et esset usurpatum, nam tenementum ipsum Finochara in territorio est Cathaniensi. Et ideo super his pro Curie cautela quod iuris fuerit providendum est.

Xiri feudum

Feudum vocatum Xiri, in valle Nothi iuxta casale Fabarie et territorium terre Calatagironi positum, per quondam Aloysiam de Pardo relictam quondam Alaymi de Pardo militis, tunc habita-

torem terre Leontini, antiquitus possidebatur. Cui quo iure aut sub qua forma, larga vel stricta, pervenerit, nullus apparet in Regia Cancellaria titulus et sic declarare nequeo an illud donare potuisset.

Regnante tandem Serenissimo Rege Ludovico, Aloysia ipsa de dicto Xiri feudo quondam Ioanni de Buzecta Messanensi, marito Aloysie filie quondam Leonardi de Pardo militis et Clare iugalium, retento tamen ipsi Alosie donatrici usufructu toto eius tempore vite, donacionem fecit inter vivos irrevocabilem, cuius Aloysie iunioris Aloysia predicta senior avia fuerat materna. Quam donacionem hac cum clausula fecit, scilicet, si Simon de Pardo ipsius donatricis et prefati Alaymi iugalium filius a foriudicatione, sub qua tunc temporis inodatus existebat, liberatus non fuisset vel si sine liberis masculis suo de corpore legitime descendentibus ipse Simon decessisset, Regio tamen servicio semper salvo. Quodque sequuta ipsius donatricis morte, consolidato usufructu ipsi proprietati, feudum predictum sic ut premititur, ad ipsum Ioannem Buccettam eiusque heredes libere reverteretur, sicuti quodam in publico donacionis instrumento acto manu notarij Mathei de Constancio Cathauensi XIII^o Novembris VI^o Inditionis 1307 contineri asseritur.

Mortuo tandem Simone prefato absque filijs masculis, prelibati pacti vigore, feudum predictum ad eundem Ioannem de Buccetta et eis heredes devenit iterumque Aloysia senior donatrix antedicta eisdem Ioanni Buccette et Aloysie iuniori iugalibus eorumque heredibus et successoribus feudum predictum Xiri, adeo quod de illo disponere in totum vel in partem illudque vendere, donare, permutare, alienare et pro anima adiudicare potuissent, de novo confirmavit.

Quam quidem donacionem Serenissimus Rex Federicus eidem Ioanni Buccette eiusque heredibus iure Francorum, iuxta dictam donacionem, sub consueto militari servitio ac cum clausula, quatenus donacio ipsa rite et rationabiliter facta est, iuribus Curie et alterius semper salvis, eius cum Regio privilegio in Regie Cancellarie libro anni 1340 in cartis 141 notato exinde acceptavit et confirmavit.

Postmodum autem prelibatus Ioannes de Buccetta, contemplacione matrimonii inter Blandum de Marchisana Cathaniensem et Machaldam ipsius Ioannis Buccette filiam contracti, eidem Blando eius genero ipsum Xiri feudum pro dote et ex causa dotis concessit, sicuti quodam in publico instrumento manu notarij Philippi de Sancta Sophia celebrato contineri dicitur; cum hoc tamen, quod si dictum matrimonium morte dicte Machalde, ex ea liberis non derelictis seu in minori vel iuniori etate ab intestato decedentibus, dissolveret, feu-

dum predictum ad ipsum Ioannem la Buccecta reverteretur. Nec non si matrimonium ipsum morte eiusdem Blandi dissolvi evenisset, liberis non derelictis, iddem feudum ad ipsum Ioannem etiam reverteretur, prout in quodam dotalicio instrumento manu notarij Francisci de Platamone VIII^o Iulii III^o Inditionis 1366 acto latius exaratur.

Ipsamque donacionem seu dotaliciam instrumentum dictus Serenissimus Rex Federicus eidem Blando Marchesana eiusque heredibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, cum reservatione lignaminum, mineriarum, salinarum, forestarum, solaciorum et defensarum antiquarum, tamquam ad Regium demanium spectancium, ac iactus baliste a mari infra terram aliorumque iurium Regie Curie et alterius ac Regni Constitutionum, eius cum Regio privilegio, in quo tenor ipsius contractus insertus est, in Regie Cancellarie libro anni 1364 in cartis 34 notato acceptavit et confirmavit.

Perquisitis itaque per me Regie Cancellarie libris a dicto anno 1364 usque ad annum 1397, nullum de dicto feudo inventum est privilegium sive investitura. Verum ipso in anno 1397 X^o Iulii VI^o Inditionis quedam emanavit a Serenissimo Rege Martino Regia provisio, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 158 notata, Petro de Fontanarussa Regio porterio directa, super danda possessione dicti feudi Xiri quondam Rogerio de Asmari. In qua narratur dictum Xiri feudum ipsi quondam Rogerio et suis heredibus et successoribus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio, concessum extitisse. Et tamen nullum apparet privilegium concessionis ipsius feudi ipsi quondam Rogerio de Asmari facte et propterea ratio dari non potest, quo titulo ipsum feudum fuit illi concessum.

In anno vero 1506 XVI^o Februarii X^o Inditionis Don Ugo de Sancta Pace, Lichodie Marchio, de ipso Xiri feudo una cum alijs a quondam Ioanne de Paternione Panhormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 482 notatam reportavit.

Ipsaque don Ugo de Sancta Pace Marchione defuncto, sibi in dicto Xiri feudo cum alijs successit don Poncius de Sancta Pace, eius filius, modernus Lichodie Marchio. Qui de ipso Xiri feudo una cum alijs terris et feudis suis a don Ugo de Montecatheno in presentiarum Regni Prorege, ob mortem dicti eius patris . . . mensis . . . Inditionis investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis . . . notatam obtinuit. Et nihilominus in eisdem duabus novissimis inve-

stituris nulla fit mentio quo iure ipsum Xiri feudum in posse istorum de Sancta Pace devenerit.

Visa nec minus per me quadam investitura per quondam don Raymundum de Sancta Pace, fratrem prelibati don Ugonis, super toto eius statu, ob mortem quondam Raymundi de Sancta Pace eius avi paterni XI^o Octobris VII^o Inditionis 1488, capta et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 228 notata, apparet in illa nullam de ipso Xiri feudo fieri mentionem. Unde si ipsius feudi Xiri verum privilegium sive titulus a possidente non habetur, nulla dari poterit ratio quo iure illud isti de Sancta Pace possideant. Et ideo ad hoc possidens edendum, ut veritas videatur, pro Curie cautela cogatur.

In presentiarum autem, anno 1512 currente, ipsum Xiri feudum per eundem don Poncium de Santa Pace possidetur. Quod annis singulis reddit 07. . . .

Muntinagro tenimentum terrarum

Terrarum tenementum Muntinagro vulgo dictum, in valle Nothi et territorio terre Leontini vocato Billiti positum, per quondam Riccardellum de Lamia antiquitus possidebatur; qui territorium ipsum Rogerio de Lamia de Leontino pro certo precio, cum onere census salmarum novem victualium anno quolibet Regie Curie solvendarum, exinde vendidit.

Postmodum autem Serenissimus Rex Federicus ab ipso iure annui census eundem Rogerium de Lamia eiusque imperpetuum heredes exemit et liberavit, ipsumque ius census ad par unum calcarium deauratorum per ipsum Rogerium illiusque heredes annis singulis eidem Regie Curie persolvendum reduxit, suaque cum Regia provisione tunc dicte terre Secretis mandavit, ut anno quolibet dictam annuam solutionem par calcarium predictorum pro ipsa Regia Curia exigerent, sicuti in ipsius Regia provisione in Regie Cancellarie libro anni 1347 in cartis 236 notata diffusius continetur.

Perquisitis per me postmodum Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1347 usque ad hodiernum, anno 1512 decurrente, nullum privilegium nullamque aliam de dicto terrarum tenimento scrip-

turam, per quam ratio dari posset, in cuius posse existat. inveni, et propterea est diligenter attendendum si Secreti terre predictae annis singulis censum ipsum calcarium deauratorum pro ipsa Regia Curia, iuxta formam dicte provisionis, exigere curarunt. Et est attendendum si in Regii Patrimonii preiudicium prelibatus Rex Federicus prefato Rogerio de Lamia suisque in perpetuum heredibus exemptionem dictarum salmarum novem victualium, ad quas dictum terrarum tenementum tenebatur, facere et ad dictum par calcarium reducere poterat sive debebat pro Curie cautela.

Turrecta et Mendula feuda

Feuda Turrecta et Mendula vulgo nuncupata, in valle Nothi et territorio terre Auguste posita, per quondam Beatricem de Branchifortibus antiquitus possidebantur; quo tamen titulo nullum apparet in Cancellaria privilegium; cumque exinde quondam don Raymundus de Sancta Pace senior, Lichodie baro, prefate Beatricis creditor in quadam pecuniarum summa fuisset, nequivissetque ipsas pecunias ab illa habere, servatis servandis, ipsi don Raymundo ex primo et secundo decreto ipsa feuda la Turrecta et la Mendula adiudicata fuere.

Persistente propterea prefato don Raymundo de Sancta Pace in ipsorum feudorum la Turrecta et la Mendula possessione, Calcerandus de Sancta Pace, eius filius naturalis, de ipsis feudis donationem obtinuit, qui ex Vestre C. Maiestatis privilegio legitimatus extiterat, cum conditione tamen, quod Ysabelle etiam naturali filie prefati don Raymundi de Sancta Pace Calcerandus ipse uncias mille pro eius matrimonio persolveret. Nihilominus si eandem Isabellam sine filiis mori contigisset, ipse uncie mille ad dictum Calcerandum reverterentur.

Processit etiam ex pacto, quod si eundem Calcerandum, nullis relictis filiis, decedere evenisset, ipsa duo feuda don Ugoni de Sancta Pace, filio don Poncij de Sancta Pace filii primogeniti ipsius don Raymundi cederent. Et si forte prelibata Beatrix de Branchifortibus aut sui heredes litigium pro dictis feudis temptassent, adeo quod feuda ipsa recuperasset, pecuniarum quantitas per illos exsolvenda eidem Cal-

cerando de Sancta Pace donatario traderetur, quemadmodum in quodam donacionis instrumento manu notharii Petri de Agnello VIII^o Septembris III^o Inditionis 1485 celebrato hec et alia late patent.

Quod quidem donacionis instrumentum quondam don Gaspar de Spes tunc Regni Prorex, quatenus donacio ipsa rite et recte processerit, natura et forma feudi in aliquo non mutata, servicio militari aliisque iuribus Regie Curie semper salvis, eius cum Viceregia provisione data Panhormi XXI^o Marcij III^o Indicionis 1486 et in Regie Cancellarie libro anni 1485 in cartis 305 notata acceptavit et confirmavit.

Inde vero ad annos fere duos prelibatus Calcerandus de Sancta Pace donatarius de ipsis duobus feudis la Turrecta et la Mendula a quondam don Iuliano Centelles tunc Regni Preside XV^o Iulii VI^o Inditionis 1488 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1487 in cartis 589 notatam, reportavit.

Nihilominus est habenda ratio, qua ex causa moram traxit ad obtinendum predictam investituram ultra terminum in Regni Constitutionibus statutum.

Ipsoque Calcerando de Sacta Pace defuncto, sibi in ipsis feudis Turrecte et Mendule successit Angelella eius filia et Blandie eius uxoris; qua Angilella exinde decedente, prelibata Blandia, tamquam mater, heres et tutrix ipsius Angelelle eius filie de ipsismet feudis a Don Ioanne de Lanuça, tunc Regni Vicerege, XVIII^o Marcii III^o Inditionis 1500, investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 290 notatam obtinuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feuda ipsa Turrecte et Mendule per prelibatam Blandiam possidentur, que ad secunda vota convolans cum matrimonium contraxit, que feuda anno quolibet reddunt uncias. . . . Tandem dictum Turrecte feudum in posse don Anthonii de Montecatheno Adernionis et Auguste Comititis devenit; quo tamen iure a dicta Blandia defecerit et ad ipsum Comitem pervenerit, quia in Cancellaria nullus reperitur titulus sive privilegium aut alia scriptura, nulla dari potest ratio. Nihilominus, ut percepi, a posse prefate Blandie feudum ipsum redemptum extitit, de qua luyctione nulla reperitur in Cancellaria scriptura.

Verum, quomodocumque sit, prelibatus don Anthonius de Montecatheno Comes et Domna Ioanna iugales prefatum Turrecte feudum Sebastiano Sgalambro de Leontino suisque imperpetuum heredibus et successoribus pro precio unciarum CCC, gratia tamen quandocumque pro eodem precio reddimendi mediante, in vim cuiusdam generalis Regie licentie eidem Comiti per Vestram C. Maiestatem pro

vendendo eius res feudales, cum relaxacione iuris decime et tarenii Regie Curie spectantis, Regia mediante provisione data Hyspali XVII^o Maij XIII^o, Inditionis 1511 concessa, de qua Viceregia emanavit executoria data Panhormi XVIII^o Septembris XV^o Inditionis 1511 francum, liberum et exemptum e militari servicio ac ab omni vectigali et cabella, vendiderunt; sicuti in quodam puplico contractu, manu Ioannis Anthonij de Marciano de Leontino XVI^o Februarii I^o Inditionis 1512 cum inserto tenore dicte Regie licentie et Viceregie executorie celebrato, continetur.

Quem vendicionis contractum don Ugo de Montecatheno Regni modernus Prorex ac omnia et singula in illo contencta, cum eadem relaxacione iuris decime et tarenii, iuxta formam dicte Regie provisionis, cum clausula, dispensantes super Capitulo VOLENTES, disparitate personarum, dismembracione feudi et cunctis omnibus alijs iuribus, Capitulis et Pragmaticis ac Constitucionibus in contrarium disponentibus, natura tamen et forma feudi in aliquo non mutata, servicio militari, iuribus Regie Curie et alterius cuiuscumque semper salvis etc., eidem Sebastiano Sgalambro emptori acceptavit et sua cum Viceregia provisione data Panhormi XXIII^o Maij prime Inditionis 1513 et in Regie Cancellarie libro anni 1512 in cartis 708 notata, confirmavit.

Qui: Sebastianus de feudo ipso pro se suisque heredibus et imperpetuum successoribus, iuxta formam privilegii dicti feudi, ab ipsomet Prorege XXII^o Ianuarii prime Inditionis 1513 investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni 1512 in cartis 762 notatam reportavit.

In presentiarum autem, dicto anno 1513 decurrente, feudum ipsum la Turrecta in vim dicte vendicionis per prefatum Sebastianum Sgalambrum possidetur, quod anno quolibet reddit. . 07. XI.

Et ultra exinde dictus Sebastianus de Sgalambro de dicto Turrecte feudo cepit a don Ioanne de Luna Regni Preside pro se suisque heredibus et successoribus investituram ob mortem C. Maiestatis Domini Ferdinandi Regis et successionem C. Principum Regine Ioanne et Regis Caroli successorum, die XXVII^o Novembris V^o Inditionis 1516, notata in libro Cancellarie dicti anni in cartis 246, et iuravit iterum reddere tantundem.

Mangalaniti et Manguli feuda

Feuda Mangalaniti et Manguli nuncupata, in territorio terre Bizini vallis Nothi reposita, ex Regia concessione per quondam Guillelmum de Passaneto de Leontino antiquitus possidebantur; sed patrata per ipsum Guillelmum de Passanecto contra Serenissimum Regem Federicum ac Serenissimam Reginam Constanciam eius uxorem damnata rebellionem, feuda ipsa Regie Curie devoluta fuere, ob quod Regina ipsa Constancia tunc Presidens quondam Ioanni de Calvellis Panhormite militi suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio, feudum predictum Mangalaniti ac medietatem feudi Manguli antedicti concessit; sicuti in ipsius Domine Regine privilegio dato Cathanie X^o Maij XV^e Inditionis 1362 continetur. Quod quidem privilegium et concessionem dictus Rex Federicus, ipsius Regine maritus, eidem Ioanni de Calvellis eiusque heredibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, cum reservacione iactus baliste a mari infra terram, mineriarum, salinarum et cunctarum aliarum regalarum, tamquam de Regio Demanio, Regio mediante privilegio dato Cathanie in anno 1363 II^e Inditionis accepit et confirmavit.

Deinde vero prelibato Guillelmo de Passaneto rebeli ad fidem Regiam reducto et per ipsum Regem Federicum remisso et in integrum restituto, feuda ipsa a manibus prelibati Ioannis de Calvellis revocata fuere et predicto Guillelmo de Passaneto iterum concessa et restituta; in quorum quidem feudorum excambium Rex idem ipsi Ioanni de Calvellis eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, feuda vocata lo Duccu et Michikemi, in valle Agrigenti posita, que olim Riccardi de Milite Panhormitani fuerant et ob eius absque liberis suo de corpore legitime descendentibus decessum, Regie Curie aperta et devoluta extiterant, concessit, cum clausula tamen, reservato eidem nobili dictisque suis heredibus, quod si processu temporis Michekemi et Ducci feuda evincerentur ab eis per aliquem vel aliquos ius in eis forsitan habere pretendentes, in eo casu Curia nostra teneatur sibi de equivalenti excambio in terra de morticijs et excadencijs eiusdem nostre Curie providere etc., quemadmodum eius in Regio privilegio, in quo ipsius privilegii Regine Constancie series de verbo ad verbum inserta est, in Regie Cancellarie libro anni 1371 in cartis 94 notato late patet.

De ipsis autem Mangalaniti et Manguli feudis Regie Cancellarie codicibus ab ipso anno 1371 usque ad presens, anno 1512 decurrente, diligenter recognitis, nullum privilegium nullamque aliam investituram invenire potui, per quam ratio dari posset quinam in illis successerint. Verum quod ipsa duo feuda Mangalaniti et Manguli in presentiarum per Don Poncium de Sancta Pace, Lichodie Marchionem, possidentur; quo tamen titulo illius ad manus devenierint, non apparet. Invenitur nec minus quedam investitura per quondam don Raymundum de Sancta Pace, ipsius Marchionis proavum, de ipsis feudis una cum aliis in anno 1453 capta, de qua in Magno Capibrevio, in capitulo feudi Falconarie, in cartis 1090 verba facta sunt. Et nihilominus de vero ipsorum feudorum Mangalaniti et Manguli titulo nulla facta est mentio. Et ideo partem illa possidentem ad edendum verum et antiquum titulum ipsorum feudorum cogi oportet, ut videri possit quo titulo et sub qua forma per illum possidentur.

Et nihilominus quadam in investitura per quondam don Ugonem de Sancta Pace ipsius moderni Marchionis patrem a quondam Ioanne Panhormitano Archiepiscopo tunc Regni Preside de Lichodie terra et alijs feudis XVI^o Februarii X^o Inditionis 1507 obtenta, et in Regie Cancellarie libro anni 1506 in cartis 482 notata, feudum Mangalaniti nominatur, sed de feudo Manguli nulla fit mentio. Et ideo est danda ratio, qua ex causa sub silentio feudum ipsum Manguli pertransivit.

Que feuda Mangalaniti et Manguli in presentiarum, anno 1512 currente, per ipsum don Poncium de Sancta Pace Marchionem possidentur, et anno quolibet reddunt 07.

Marineo, Lalia, Passanito, Belmontis feuda

Cum de feudis Marineo, Lalia, Passanito et Belmonte vulgo nuncupata dicendum sit. de ipso Marineo feudo, quod in valle Nothi et territorijs terrarum Calatagironi et Minei positum est, primum incipiam. Illud namque per Bartholomeum Formica de ipsa Calatagironi terra antiquitus possidebatur; quo tamen titulo non invenitur; sed per eundem Bartholomeum contra Serenissimos Reges Marti-

num et Mariam perpetrata rebellione, ante huiusmodi rebellionis processum et latam sententiam, Reges ipsi feudum predictum, tamquam Regie Curie ob prelibatam rebellionem apertum et devolutum, quondam Iacobo Campulo, tunc Regni Magistro Secreto, suisque imperpetuum heredibus et successoribus ac quibus voluerit, sub unius paris chirotecarum de coreo sive camusio census onere anno quolibet eidem Regie Curie, in Dominice Nativitatis festo, in domini recognitionis seu vassallagii signum perpetuo persolvendo, reservatis tamen ipsi Regie Curie iuribus lignaminum, mineriarum, salinarum, solaciorum et quarumcumque aliarum regaliarum, que sunt aut esse consueverunt vel debent de antiquo Regio Demanio, in excambium cuiusdam alterius feudi Flumini Fridu vulgo dictum, quod Reges ipsi eidem Bartholomeo eorum cum Regio privilegio dato Leontini in anno 1392 antea concesserant et illud consequi non valuerit; ob quod, eodem lacerato privilegio feudi Flumini Frido, eidem Bartholomeo equivalens excambium, in casu evictionis eiusdem feudi, super Regie Curie excadencijs et morticijs promissum extiterat, concesserunt; sicuti in ipsorum Regum privilegio dato Cathanie XX^o Septembris II^o Inditionis 1393 hec et alia diffusius exarantur.

Lata exinde contra prelibatum Bartholomeum Formica, servatis servandis, sententia per quam rebellis extitit declaratus, Reges pre-nominati, actento quod concessio ipsa ante ipsam condemnationem et sententiam latam facta extiterat, eidem Iacobo Campulo suisque heredibus et successoribus, ad illius maiorem cautelam ac ad omne tollendum dubium iterum et de novo primitivam donationem et privilegium eiusdem feudi Marineo, iuxta ipsius privilegii formam, continenciam et tenorem, confirmarunt; quemadmodum in ipsorum Regum alijs privilegijs datis Calatagironi XVIII^o Decembris II^o Inditionis 1393, que duo privilegia in Regie Cancellarie libro anni 1394 in cartis 64, 65 registrata sunt, serius continetur.

In registro autem Regie Cancellarie anni 1396 in cartis 30 quoddam aliud apparet ab eisdem Regibus Martino et Maria emanasse privilegium, per quod eidem Iacobo Campulo prelibatum Marinei feudum, una cum prenominationis alijs tribus, puta Lalie, Passaneti et Belmontis feudis, de quibus inferius loquar, Reges ipsi etiam confirmasse videntur.

Visis tamen per me et diligenter recognitis Regie Cancellarie codicibus ab anno 1396 antedicto usque ad presens, anno 1512 decurrente, de ipso Marinei feudo nullum aliud repperi privilegium. Verum in libro anni 1506, in cartis 482, quedam invenitur de ipso feudo investiture nota per quondam don Ugonem de Sancta Pace

tunc Lichodie, Butere, Luchula etc. baronem, in illis, ob mortem quondam don Poncij de Sancta Pace eius nepotis succedentem, capta, in qua nulla fit mentio, quo iure feudum ipsum penes istos de Sancta Pace pervenerit, minusque apparet quomodo a dicti Iacobi Campulo sive suorum heredum manibus et posse defecerit. Et ideo videndum est an in territorio terre Minei existat, que terra per diuturnum temporis intervallum penes Reginalem Cameram permansit. Nam evenire potuisset quod ipsius feudi Marinei possessores in dicta Reginali Cammera de illo se investissent, ibique censum seu annum servicium chirothecarum persolvissent, cum feudum ipsum Marinei tam in rolo feudorum Regij Demanii quam eiusdem Reginalis Camere non inveniatur. Sed si feudum ipsum in territorio terre Calatagironi, que demanialis est, extaret, prout privilegium dictorum Regum Martini et Marie dictat, Regium demanium super eodem feudo superioritatem et dominium ammisisset et deperderet. Et ideo videndum est, si ipsius feudi Marinei possessores legitime in illo successerunt, ac si in dicta Reginali Camera vel terris demanialibus dictum ius annualis census vel servicii persolverunt.

Lalia Feudum.

Feudum autem Lalie, eadem in valle Nothi et iuxta territorium terre Bizini existens, per quondam Luccam de la Rocca mulierem de Siracensis antiquitus possidebatur; quo tamen iure non invenitur. Sed Lucca ipsa eodem in Lalie feudo prenominatum Iacobum Campulum eiusque filios instituit heredes. Quam quidem feudi institutionem Reges ipsi Martinus et Maria eisdem Iacobo suisque heredibus, eorum cum Regio privilegio, dato Siracensis XI^o Novembris V^o Inditionis 1396 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 30 notato, acceptarunt et confirmarunt. Sed perquisitis dicte Regie Cancellarie registris a dicto anno 1396 usque ad presens, anno 1512 currente, nullum de eodem Lalie feudo privilegium seu investituram inveni, minusque repperi quo iure feudum ipsum ab ipso Iacobo Campulo sive suis heredibus defecerit. Verum in anno 1506 quedam emanavit investiture nota, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 482 notata, per quondam don Ugonem de Sancta Pace

tunc Lichodie, Butere, Luchula etc. baronem de ipso feudo Lalie, una cum alijs tamquam in illis, ob mortem quondam don Poncij de Sancta Pace eius nepotem succedentem, capta, in qua etiam nulla fit mentio quo iure feudum ipsum Lalie ad manus istorum de Sancta Pace devenerit.

Passanetum Feudum.

Feudum namque seu casale Passanetum, ipsa in valle Nothi ac iuxta territorium Francifontis, Militelli etc. consitum, per quondam Comitem Rogerium de Passaneto iuniorem, de quo nullus apparet in Cancellaria titulus, antiquitus possidebatur. Sed cum Comes ipse Rogerius contra Serenissimos Reges Martinum et Mariam rebellionem patrasset et sententialiter rebellis declaratus extitisset, feudum predictum seu casale Passanetum tamquam Regie Curie apertum et devolutum per eosdem Reges Berengario de Cruilles suisque imperpetuum heredibus et successoribus ac quibus voluisset, sub recognitione unius paris chirothecarum de coreo sive camusio, concessum extitit; sicuti in ipsorum Regio privilegio, dato Leontini XXVIII^o Septembris prime Inditionis 1392 et in Regie Cancellarie libro annorum 1380 et 1392 in cartis 130 notato, late patet.

Postmodum autem Berengarius de Cruilles antedictus dictum Passanetum casale sive feudum eo modo et forma, quibus sibi concessum fuerat ac sub eodem servicio paris unius chirothecarum Regie Curie annis singulis in festo Dominice Nativitatis persolvendo, quondam Iacobo Campulo eiusque heredibus imperpetuum et successoribus ac quibus voluisset pro florenis auri Florencie 1125, vendidit, prout in ipsius venditionis contractu acto Cathanie XIII^o Decembris prime Inditionis 1392 continetur. Quem vendicionis contractum Serenissimi Reges Martinus et Maria eidem Iacobo Campulo suisque heredibus et successoribus eorum, mediante Regio privilegio dato Cathanie XIII^o Decembris prime Inditionis 1392, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 18 notato, cum clausula vendendi et alienandi dictum feudum, iuribus Curie et alterius semper salvis, non obstante quod dictum feudum sive casale consueverit alias in baroniam dari, ac cum nonnullis alijs clausulis et condicionibus

acceptarunt et confirmarunt. Inde vero ad tempora Iacobus Campolus predictus de ipso Passaneto feudo, una cum alijs feudis ab ipsis Regibus, cum clausula non obstante quacumque alia donacione, eorum cum Regio privilegio dato Siracusicis XI^o Novembris V^e Inditionis 1396 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 30 notato confirmationem assecutus fuit.

A dicto tamen anno 1396 usque ad hodiernum, anno 1512 currente, nullum privilegium nullamque de ipso Passaneto feudo scripturam successoribus dicti Iacobi Campulo concessam in Regia Cancellaria inveni. Verum in anno 1453 II^e Inditionis quedam de ipso Passaneti feudo emanavit, investiture nota, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 466 registrata et per quondam Catherinam de Vigintimilio, tunc uxorem quondam Gasparis de Vigintimilio baronis Buxeme, ac per quondam Andream de Castellis, ipsius Catherine avum maternum, a quondam Simone Archiepiscopo Panhormitano, tunc Regni Preside, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, obtenta; eo quod per eorum procuratorem in manibus dicti Presidentis iurarunt nullum ad eos de ipso feudo devenisse privilegium. Sed constituto tamen de possessione illius, vigore Capituli Regni per Serenissimum Regem Alfonso indulti, investituram ipsam reportavit, sicuti in illa exponitur.

Est nihilominus mirandum, quare dictus Andreas de Castellis et Catherina de Vigintimilio avus et neptis iuraverint nullum de ipso feudo tenuisse privilegium; apparente vero et antiquo titulo dicti quondam Ioannis de Cruylles venditoris dicti feudi in personam Iacobi Campuli emptoris, qui Ioannes in illo, ob rebellionem Comitis Rogerii de Passaneto iunioris tunc possessoris dicti feudi, de quo titulus non apparet, ut predicatur, successit. Et ideo possessor feudi ipsius ad edendum quo iure sibi pervenerit dictum feudum, ut veritas prodeat, pro Curie cautele compellendus esset.

Regnante deinde Serenissimo Rege Ioanne Vestri Regii Culinis genitore, quamdam apparet emanasse provisionem a don Lupo Ximenes Durrea tunc Regni Prorege, datam Panhormi X^o Maij III^e Inditionis 1471, et in Regie Cancellarie libro anni 1470 in cartis 53 registratam et per dictum quondam Gasparem de Vigintimilio baronem Buxeme prenominate Catherine maritum obtentam; in qua exponitur quod vendito per dictum Iacobum Campulum quondam Henrico Statella feudo Passaneti prelibato pro uncijs 286, puplico mediante contractu manu notarij Petri de Aquila in anno 1395 celebrato, cum pacto tamen et facultate quod quandocumque posset Ia-

cobus ipse sive sui successores feudum ipsum pro eodem precio reemere; quo quidem in contractu inter cetera huiusmodi leguntur verba, scilicet: Ac proinde deficiente in fide Regia dominij recordij domini Regis Martini dicto Iacobo, omnibus bonis suis Regie Curie apertis et publicatis, hoc ius reemendi dictum feudum videbatur Regie Curie devolutum et apertum; et sic lite sopita diu ac dormiente fere annos XV etc. et per Fiscum Regium super eiusdem feudi confiscatione mota lite, et ex adverso per prenominatum Andream Navarrum, tamquam a Serenissimo Rege Alfonso nonnullarum Regiarum excandenciarum sibi concessarum privilegium tenentem, petito huiusmodi ius reemendi dictum Passaneti feudum tamquam de dictis Regijs excadencijs sibi omnino vendi et concedi debere: viso quod feudum ipsum in posse dicte Catherine uxoris eiusdem Gasparis de Vigintimilio et filie prefati Riccardi Statella successoris prenominati Henrici emptoris reperiebatur, in vim precalendate investiture per quondam Simonem Archiepiscopum Panhormitanum, tunc Regni Presidem, eisdem Gaspari de Vigintimilio et Catherine iugalibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, in anno 1453, ut predicatur, concessa, quando iuraverunt nullum habuisse de ipso feudo privilegium, quodque dictum ius luendi de Regijs excadencijs non erat, quodque quando de ipsis excadencijs fuisset, iugales ipsi, possessores tunc dicti feudi, in illo preferri debebant, prout iugales ipsi predicta et alia allegabant, Prorex ipse eadem cum Viceregia provisione eisdem Gaspari de Vigintimilio et Catherine iugalibus, ac filijs ex dicto eorum conjuzio natis et nascituris legitime descendentibus, prelibatum ius luendi concessit. Ita quod feudum ipsum penes eos et dictos eorum heredes remaneret, sine facultate reemendi tam per dictum Andream Navarrum, nomine sibi cesso et translato, vigore dicti contractus, quam alias per Regiam Curiam iuxta formam eisdem iugalibus concessam per dictum Simonem Archiepiscopum et Presidentem in dicto anno 1453 quemadmodum in ipsa Viceregia provisione dicti don Lupi Viceregis data, ut supra, in dicto anno 1471 hec et alia late patent. Nihilominus non desistam quin dicam dictum don Lupum Proregem iura Regie Curie, iusticia mediante, aliquando annihilare non potuisse, in concedendo dictum ius luendi pro Regia Curia, sub illis verbis in sua Viceregia provisione antedicta contentis, scilicet. Ita quod feudum prefatum Passaniti apud vos et prefatos liberos vestros remaneat sine facultate reemendi, tam predictum Andream, nomine sibi concesso et translato per eundem contractum, quam alias pro Regia Curia ipsum feudum apud vos remaneat, iuxta formam vobis concessam per prenominatum Presidentem in privilegio supra exposito

et mencionato, sub servicio militari et sub lege feudi in dicto privilegio vobis dato, addita forma superius enarrata etc. Nam tam virtute Pragmatice *POST BELLA* vocate, quam in vim aliarum Constitutionum, Legum et Capitulorum Regni Regia Curia pro eodem precio feudum ipsum reddimere potest.

Inde vero ad multa tempora et annos Catherina antedicta don Sigismundo de Vigintimilio eius nepoti seu Ioannello de Vigintimilio, ipsius Sigismundi filio, de feudo eodem Passaneti, contractu puplico manu notarii Nicolai la Licata XXIII^o Maij III^o Inditionis 1501 celebrato mediante, donacionem fecit; de quo feudo Sigismundus ipse, tamquam pater et legitimus administrator prelibati Ioannelli eius filii, pro se suisque imperpetuum heredibus a don Ioanne de Lanuça tunc Regni Prorege XXIII^o Ianuarii VIII^o Inditionis 1506 investituram in Regie Cancellarie libro anni 1505 in cartis 293 notatam obtinuit.

Qua quidem in investitura de stricta forma, iure Francorum, nulla exprimitur mentio. Et ideo contra formam novissimorum dicti feudi privilegiorum hoc tendere videtur, ob quod miror quomodo huiusmodi investitura per Regios officiales et signanter per Regii Fisci Patronum ita expedita fuerit. Nihilominus, quicquid sit, Vestra C. Maestas in vim sepe dicte Pragmatice *POST BELLA* vocate pro eodem precio dictum Passaneti feudum sibi capere potest.

Mortuo demum prelibato Ioannello de Vigintimilio, prelibati Sigismundi de Vigintimilio filio, sibi in dicto Passaneti feudo successit Petrus de Vigintimilio, predicti Ioannelli frater et ipsius Sigismundi filius; pro quo Petro idem Sigismundus, paterno et administratorio nomine eiusdem Petri filij sui, a don Ugone de Montecatheno moderno Regni Prorege XXVI^o Februarii XV^o Inditionis 1512 de ipso Passaneti feudo investituram in Regie Cancellarie libro anni 1511 in cartis 370 notatam reportavit.

In presentiarum autem, anno predicto 1512 decurrente, Passaneti feudum prelibatum per ipsum Sigismundum, quo supra nomine possidetur, quod anno quolibet reddit. 07 LXXX.

Dictus vero don Petrus de Vigintimilio, ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis, a don Ioanne de Luna Preside de dicto feudo investituram impetravit die XVIIII^o Ianuarii V^o Inditionis 1517 notatam in libro anni 1516 f. 429 et iuravit reddere tantumdem.

Belmontis Feudum.

Feudum vero Belmontis, eadem in valle Nothi iuxta Palagoniam existens, per quondam Iaymum de Alagona antiquitus possidebatur; quo tamen iure, ignoro, cum in Regia Cancellaria nullum de eo titulum invenerim. Rebellato tandem ipso Iaymo, feudum predictum Regie Curie apertum fuit et devolutum; illudque Serenissimi Reges Martinus et Maria quondam Iacobo Campulo eiusque imperpetuum heredibus et successoribus ac quibus voluerit, cum potestate etiam illud vendendi, alienandi etc. sub prestacione unius paris chirothecarum de coreo anno quolibet in signum recognitionis dominij et vassallagij in festo Dominice Nativitatis Regie Curie facienda, concessere. Nec minus Reges ipsi eidem Iacobo Campulo ad ipsius feudi evictionem se obligarunt, illi promittentes equivalens excambium super Regie Curie excadencijs et morticijs; quemadmodum in eorum Regio privilegio dato Placie XII^o Octobris prime Inditionis 1392 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 170 notato hec et alia serius enarrantur.

Inde vero ad tempora, prelibati Reges eorum cum Regio privilegio dato Siracensis XI^o Novembris V^e Inditionis 1396 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 30 notato eidem Iacobo Campulo illiusque heredibus feudum ipsum Belmontis una cum prenomminatis feudis Marineo, Lalia et Passaneto confirmarunt.

Postmodum autem feudum Belmontis prelibatum ad Leonardum Sassem dicti Serenissimi Regis Martini Camerarii (*sic*) devenit; tamen ipsa in Cancellaria non apparet quomodo a dicto Iacobo Campulo defecerit et ad prefatum Leonardum pervenerit. Tandem, quicquid sit, expositum fuit prefatum Regem Martinum certo precio ab ipso Leonardo Sassem, puplico mediante contractu acto manu quondam Fortugni de Carusio tunc Magne Regie Curie magistri notarii, feudum Belmontis antedictum emisse; illudque postmodum Iacobo de Gravina eius Regio Secretario illiusque heredibus suo de corpore legitime descendantibus, iure Francorum, pro precio unciarum CCCC, sub onere tamen et servicio unius paris chirothecarum Regie Curie anno quolibet solvendo, concessisse. Quam ob concessionem Iacobus ipse eidem Regi dictas uncias quadringentas pro eius Regio recessu ad partes Cathalonie persolvit, sicuti in ipsius Regis Martini privi-

legio dato Leontini primo Octobris prime Inditionis 1407 et in Regie Cancellarie libro anni 1406 in cartis 86 notato continetur.

Deinde autem Serenissima Regina Blanca, tunc in Regno Vicaria, eidem Iacobo de Gravina ad eius gracie maioris cumulum formam concessionis feudi eiusdem strictam ad formam largam pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus ampliavit, ut in eius Vicariali privilegio dato Cathanie in anno 1410 X^o Maij III^e Inditionis et in Regie Cancellarie libro annorum 1360-1366 in cartis 32 notato continetur.

Unde patet dictum Belmontis feudum prelibato Iacobo de Gravina pro predictis uncijs 400 venditum fuisse et concessum et sic pro eisdem Regia Curia in vim Regni Pragmaticarum, de quibus pluries verba feci, quandocumque feudum ipsum recuperare potest et suo Regio demanio restituere.

In anno vero 1415 quedam a Serenissimo Infante Ioanne tunc Regni Vicario, eodem instante Iacobo de Gravina, emanavit provisio in libro eiusdem anni 1415 in cartis 14 notata, per quam exponitur in signum et recognitionem servicii Regie Curie anno quolibet prestandi pro dicto feudo fuisse Regie Curie solutum de iure census paris unius chirothecarum pro annis videlicet VIII^o Inditionis tunc proxime preterite et VIII^o Inditionis tunc presentis ad demonstrandum annuam dicti census solucionem.

Ipsoque Iacobo de Gravina exinde defuncto, sibi in dicto Belmontis feudo successit Carolus de Gravina eius filius, qui cum inserto tenore privilegii dicti Regis Martini, de quo superius mencio facta est, ac cum assertione cuiusdam Regie provisionis, per quam asseritur annis singulis dicti feudi possessorem requiri debere a Regia Curia ad solvendum dictum censum paris unius chirothecarum de camusio ipsi Curie et non aliter, a quondam don Lupo Ximenem Durrea tunc Regni Prorege, pro se et suis heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub eadem solucione et recognitione dicti iuris census anno quolibet Regie Curie solvendi, ad omnem ipsius Regie Curie requisicionem ac cum reservacione Regiarum Regalium aliorumque Regie Curie iurium VIII^o Iulii prime Inditionis 1453 investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 62 notatam obtinuit.

Tandem, eodem Carulo de Gravina vivente, sive in vim donationis seu alias, ipsum Belmontis feudum in posse quondam Anthonij Iacobi de Gravina, filii ipsius Caroli ex ultimo eius matrimonio, pervenit, a quo non apparet fuisse captam investituram; qui Anthonius Iacobus de Gravina prelibato Carulo seniori premortuus fuit.

Et sic illi in ipso feudo successit Carolus de Gravina, tunc minor, prefati Anthonii Iacobi de Gravina filius, qui Carolus minor per eius balium et tutorem, ob mortem Serenissimi Regis Ioannis Tui Regie Serenitatis genitoris, de ipso Belmontis feudo investituram obtinuit; tamen non apparet de illo ob mortem dicti Anthonij Iacobi eius patris se investisse; quemadmodum in investitura in Regie Cancellarie libro anni 1478 in cartis 587 notata late patet.

Postmodum autem, ipso Carulo de Gravina absque filiis obeunte, sibi in dicto Belmontis feudo successit Vassallus de Gravina eius frater, filius legitimus et naturalis prelibati Anthonii Iacobi de Gravina. Qui Vassallus pro se suisque heredibus, iure Francorum, iuxta formam sui privilegii, a quondam don Iuliano Centelles tunc Regni Preside de ipso feudo XXVIII^o Aprilis VII^o Inditionis 1488 investituram in Regie Cancellarie libro anni 1487 in cartis 415 notatam consequutus fuit.

In presentiarum autem, anno 1512 currente, ipsum Belmontis feudum per eundem Vassallum de Gravina possidetur et reddit anno quolibet 07 CXX.

Dictus vero Vassallus, ob mortem domini Regis Ferdinandi, cepit de dicto feudo investituram a Don Ioanne de Luna Preside die XVIII^o Ianuarij V^o Inditionis 1517, notatam in libro anni 1516 f^o. 383 et iuravit procurator, scilicet Petrus Lucchesi, in animam constituentis reddere tantundem.

Et nihilominus, prout percepi, Regia Curia a tempore dicti Iacobi de Gravina, primi acquisite predicti feudi Belmontis, citra nullam de ipso annuo censu paris chirothecarum solucionem consequuta fuit, et hoc quia nullam habebat noticiam se teneri ad requirendum petitionem dicti annui census. Unde Regia Curia ipsa decepta et minus lesa reperitur et sic de hoc nota fieri debet, ut dictum ius census tam pro preterito quam pro futuro recuperari possit. Preterea Vestra C. Maiestas pro eisdem uncijs CCCC per prelibatum Iacobum de Gravina predicto Regi Martino solutis pro habicione eiusdem feudi feudum ipsum recuperare posset.

Supradolcuna, la Dardara Feudum

Feudum Supradolcuna, la Dardara vulgo dictum, in valle Nothi secus territoria terrarum Heraclie, Licate et Butere positum; in cuius posse antiquitus devenerat, nullus in Regia Cancellaria reperitur titulus. Tempore, quo Serenissimi Reges Martinus et Maria Regno potiebantur, cum assereretur feudum ipsum iustis ex causis et rationibus penes Regiam Curiam vacare, illud quondam Giliberto de Talamanca suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, antiquis Regijs Regalijs alijsque Regie Curie iuribus semper salvis, Reges predicti eorum cum Regio privilegio dato Panhormi X^o Iunii 1392 et in Regie Cancellarie libro anni 1391 in cartis 107 notato concessere.

Perquisitis itaque Regie Cancellarie registris a dicto anno 1392 usque ad presens, anno 1513 decurrente, nullum aliud de eodem feudo privilegium, actum sive investituram in alicuius personam concessam inveni minusque feudum ipsum in feudorum Regni rollo reperitur. Unde Regia Curia ipsa in suis iuribus defraudata apparet et ideo scrutari oportet, in cuius posse ad presens existat et quo titulo per ipsum possidentem detineatur, pro Curie cautela.

**Mautana cum fundaco, vinea et alijs terrarum
pecijs territorium.**

Mautana territorium, una cum quodam fundaco et vinea ac alijs pecijs terrarum in valle Nothi et Heraclie tenimento positum, per quondam Petrum de Cannariato Panhormitam antiquitus possidebatur. Qui cum contra Serenissimos Reges Martinum et Mariam rebellionem patrasset, bona ipsa Regie Curie aperta et devoluta extitere. Illaque Reges ipsi quondam Anthonio de Perlaxo, tunc terre Heraclie Secreto, suisque imperpetuum heredibus et successoribus, in emendam et compensacionem trium servorum, quos Regie Curie no-

mine a quondam Ioanna uxore Francisci de Rosa Petrus de Planella in Regno tunc Regius Marescalcus consequutus fuerat, iuribus Curie et alterius semper salvis, eorum cum Regio privilegio dato Cathanie XXVIII^o Augusti III^o Inditionis 1395 et in Regie Cancellarie libro anni 1393 in cartis 63 notato concessere.

Ad presens autem, anno 1513 decurrente, predicta Heraclia terra in posse baronis reperitur, nullaque adhuc noticia haberi potuit, in cuius posse territorium ipsum Mautana cum fundaco, vinea et alijs bonis pervenerit, et si forte genelogia prelibati Anthonij de Perlaxo extincta est: nam si ita esset, actenta ipsorum bonorum concessione, que facta fuit, tempore quo ipsa Heraclia terra demanialis erat, bona ipsa in vim Regiarum excadenciarum et Regaliarum Regie Curie devoluta essent et non baroni et possessori terre ipsius. Nihilominus videndum est et iusticia mediante, recte considerandum, si per Regiam Curiam, restitutis dictis tribus servis, in quorum emendam bona predicta, que multo maiorem summam precij ipsorum trium servorum capiunt, concessa fuerant, posset Regia Curia ipsa eadem bona recuperare, Capitulis et Regni Constitutionibus et signanter Pragmatica POST BELLA vocata simili in casu disponenti premaxime consideratis.

Cuthuminu Feudum.

Feudum Cuthuminu nuncupatum, in valle Nothi et tenimento terrarum Placie et Calatagironi existens, per quondam Riccardum de Cuthumino, de quo nullus in Regia Cancellaria titulus apparet, antiquitus possidebatur. Sed cum Riccardus ipse ad mortem devenisset, suum condidit testamentum, in quo nonnullas personas fideicommissarias et in solidum executrices ipsius testamenti, una cum Agnesia eius uxore, constituit et in eodem feudo ac alijs eius bonis Avinantem eius filiam et dicte Agnetis uxoris sue heredem instituit universalem; hac tamen cum condicione, quod si dicta Agnes eius uxor gravida reperiretur et pareret, posthumus ex illa nasciturus in dicto feudo succederet; quo casu, dicta Avinans eius filia uncias tricentas, dotis nomine, pro suo maritaggio sive coniugio consequeretur. Quando vero dicta Avinans et posthumus vel posthuma absque filiis eorum de corpore legitime descendentibus forte

decederent, ipsi fideicommissarii et in solidum executores possent et deberent feudum Cuthuminum antedictum vendere preciumque ex eo proveniendum pro eius anima ad eorum arbitrium erogare. Quo sic condito testamento, Riccardus ipse decessit, sibi dicta Abinante eius filia et universali herede superstite nulloque posthumo vel posthuma ex dicta Agnete ipsius testatoris uxore exinde nato.

Deinde vero Avinante predicta sine heredibus eius de corpore legitime descendantibus decedente, cum ipsius mortis tempore feudum ipsum in eius posse reperiretur, ad ipsius feudi subhastacionem et vendicionem per Magnam Regiam Curiam ac per ipsos fideicommissarios in quondam iudicem Thomeum de Solonibus de Forlivo Messanensem processum extitit, sicuti apparere dicitur tenore cuiusdam puplici contractus XIII^o Augusti X^e Inditionis 1342 celebrati. Quem vendicionis contractum Serenissimum Regem Lodovicum confirmasse asseritur.

Postmodum autem feudum predictum in posse quondam Dine mulieris, filie legitime et naturalis dicti iudicis Thomei, pervenit, Serenissimusque Rex Federicus, prelibati Regis Lodovici frater et in Regno successor, vendicionis instrumentum antedictum eidem Dine mulieri acceptavit et confirmavit, sicuti per verba cuiusdam privilegii eiusdem Regis Federici percepi, in quo est inserta pars dicti instrumenti. Cui quidem privilegio vera conclusio deest minusque ipsum privilegium expeditum reperitur; tamen ita incompletum in Regie Cancellarie libro dicti anni 1364 in cartis 101 notatum apparet.

Post aliqua tempora et annos, videlicet tempore regiminis Serenissimi Regis Martini, ipsum Cuthuminum feudum in posse quondam Oliverii de Prothonotario militis pervenit; quo tamen iure ad eius pervenerit manus, in Regia Cancellaria non demonstratur minusque assignari potest ratio an dictus Oliverius a prelibata quondam Dina, filia prenominati iudicis Thomei de Solonibus descendat. Tandem idem Oliverius de Prothonotario suo cum testamento Ioannem de Prothonotario eius filium in certis eius bonis feudalibus instituit. Et deinde idem Oliverius, eius cum ultimo codicillo, quondam Matheum de Perrono legum doctorem pro se suisque imperpetuum heredibus, sub prestacione Regii militaris servicii, ita quod anno quolibet perpetuo Messanensi monasterio sacratissime Dominice Ascensionis per ipsum Oliverium fundato pro suarum monialium vita et sustentacione medietatem reddituum feudi ipsius tradere teneretur, heredem instituit.

Similiter idem Oliverius cum dicto eius codicillo baiuliam Melacij Iacobo de Castella legum doctori iusque toni et Amanfaragii

maris Melacii Iacobo de Aldoyno Messanensi, eadem cum condicione imperpetuum elargiendi eidem monasterio medietatem fructuum et reddituum illorum, legavit; cum hoc etiam, quod si aliquis vel aliqui ipsorum contrafecisset, statim caderet ab omni emolumento, vigore dicte codicillaris dispositionis, ut supra, nec non et cum hac clausula scilicet: Item volo et mando quod si reperiri contingat me quovis iure. de dictis tribus membris seu ipsorum aliquo seu aliquibus disponere et testari non posse, quod pretextu prefate dispositionis mee, ut supra, in presenti codicillo facte dictum monasterium meum de evictione ipsorum trium membrorum seu feudorum et ipsorum cuiuslibet ac ad defensionem ipsorum nullatenus teneatur nec propter hoc aliquod dampnum seu interesse quomodolibet paciatur, quomodo voluntatis et intencionis mee est et sic declaro quod tantum de illo iure quod in eis habeo dispono et non ultra etc. Quam codicillarem dispositionem Serenissimus Rex Martinus antedictus ipsi Iacobo de Aldoyno tantum pro thono Melacij, sub consueto militari servicio iuribusque Curie et alterius semper salvis, suo cum Regio privilegio dato Cathanie in anno 1406 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 208 notato confirmavit.

Est ideo omnino videndum, quo iure feudum ipsum Cuthuminum in posse prefati Oliverij de Prothonotario devenerit et si ex forma sui tituli de illo in aliam agnacionem et non in suos legitime descendentes disponere poterat, nam notissimum est lineam istorum de Prothonotario in Ioannem de Prothonotario filium prefati Oliverij testatoris finivisse. Et sic Regia Curia maximum super dicto feudo ius haberet et tanto magis quia dictus Oliverius per verba in dicta codicillari dispositione apposita pre se tulit se non tute de ipsis feudis testari potuisse, cum dixerit quod in casu quo testari non potuisset, dicto monasterio ad aliquam non teneretur evictionem. Et ideo est curandum ut titulus dicti Oliverij veniat pro Curie cautela.

Deinde vero Matheus de Perrono doctor prelibatus Franchino de Perrono etiam legum doctori eius filio de ipso Cuthumino feudo donacionem fecit. Qui Franchinus a Serenissimo Rege Alfonso Vestre C. Maiestatis patruo pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, de ipso Cuthumino feudo confirmacionem, Regni Constitucionibus iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, reportavit, prout in ipsius Regis Alfonsi privilegio dato in castris apud Fontem Chirppi XVIII^o Iunii VII^o Indictionis 1443 late patet. Quo in privilegio per partem illud impetrandem expositum fuit, feudum predictum eidem Matheo de Perrono patri

prelibati Franchini a quondam Oliverio de Prothonotario concessum extitisse et inde a Serenissimo Rege Martino, sui virtute Regii privilegii dati Messane XI^o Septembris II^o Inditionis 1408, confirmatum fuisse; quod dicti Regis Alfonsi privilegium Panhormitanus Archiepiscopus, tunc Regni Preses, eidem Franchino de Perrono in vim Viceregie investiture date Panhormi X^o Octobris II^o Inditionis 1453 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 284 notate confirmavit.

Et nihilominus in Regie Cancellarie officio nullum apparet privilegium a dicto Rege Martino in dicto anno 1408 concessum, cuius virtute codicillarem dispositionem de dicto feudo per dictum quondam Oliverium de Prothonotario prelibato Matheo de Perrono factam, prout ipse in investitura Presidali antedicta exposuit, confirmaverit. Verum solummodo reperitur confirmacio iuris thoni et Amanfaragii Melacii per ipsum Regem Martinum Iacobo de Aldoyno concessa. Et ideo possidens ad hoc edendum, ut veritas discernatur, cogi debet.

Mortuo exinde Franchino de Perrono prelibato, sibi in dicto Cuthumino feudo successit Anthonius de Perrono, eius filius primogenitus, qui non apparet ob mortem dicti eius patris de ipso feudo investituram cepisse, nisi tantum ob mortem Serenissimi Regis Ioannis Vestri Regii Culminis genitoris, prout in ipsa investitura in Regie Cancellarie libro anni 1479 in cartis 482 notata continetur.

Qui quidem Anthonius de Perrono de ipso Cuthumino feudo Matheo de Perrono eius fratri, filio secundogenito prelibati Franchini donacionem fecit. Qui Matheus pro se suisque heredibus, iure Francorum, de eodem feudo XVIII^o Iulii XIII^o Inditionis 1480 investituram in dicto Regie Cancellarie libro anni 1479 in cartis 498 notatam reportavit.

Idemque Matheus de Perrono deinde de ipso eodem feudo Ieronymo de Perrono illius filio primogenito, legitimo et naturali propter nuptias donacionem fecit, qui Ieronymus pro se eiusque heredibus, iure Francorum, de ipso feudo a Joanne de Lanuça tunc Regni Prorege XVII^o Augusti II^o Inditionis 1498 investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 470 notatam assequutus fuit.

Postmodum autem prelibati Matheus et Ieronymus de Perrono, pater et filius, de feudo Cuthumino eodem Matheo de Calaxibecta, marito Franciscelle filie ipsius Ieronimi, propter nuptias donacionem fecere. Qui Matheus de Calaxibecta pro se et suis heredibus et successoribus, iuxta formam sui privilegii X^o Novembris X^o Inditio-

nis 1506, de feudo ipso investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 193 notatam impetravit. Qua quidem in investitura realiter exprimi oportebat forma stricta, iure Francorum, et non forma larga, videlicet pro heredibus et successoribus, nam in Regie Curie prejudicium nimis tendit. Et ideo ab officialibus est recte posthac attendendum, ut in investituris per eos absolvendis formam largam sive strictam iuxta formam tituli exprimant. In presentiarum autem, anno 1513 currente, feudum Cuthumini antedictum per ipsum Iacobum de Calaxibecta ut maritum prelibate Franciscelle de Perrono possidetur, quod anno quolibet reddit . . . 07 LXXX.

Exinde vero dictum feudum Cuthumini venit in posse Mathei de Calaxibecta, de cuius successione in officio Cancellarie non apparet investitura, et ideo edat pro Curie cautela. Tandem ultimo loco dictus Matheus de Calaxibecta de dicto feudo, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die XVIII^o Ianuarii V. Inditionis notatam. in libro anni 1516 in cartis 404.

Gathatausi Feudum

Feudum Gathatausi sive Catatausi nuncupatum, in valle Nothi et tenimento terre Nothi positum, quod tunc temporis redditus erat unciarum quatuor anno quolibet, per quondam Anthonium Cachaguerra seniore de ipsa terra Nothi, et postmodum per Antonium de Cachaguerra iuniorem eius filium et heredem antiquitus possidebatur; de quibus tamen nullus in Regia Cancellaria titulus reperitur. Verum, cum dictus Anthonius Cachaguerra iunior coram Serenissimis Regibus Martino et Maria tunc regnantibus compareret, illosque informaret se dictumque eius patrem per annos fere octuaginta feudum predictum tenuisse et possedisse ac de illo privilegia non habuisse, cum illa bellorum turbinibus casualiter amisisse assereret, ab ipsis Regibus pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub militari servicio unius balistarij pedestris, de feudo Gathatausi predicto, antiquis Regiis Regalijs et excadencijs ac Regie Curie iuribus semper salvis, XX^o Ia-

nuarii III^o Inditionis 1395 confirmacionem in Regie Cancellarie libro anni 1393 in cartis 117 registratam reportavit.

Mortuo postmodum Anthonio Cachaguerra iuniore antedicto, sibi in dicto Gathatausi feudo successit Franciscus Cachaguerra eius filius, de quo nulla apparet investitura.

Ipsoque Francisco Cachaguerra exinde decedente, sibi eodem in feudo successit Guido Cachaguerra, eius filius, qui pro se eiusque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub militari Regio servicio unius balistarii pedestris, ut supra, cum inserto tenore predicti privilegii Regis Martini, a quondam Illerdensi episcopo et Anthonio de Cardona tunc Regni Proregibus de ipso feudo Gathatausi primo Augusti XI^o Inditionis 1418 investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 8 notatam obtinuit. Quo Guidone Cachaguerra defuncto, apparet quondam Ioannem Barbulatum, tamquam filium quondam Aurelie filie prelibati Guidonis, a quondam Panhormitano Archiepiscopo tunc Regni Preside X^o Septembris II^o Inditionis 1453 de eodem Gathatausi feudo investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 524 notatam reportasse; in qua inter cetera huiusmodi verba leguntur, scilicet: Et nobis humiliter supplicavit, ut cum quondam Franciscus Cachaguerra avus dicti informantis, donec vixerit, feudum predictum Gathatausi tenuerit et possederit, fructus, redditus et provenctus percipiendo et percipi faciendo; quo Francisco ab hoc seculo subtracto, in feudo ipso successerit Guidus Cachaguerra, eius filius legitimus et naturalis, in personam cuius preinsertum privilegium extitit celebratum; et donec vixerit, feudum ipsum tenuerit et possederit, fructus redditus et provenctus percipiendo et percipi faciendo; quo Guidone mortuo, in dicto feudo successerit Anthonius, filius predicti Francisci et frater dicti Guidonis et donec vixerit feudum ipsum tenuerit et possederit, fructus, redditus et provenctus percipiendo et percipi faciendo, ipseque Anthonellus viam universe carnis ingrediens, Aurelia filia dicti Guidonis et soror dicti Anthonelli in dicto feudo eidem patri suo successerit et donec vixerit, tenuerit et possederit dictum feudum, fructus, redditus et provenctus percipiendo; que Aurelia mortem obiit, cui successerit Ioannes Barthulatus, eius filius legitimus et naturalis et succedere voluerit, tenuerit et possederit et de presenti tenet et possidet fructus, redditus et provenctus percipiendo et percipi faciendo, ut dignemur dicto Ioanne etc.

Per verba huiusmodi investiture (nisi forte ex scriptoris errore hoc processerit) evidenter colligitur, investituram ipsam surrepticie, tacita veritate, ac sub involucro emanatam et obtentam extitisse.

Nam patet Guidonem Cachaguerra prelibatum filium fuisse quondam Francisci Cachaguerra, filii quondam Antonij, ut supra, ipsoque Guidone defuncto, sibi in dicto feudo Antonium eius fratrem, filium eiusdem Francisci, successisse. Unde clarissime demonstratur, quod cum dictus Anthonius eidem Guidoni eius fratri successerit, idem Guido filios masculos habuisset, propter ius Francorum, eius filius successisset et non eius frater. Quomodo ergo per dictum Ioannem Barbulatum expositum fuit, quod mortuo prelibato Anthonio Cachaguerra, filio prenominati Francisci Cachaguerra et fratre predicti Guidonis, sibi successit Anthonellus Cachaguerra, qui dictus est, frater prefate Aurelie, filie eiusdem Guidonis, a qua prenominate Ioannes Barbulatus eius filius descendit, cum manifeste liqueat dictum Guidonem filios masculos non habuisse, nisi feminas, puta dictam Aureliam, ob quod in chaos incidere visus sum, intelligendo predictae narrativam investiture? Nam nisi hoc ex scriptoris errore, ut predicatur, non processerit, dico ipsa in investitura maximam surreptionem et dolum intervenisse, sicuti per ipsius narrative verba superius annotata facillime percipi potest. Et ideo inconueniens non esset de hoc pro Curie cautela veritatem inquiri. Tandem, quomodocumque sit, in dicto Gathatausi feudo successit prelibatus Ioannes Barbulatus, filius prefate Aurelie, que prelibati Guidonis filia dicta est. Qui Ioannes de ipso feudo a Panhormitano Archiepiscopo tunc Regni Preside, ut predicatur, dictam investituram obtinuit.

Decedente tandem Ioanne Barbulato antedicto, sibi in dicto Gathatausi feudo successit Muchius Barbulatus, eius filius, qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub servicio unius balistarii, a Don Lupo Ximenem Durrea tunc Regni Prorege de ipso feudo, Serenissimi Regis Iacobi Constitutionibus aliorumque Sicilie Regum iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, X^o Iunii III^e Inditionis 1456 investituram in Regie Cancellarie libro anni 1455 in cartis 339 notatam consequutus fuit.

Ipsaque Muchio Barbulato nature satisfaciente, sibi in dicto Gathatausi feudo nec non et in feudo Billudie successit Ioannes Barbulatus, eius filius, qui pro se eiusque heredibus, ut supra, iure Francorum, a quondam Ioanne de Lanuça tunc Regni Prorege de ipsis feudis XVII^o Iunii II^e Inditionis 1499, investituram in Regie Cancellarie libro anni 1498 in cartis 451 notatam reportavit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, dictum Gathatausi feudum et Billudia per dictum Ioannem Barbulatu possidetur, quod antiquitus, ut exponitur, anno quolibet reddebat uncias . . . nunc vero reddit 07 XXX.

Dictus vero Ioannes Barbulato, ob mortem domini Regis Ferdinandi, de dicto feudo Gathatausi et Billudie a Don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die XXI^o Ianuarii V^o Inditionis 1516 in cartis 484 et iuravit reddere dicta feuda tantumdem uncias.

Collitorto, alias Flumen di la Mendula feudum

Feudum Collitortum, alias flumen di la Mendula nuncupatum, in valle Nothi et territorio Castri Ioannis positum, tenementum terrarum paganicum sive burgensaticum, Collitorto nuncupatum, antiquitus fuerat possessum tunc temporis per quondam Matheum Collitorto, de terra Nothi habitatorem. Quo quidem in terrarum tenimento Regia Curia ius herbagii percipiebat, Serenissimaque Regina Maria tunc temporis regnans eidem Matheo Collutorto et suis heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, de ipso iure herbagij dicte Regie Curie spectante ac de quolibet alio iure ad feudum pertinente, sub servicio unius balistarij per eum et heredes suos eidem Regie Curie prestando, iuribus tamen Curie et alterius cuiuscumque semper salvis, suo cum Reginali privilegio dato Cathanie VI^o Aprilis prime Inditionis 1378 et in Regie Cancellarie libro anni 1392 in cartis 84 notato concessionem fecit.

Mortuo postmodum dicto Matheo Collutorto, sibi in dicto territorio et iuribus successit Riccardus de Collitorto, eius filius, ipsoque Riccardo Collitorto deinde defuncto, sibi in eisdem territorio et iuribus, ac alijs iuribus ad feudum spectantibus successit Amicus de Collitorto, eius filius, de quibus patre et filio nulla apparet Regia in Cancellaria investitura.

Prelibato autem Bono Amico Collitorto decedente, sibi in dicto Collitorto feudo successit Matheus de Collitorto, eius filius legitimus et naturalis. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub dicto militari servicio unius balistarii, a quondam Don Lupo Ximenem Durrea Regni Prorege de dicto feudo cum inserto tenore predicti Reginalis privilegii, iuribus Curie et alterius semper salvis, XXIII^o Maij prime Inditionis 1458 investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 151 notatam obtinuit.

Defuncto demum prelibato Matheo de Collitorto, sibi in dicto feudo successit Nicholaus Collitortus, eius filius primogenitus legitimus et naturalis. Qui pro se suisque heredibus et successoribus in perpetuum, iuxta formam suorum privilegiorum, de ipso feudo a quondam Gaspare de Spes tunc Regni Prorege primo Februarij XV. Inditionis 1481 investituram obtinuit. Que in Regie Cancellarie codicibus registrata non invenitur, iuxta Regni Capitula minusque investitura predicta pro heredibus et imperpetuum successoribus concedi debebat, cum vera forma concessionis antedictæ pro heredibus de suo corpore legitime descendentibus, iure Francorum, concessa fuerit; ob quod manifeste colligitur dictam investituram fraudulenter impetratam extitisse, cum cantet pro heredibus et imperpetuum successoribus alterque Matheus de Collitortis, successor primi Mathei de Collitortis, in cuius personam Reginale privilegium prelibatum celebratum fuit, sibi a Serenissimo Rege Alfonso de dicto territorio confirmacionis privilegium pro se suisque heredibus et successoribus quasi in larga forma sibi impetravit, nulla facta mentione de forma stricta, pro se et suis heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, iuxta formam dicti Reginalis privilegii ac de servicio militari unius balistarii antedicto, prout quoddam privilegium Serenissimi Regis Alfonsi datum in anno 1445 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 399 notatum dictat.

Quod privilegium ob tam notoriam surreptionem et veritatis occultacionem in Regalis preeminentie derogacionem non solum invalidum et nullum dici posset, sed etiam feudum ipsum esset Regio demanio apertum et devolutum. Nam quomodo investitura per Nicolaum Collortum ultimo loco impetrata dictet pro se suisque heredibus et successoribus, iuxta formam privilegiorum suorum, evenire posset, quod ipsius feudi possessores loco primi tituli dictum surrepticium privilegium prelibati Regis Alfonsi ostentarent et de illo ac si esset primus titulus se letari vellent, nulla facta mentione de dicto Reginali privilegio. Et sic forma stricta in amplam in gravi damno et preiudicio Regalis Corone fraudulenter conversa esset.

Noviter autem prelibato Nicholao Collitorto nature satisfacientem, sibi in dicto Collitorto feudo successit Alfonsus de Collitorto eius filius. Qui a Don Petro Sanchez de Calatajudio moderno Regni Preside de ipso Collitorto feudo die XXVIII^o mensis Ianuarij prime Inditionis 1513 investituram obtinuit pro se suisque heredibus et successoribus, iuxta formam suorum privilegiorum notatam in libro anni 1512 in cartis 419.

In presentiarum autem, anno 1513 currente, feudum ipsum Col-

litorto possidetur per dictum Alfonsum Collitorto et reddit 07. XXX.

Et ultra ipse Alfonsus, ob mortem domini Regis Ferdinandi, cepit de dicto feudo investituram a don Ioanne de Luna Preside die XVIII^o Decembris V^o Inditionis 1516, notatam in libro dicti anni in cartis 354 et iuravit reddere ut supra.

Casba Casale seu feudum.

Feudum sive Casale Casba nuncupatum, in valle Nothi et territorio Castri Ioannis positum, per quondam Ioannem de Petroso, de quo nullus in Regia Cancellaria reperitur titulus, antiquis temporibus possidebatur. Quo tandem decedente, tribus filiabus sibi superstitibus, videlicet Venecia, Constancia et Bartholomia, Venetia predicta, tamquam maior natu et alijs prelata, in dicto feudo successit et cum Riccardo de Risgallo deinde matrimonio iuncta fuit ac pro se suisque heredibus eius de corpore legitime imperpetuum descendentibus, sub consueto militari servicio, a Serenissimo Rege Federico, XII^o Ianuarij 1330, de ipso Casba feudo investituram obtinuit, seu pro ea et eius nomine prelibatus Riccardus eius vir, qui de illo possessionem etiam tenebat, sicuti predicta in investitura continetur, idemque Riccardus, cum exinde contra Serenissimum Regem Lodovicum, nepotem prelibati Regis Federici, et illius in Regno successorem, rebellionem exercuisset, feudum predictum Regie Curie apertum fuit et devolutum Rexque Lodovicus antedictus feudum Cashe predictum quondam Galvagno Traversa, preter eius lacum vocatum Petrosam, prope dictum feudum existentem, quem iudici Ioanni de Bruno concesserat, concessit. Qua facta concessione, Venecia prelibata, coram dicto Rege Lodovico comparens, exposuit dictum feudum sibi tamquam filie et heredi dicti Ioannis de Petroso eius patris et non predicto Riccardo de Risgallo illius viro contingere et ad eam spectare et pertinere et per consequens ipsas donaciones fieri non potuisse. Unde dictus Rex Lodovicus, cum privilegia feudi ipsius inspici et recognosci fecisset, veritatemque inspexisset, donaciones antedictas feudi ipsius et lacus Galvagno et iudici Ioanni factas annullavit dictumque feu-

dum, cum iuribus suis, prelibate Venecie restituit, sicuti in ipsius Regis Lodovici privilegio dato in terra Castri Ioannis XVIII° Novembris VIII° Indictionis 1354 continetur.

Ipsaque Venecia defuncta, sibi in dicto Casbe feudo successit Constanca, eius filia legitima et naturalis ac heres, uxor quondam Federici de Cosentia. Que Constanca pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, natis vel nascituris, de ipso feudo, cum iuribus suis, a Serenissimis Regibus utroque Martino et Maria, iure Francorum, sub consueto militari servicio, eorum Regio mediante privilegio dato Cathanie XIII° Maij prime Indictionis 1393 et in Regie Cancellarie libro anni 1392 in cartis 49 notato, investituram et confirmacionem ac de novo donacionem obtinuit.

Federico de Cusentia prelibato, Constancie antedictae marito contra eosdem Reges exinde, ut asseritur, rebellato, dictam ob rebellionem feudum Casbe predictum Regie Curie devolutum, una cum quodam terrarum tenemento vocato lu Cheuso, prope dictum feudum existente, quod fuit Iacobi de Aydono, Iuvencii de Raya et Ioannis de Lecto etiam rebellium, Reges prelibati quondam Iudici Simoni de Falconibus de terra Calaxibecte suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, cum illis serviciis et recognitionibus debitis et assuetis, prout rebelles ipsi illa possidebant, concessere; quemadmodum in dicto eorum Regio privilegio dato Cathanie II° Marcij III° Indictionis 1394, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 109 notato continetur.

Unde hoc in loco difficultas movetur, videlicet quod semel ipsum Casbe feudum prenominate Constancie de Cusentia fuerat et non prefati Federici de Cusentia eius viri, quapropter ab ipsa Constanca, nisi rebellis fuisset, feudum ipsum abstrahi non potuisset.

Tamen, quicquid sit, inde ad annos fere duos aliud emanavit privilegium a dictis Regibus utroque Martino et Maria super concessione ipsius feudi Casbe in personam quondam Riccardi Collitorto de terra Castri Ioannis et suorum heredum, eius de corpore legitime descendentium, sub consueto militari servicio, in quo apparet feudum ipsum, ob rebellionem dicti Federici de Cusentia, qui fuit maritus dicte Constancie domine predicti feudi, prelibato Riccardo Collitorto fuisse concessum, prout ipso in privilegio Regio dato Tauromenio V° Octobris V° Indictionis 1396 et in Regie Cancellarie libro annorum 1393, 1396, 1397 in cartis 143 notato late patet.

Et sic duo hec privilegia inter se contraria discernuntur, quod non sine maxima admiratione preteriisse videtur, precipue cum per privilegium ultimum prefato Riccardo Collitorto concessum primum

privilegium prelibato quondam Iudici Simoni de Falconibus traditum non revocetur, deque illo nulla fiat mentio.

Hic vero Riccardus de Collitorto, cum duos habuisset filios, unum nomine Bonum Amicum primogenitum, alterum vero Ioannem de Collitorto secundogenitum et ad ultimum sue vite finem devenisset, suum condidit testamentum, per quod feudum ipsum de Collitorto sive flumi di la Mendula, de quo superius in illius capitulo in cartis 508 verba facta sunt, prelibato Bono Amico eius filio maiori natu dimisit, dictum vero feudum Casba prefato Ioanni, etiam eius filio minori natu, legavit. Quod Casbe feudum Riccardus ipse, in vim dicti privilegii Regum utriusque Martini et Marie tenuisse et possedisse asseruit. Dicitur autem Bonus Amicus eidem Ioanni Collitorto, eius fratri minori natu, iura maioris natu, que eodem in feudo Casbe tenebat, exinde cessit, ut in contractu huiusmodi iurium cessionis, manu notarii Gregorij de Prothopapa celebrato, contineri asseritur. Qui quidem Ioannes de Collitorto de dicta testamentaria paterna dispositione ac fraterna primogeniture cessione, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, super dicto Casbe feudo confirmationem et investituram, cum clausula, scilicet, eatenus quatenus dicta testamentaria dispositio iuste et rite processit etc., iuribus Curie et alterius semper salvis, reportavit; quemadmodum in Regis Martini predicti privilegio, in quo non reperitur data, ut moris est, notato in Regie Cancellarie libro anni 1407 in cartis 224 serius exponitur.

Similiter Ioannes de Collitorto antedictus de dicto Casbe feudo ab Illerdensi Episcopo et Anthonio de Cardona tunc Proregibus XVII^o Februarij X^o Inditionis 1416 aliam exinde investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 150 notatam consequutus extitit. Quo Ioanne de Collitorto, nullis filiis legitimis et naturalibus relictis, defuncto, sibi in dicto Casbe feudo successit prefatus Bonus Amicus de Collitortis, eius frater maior natu. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, sub consueto militari servicio, de ipso feudo a quondam Nicholao de Speciali, tunc Regni Prorege, Regni Constitutionibus Regiisque iuribus et alterius semper salvis, XXVIII^o Octobris II^o Inditionis 1423 investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 103 notatam reportavit.

In contrarium autem horum, que per dictum Bonum Amicum de Collitortis exposita sunt et obtenta, alia reperitur investitura de dicto feudo, per quondam Capizanam de Maltisi mulierem capta et per quondam Don Lupum Ximenem Durrea, tunc Regni Proregem, sibi concessa; nam cum in ea exponitur (*sic*) dictum quondam Riccardum de

Collitortis, prefate Capizane atavum, ex concessione sibi per dictum Regem Martinum facta, dictum feudum tenuisse et possedisse; quo defuncto, illi eodem in feudo prefatum Ioannem eius filium, de quo verba facta sunt, successisse; ipsoque Ioanne absque filiis decedente, feudum sepedictum ad manus et posse Flosdelisie, dicti Riccardi filie et prefati Ioannis sororis, devenisse; ipsamque Flosdelisiam, donec vixit, feudum ipsum tenuisse et possedisse; qua exinde Flosdelisia mortua, feudum sepedictum prelibate Capizane ipsius Flosdelisie et Leti de Raya iugalium filie, pervenisse; quibus iugalibus decedentibus, Capizanam ipsam de dicto feudo pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio, Regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie semper salvis, a dicto Vicerege VII^o Iunij prime Indictionis 1453, investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 153 notatam reportasse; ipsaque eadem in investitura nulla facta sit mentio de investitura per pre-nominatum Bonum Amicum, ob mortem prelibati Ioannis de Collitortis eius fratris, de ipso Casbe feudo capta; maxima apparet in utraque investitura differentia ac surreptio notoria, tacita veritate, impetrata. Et propterea iuris dispositioni me remicto.

Exinde vero feudum Casbe predictum in posse Leti de Gualdelajara pervenit et post eius mortem Ioanni de Gualdelajara eius filio cessit. Qui Ioannes de ipso feudo, pro indiviso cum Nicholao Maltisi, durante tamen ipsius Nicholai vita et post eiusdem Nicholai obitum, ut totum ipsum Casbe feudum ipsi Ioanni integritate deveniret, virtute accordij et capitulacionis inter eos firmate, a quondam Ferdinando de Acuña Regni Prorege XVIII^o Augusti VIII^o Indictionis 1490 investituram in Regie Cancellarie libro anni 1489 in cartis 836 notatam obtinuit. Qua in investitura nulla fit mentio, quo iure sibi pervenerit aut si a prelibata quondam Capizana descendit.

Tandem feudum antedictum Casbe ad dictum Nicholaum Maltisi et exinde ad Petrum Vincentium Maltisi eius filium, in vim donacionis de illo sibi per ipsum Nicholaum eius patrem facte, pervenit. Qui Petrus Vincencius pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, a Don Raymundo de Cardona tunc Regni Prorege de ipso feudo Casbe V^o Aprilis XI^o Indictionis 1508 investituram in Regie Cancellarie libro anni 1507 in cartis 544 notatam consequutus est.

Et tamen ipsa in investitura nulla fit mentio, quo iure feudum ipsum in posse ipsius Nicholai Maltisi solius restiterit. Et ideo si in eo legitime vel illegitime successerit, ratio dari non potest.

In presentiarum autem, anno 1513 currente, feudum Casbe

predictum per prefatum Petrum Vincencium Maltisi possidetur et reddit anno quolibet 07. LII

Et ultra dictus Petrus Vincencius Maltisi cepit a Don Ioanne de Luna de dicto feudo investituram, ob mortem domini Ferdinandi Regis die XI^o Decembris V^o Inditionis 1516, notatam in libro dicti anni f.^o 285 et ipsemet, tactis Scripturis, iuravit dictum feudum reddere tantundem.

Ramasuli, Pancali et Pantani salsi feuda.

Cum de feudis Ramasuli et Pancali, in valle Nothi et tenimento terre Leontini positis, hoc in loco dicendum sit, de feudo Ramasule primo exponam. Quod per quondam Madalenam, relictam quondam Anthonii de Alagona militis, eiusdem terre Leontini ad annum censum seu emphiteoticacionem cuiusdam annue prestacionis antiquitus possidebatur. Quae Madalena, cum exsolvere Regie Curie dictam pensionem annuam seu censum postponeret, Regia Curia ipsa propter non solutum canonem, servatis servandis, dictum terrarum tenementum Ramasuli sibi revocavit. Quo revocato, Serenissimi Reges uterque Martinus et Maria quondam Nicholao Crisaphi, tunc Magistro Notario Officii Magistri Rationalis suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub annua prestacione paris unius calcarium, illud concessere; sicuti in ipsorum Regum privilegio, in quo data et Secretarii mandatum deest et in Regie Cancellarie libro anni 1394 II^o Inditionis in cartis 106 ita incompleta reperitur, latius exponitur.

Regnante postmodum Serenissimo Rege Alfonso ac terra ipsa Leontini simul cum nonnullis alijs imposse Serenissime Regine Marie, eiusdem Regis Alfonsi consortis ac tunc Regni ipsius Generalis Locumtenentis in Cameram reducta, ipsa duo feuda Ramasolis et Pancali imposse quondam Nicholai de Speciali ac Florelle, eius filie, dicte terre Leontini habitatorum, reperta fuere. Quibus quo iure cesserint ac quomodo ipsum terrarum tenementum Ramasuli in feudum fuerit erectum, nullus in Regia Cancellaria titulus apparet minusque reperitur, qua ratione ipsum terrarum tenementum Ramasuli a prelibato Nicholao Crisaphi defecerit, et ad dictum Nicholaum et Florellam de Speciali patrem et filiam pervenerit.

Tandem prelibatis Nicholao et Florella de Speciali absque prole defunctis, feuda ipsa per Regias excadencias Regie Curie devoluta fuere. Unde dictus Rex Alfonsus, ut suis tunc subveniret necessitatibus, per se suosque in Regno successores nec non et per Serenissimam Reginam Mariam predictam, illius uxorem, cuius intererat, feuda predicta Ramasolis et Pancali quondam Gucterre de Nava suisque imperpetuum heredibus et successoribus utriusque sexus, in forma feudali, pro precio unciarum tricentarum monete Sicilie ultra Farum vendidit, ut in huiusmodi vendicionis Regio privilegio dato in Castro-novo Neapolis XX^o Septembris II^e Inditionis 1423 continetur. Qui Ingucterra de Nava, dum vixit, feuda ipsa sub certis feudalibus servicijs, in feudum tenuit et possedit.

Ipsaque Ingucterra de Nava absque liberis decedente, illius hereditas quondam Gondisalvo de Nava eius fratri delata fuit. Qui Gondisalvus asserens se de eisdem feudis a dicta Serenissima Regina investituram obtinuisse, de ipsis duobus feudis pro se et heredibus suis a dicto Rege Alfonso confirmationem et investituram, cum clausula scilicet: iam dudum Gondisalvum de Nava pro se et suis heredibus utriusque sexus imperpetuum, veris existentibus prenarratis, ad successionem dictorum feudorum loco investiture admittimus etc. nec non et cum alia clausula, scilicet, non obstante quod infra legitima tempora dicti Ingucterre mortem non denunciaverit et a nobis investituram pecierit etc. sub feudalibus servicijs tanquam feudum, ut supra, pro et sub quibus dictus Ingucterra, frater ipsius Condisalvi, dicta feuda a Regia Curia tenebat, iuribus tamen Curie et alterius semper salvis, etiam reportavit; quemadmodum in ipsius Regis Alfonsi privilegio dato Neapoli III^o Iulij prime Inditionis 1453, de quo Viceregie emanarunt executorie, notate in libro Cancellarie dicti anni in cartis 365, hec et alia diffusius enarrantur.

Perquisitisque per me Regie Cancellarie registris a dicto anno 1453 usque ad annum 1505, nullum de ipsis feudis Ramasolis et Pancali actum sive investituram repperi. Verum in libro anni 1505 in cartis 255 quedam reperitur investitura, per quam apparet Ioan-nem de Nava VII^o Februarij VIII^e Indictionis 1506, de feudis predictis nec non et de feudo Pantani Salsi, de quo inferius in cartis. verba facta sunt, ob mortem Serenissime Regine Elisabeth Vestre Catholice Maiestatis olim consortis, se investivit. Sed cum ob mortem suorum progenitorum non se investiverit, nullam dare valeo rationem si illorum possessor ex primo acquiretore recta linea descendit. Tamen, ut recte ipsorum feudorum informacio fieri valeat, est primo videndus illorum primus titulus ut discutiatur, quo iure prenominala

Madalena de Alagona territorium Ramasolis ad annum censum possidebat, ut percipiatur vera quantitas ipsius census et sub qua forma illi concessum extitit; nec non cui et quomodo dictum feudum Pancali concessum fuit et sub qua etiam forma, cum nullus de eo antiquus titulus sive actus appareat. Preterea videndum est pro Curie cautela, quo iure utrumque feudum Ramasolis et Pancali ad prelibatos Nicholaum et Florellam de Speciali patrem et filiam pervenerit, et exinde feuda ipsa Pancali, Ramasoli et Pantani Salsi ad dictum Ioannem de Nava devenerint. Est etiam recte attendendum pro Regie Curie utilitate et Regie Pragmatice Post BELLA observacione, quod dicta feuda Ramasolis et Pancali per dictum Regem Alfonso precio unciarum CCC vendita fuere; ob quod Regia Curia ipsa pro eodem precio feuda eadem recuperare posset et Regio demanio aggregare.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feuda ipsa Pancali, Ramasoli et Pantani Salsi per prefatum Ioannem de Nava possidentur; que anno quolibet reddunt 07. . . .

Chanzaria feudum.

Fendum Chanzaria vocatum, situm et positum in valle Nothi et tenimento Calatagironi, per quondam Actardum de la Padula, de quo nullus in Regia Cancellaria titulus apparet, antiquitus possidebatur. Deinde vero feudum predictum in quondam Anthonie eius filie et heredis, ut tunc asseruit, posse devenit; que tunc temporis Guglocte de Timonia uxor erat. Ipsisque Guglocta et Antonia iugalibus contra Serenissimos Reges utrumque Martinum et Mariam rebellionem exercentibus, tam ob dictam rebellionem, quam quia dicta Anthonia sine legitimis heredibus decessit, feudum ipsum la Chanzaria Regie Curie devolutum extitit; illudque Reges ipsi quondam Raynerio de Morana Calatagironensi suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum sub consueto militari servicio, pro eius servicijs prestitis, cum reservacione omnium antiquarum Regiarum Regalium ac Regni Constitutionum iuriumque Regie Curie et alterius, eorum cum Regio privilegio dato Cathanie XX^o Octobris III^o Indictionis 1395 et in Regie Cancellarie libro anni 1393 in cartis 87

notato, exinde concessere. In quo exponitur feudum ipsum eius concessionis tempore uncias viginti annuales redditus, iuxta informacionem de Regio mandato super hoc captam, reddere.

Raynerio autem de Morana antedicto defuncto, sibi eodem in feudo successit Margaritella eius filia primogenita et heres. Que pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, cum illis clausulis et condicionibus cum quibus dicto Raynerio patri suo concessum extiterat, a Serenissimo Rege Martino, iuxta formam dicti privilegii et cum eius inserto tenore, dicti feudi confirmacionem datam Cathanie XIII^o Februarij XIII^o Inditionis 1405 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 112 notatam, reportavit.

Ipsaque Margaritella decedente, sibi in dicto Chanzarie feudo successit Milicia eius filia et heres ac uxor Petri de Modica. Que pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iuxta formam precalendatorum privilegiorum ac cum reservacionibus eisdem in privilegiis contentis, de ipso feudo a quondam Don Lupo Ximenem Durrea Prorege cum eorum inserto tenore confirmacionem et investituram datam Panhormi XXVI^o Februarij XI^e Inditionis 1447, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 287 notatam, obtinuit.

Sed quia in Regie Cancellarie libris a dicto anno 1447 usque ad hodiernum nullus actus nullaque investitura de dicto feudo reperitur, mihi persuadeo dictam Miliciam mulierem adhuc vitam agere in humanis ipsumque feudum per eandem possideri. Tamen inconveniens non esset si perciperetur an mulier ipsa vivit an non, et si per eam vel alium feudum ipsum possidetur. Quod feudum tempore concessionis per dictos Reges Martinum et Mariam facte anno quolibet, ut predicatur, uncias viginti reddere solebat. Et pro eodem reddito primo eius acquirenti, illius actentis servicijs, concessum extitit. In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, reddit . . 07. CC. et pro totidem solvit iura Regiis officialibus.

Nihilominus ab aliquibus percepi, quod dicto Petro de Modica defuncto, successit in eodem feudo Chanzerie Perrellus de Modica eius filius, tamen nullam dare valeo rationem si Perrellus ipse erat filius dictorum Petri et Milicie iugalium. Quo Perrello mortuo, successit sibi Agathucia eius filia, nunc uxor Vassalli de Gravina et per eosdem Vassallum et Agatuciam iugales in presentiarum, dicto anno 1513 decurrente, dictum Chanzerie feudum possidetur. Tamen in Cancellaria nec de Petro de Modica marito Milicie, nec de Perrello de Modica, nec de feudo ipso investitura apparet, nec aliqua alia scriptura; dicta vero Agatucia existens in minori etate, ob mortem Perrelli eius patris, de dicto feudo habuit investituram a Vice-

rege, qui tunc erat, die III^o Marcij X^o Indictionis 1477, notatam in libro Cancellarie dicti anni f.^o 555.

Mortua vero dicta domina Agatucia, successit sibi in dicto Cancarie feudo Anthonius de Gravina, eius filius legitimus et naturalis ac Vassalli de Gravina mariti dicte domine Agatucie, qui ob mortem dicte Agatucie eius matris de ipso Chanzarie feudo a don Ugone de Montecatheno, moderno Regni Prorege, XXVI^o die mensis Octobris III^o Indictionis 1515 investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis . . . notatam, obtinuit. Et in presentiarum, dicto anno 1515 decurrente, per eum feudum predictum possidetur.

Dictus vero Vassallus de Gravina, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die XVIII^o Ianuarij V^o Inditionis 1517, notatam in libro 1516 in cartis 387, et iuravit eius procurator reddere dictas uncias ducentas.

Et sic videndum est si Regie Pragmatice POST BELLA virtute, persolutis possessori dicti feudi dictis unciis viginti annualibus, feudum ipsum Regio demanio restitui et agregari potest.

Scarpellum Feudum.

Feudum Scarpellum nuncupatum, in valle Nothi et tenimento Leontini positum, per quondam Blascum de Alagona antiquitus possidebatur; quo tamen iure ad illum pervenerit, nullus in Regia Cancellaria titulus reperitur. Quo quidem Blasco exinde contra Regiam Coronam immaniter rebellato, ipsam ob rebellionem feudum predictum Regie Curie devolutum extitit, illudque Serenissimi Reges uterque Martinus et Maria quondam Arnaldo Segni concessere.

Ipsoque Arnaldo Segni absque heredibus eius de corpore legitime descendantibus defuncto, feudum ipsum eidem Regie Curie iterum devolutum fuit, iddemque Reges predicti, uterque Martinus et Maria, quondam Iacobo la Rocca suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum sub consueto militari servicio, Regiis antiquis Regalijs, Regni Constitutionibus et iuribus Regie Curie ac alterius semper salvis, eorum cum Regio Privilegio, in quo data decet, in Regie Cancellarie libro anni 1394 in cartis 159 notato, iterum concesserunt.

Perquisitoque per me Regie Cancellarie repertorio Regni feudorum, a dicto anno 1394 usque ad presens, anno 1513 decurrente, nullum privilegium actumve sive investituram de dicto feudo Scarpello inveni. Et ideo nullam dare valeo rationem, in cuius posse ad presens, anno 1513 currente, dictum feudum existat et si recta linea a primo illius acquiretore descendit. Sed quia feudum ipsum in tenimento Leontini Reginalis Cammere consitum est, evenire posset quod ipsius feudi privilegia in Archivo dicte Reginalis Cammere reperirentur. Et ideo informacio habeatur, ut ipsius feudi Capitulum integritate compleri possit pro Curie cautela.

Feudum Morbanum.

Morbanum feudum appellatum, in valle Nothi et tenimentis terrarum Bizini et Bucheri existens, per quondam Landum de Ferula, de quo nullus apparet titulus, antiquitus possidebatur. Patrata tandem per dictum Landum contra Serenissimos Reges utrumque Martinum et Mariam rebellionem, ipsoque feudo propterea Regie Curie devoluto, Reges ipsi feudum predictum Morbanum quondam Iacobo de Serra Siracusano, eiusque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum sub consueto militari servicio, scilicet, quociens opus erit vel fuerint ipse et heredes sui requisiti per Regiam Curiam, Regiis antiquis Regalijs, Regni Constitutionibus et Regie Curie iuribus semper salvis, eorum cum Regio privilegio dato Cathanie VIII^o Octobris II^o Inditionis 1393, et in Regie Cancellarie libro anni 1392 in cartis 78 notato, concesserunt.

Defuncto exinde eodem Iacobo de Serra, nullis heredibus eius de corpore legitime descendentibus derelictis, feudum ipsum Morbanum Regie Curie iterum devolutum extitit, illudque Reges predicti quondam Nicholao de Matheo, eiusque heredibus suo de corpore legitime descendentibus, iure Francorum sub consueto militari servicio, Regijsque antiquis Regalijs et iuribus Regie Curie ac alterius semper salvis, eorum cum Regio privilegio dato Cathanie XV^o Februarij V^o Inditionis 1396, et in Regie Cancellarie libro annorum 1393 et 1396, 1397 in cartis 18 notato, iterum concesserunt.

Perquisitis per me Regie Cancellarie codicibus, a dicto anno 1396 usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, nullum privilegium nul-

lamque investituram de ipso feudo repperi. Et ideo mihi persuadeo quod cum feudum ipsum in confinibus terre Bizini existat, que terra est de Reginali Camera, investituras feudi eiusdem ab officialibus ipsius Reginalis Cammere obtente fuerint. Quod si ita est, Regia Curia ipsa in militari servicio alijsque iuribus et Regalijs decepta reperitur. Nam in rey veritate feudum ipsum in Regio Demanio et non in Reginali Cammera potius positum est. Et ideo rationem dare nequeo quinam illud possideat, vel si a primo eius acquiretore legitime descendit, et cuius sit redditus ipsum feudum.

Petra Russa, Suprana et Subtana, feudum.

Feudum Petra Russa, la Suprana et la Subtana nuncupatum, in valle Nothi existens, de membris et pertinencijs feudi Munialini fuit et est; quapropter in feudorum rollo non reperitur. Tandem cum Ioannes Statella, ipsius feudi Munialini modernus baro, Margaritelle relicte quondam Scipionis Statelle eius filii, qui deinde cum Giliberto Issar matrimonio coppullata est, ad suarum docium restitutionem teneretur, eidem Margaritelle olim eius nurui feudum Petre Russe prelibatum in satisfacionem ipsarum docium refutavit, renunciavit et in solutum dedit. Que Margaritella pro se suisque imperpetuum successoribus, iuxta formam suorum privilegiorum, de ipso Petre Russe la Suprana et Subtana feudo a Ioanne de Lanuça, tunc Regni Prorege, iuribus Curie et alterius semper salvis, XXVIII Ianuarij V° Inditionis 1502 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1501 in cartis 314 notatam, reportavit.

Et sic in presentiarum, anno 1513 decurrente, dictum feudum Petra Russa, la Suprana et la Subtana, per prenominatam Margaritellam uxorem dicti Giliberti Issar possidetur et anno quolibet reddit uncias. 07. . . .

Et quia dictum Petra Russa feudum de membris et pertinencijs Munialini, ut predicatur, fuerat et erat, ac deinde ab illo separatum extitit et feudum de per se factum, mihi videtur pro Regio militari servicio, iuribusque relevii ac decime et tarenii alijsque Regijs Regaliis consequendis, in feudorum rollo ponendum fuisse et esse pro Curie cautela.

Xiridia, Monasterij feuda.

Casalia sive feuda Xiridia et Monasterium nuncupata, in valle Nothi et territorio Siracusano existencia, solacia regia ac demanialia Regie Curie antiquitus fuerant, et quodam tempore per Corradum de Cammera, sub certo militari servicio, ex concessione sibi per Regiam Curiam facta possessa fuere.

Defuncto postmodum dicto Corrado Camera, ipsa duo Xiridia et Monasterium casalia Regio Demanio per manus Vicesecreti Siracusarum nomine Regie Curie iterum restituta fuerunt. Iterumque per Serenissimum Regem Federicum tercium alterum ex ipsis casalibus, puta Xiridia, quondam Gilio de Assyn militi et suis heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum sub consueto militari servicio concessum extitit, hac cum clausula tamen: et quod dictum casale seu feudum, quod constat nostre Curie fuisse ab antiquo et esse de Regalibus solacijs et demaniis Curie, non subtrahatur nec revocetur per Curiam a manibus predictorum Gilii et heredum suorum, occasione quod fuerit et sit de huiusmodi Regalibus solacijs et demaniis Curie, nisi prius sibi equivalens excambium iurium et proventuum dicti casalis seu feudi aut predictarum provisionum sibi, sicut predictur, factarum, nobis in hoc electione servata, per Curiam assignetur; fidelitate nostra nec non Constitutionibus dicti domini fratris nostri et nostris predicto servicio ac Curie et cuiuslibet alterius iuribus semper salvis etc: quemadmodum in ipsius Regis Federici privilegio dato Messane XVI^o Aprilis V^o Inditionis 1297.

Ipsoque Gilio de Assyn decedente, dictum feudum sive casale Chiridia ad quondam Paulam, olim uxorem quondam Ioannis de Perno Siracusani, recta, ut asseritur, et legitima linea pervenit. Que hoc modo successio, ut dixit, processit, scilicet: quod ipsa Paula ex quondam Gulielmo de Assyn filio et herede legitimo prelibati Gilii orta fuit, et sic Serenissimus Rex Martinus eidem Paule suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus dictum Chiridie feudum, cum inserto tenore dicti privilegii Regis Federici, dicto militari servicio iuribusque Regie Curie semper salvis, eius cum Regio privilegio dato Siracusis XV^o Novembris V^o Inditionis 1396, et in Regie Cancellarie libro annorum 1393, 1396, 1397 in cartis 201 notato, acceptavit et confirmavit ac de novo concessit.

Perquisitis itaque Regie Cancellarie codicibus a tempore dicti Regis Martini usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, nullus alius actus sive de dictis duobus casalibus sive feudis Xiridia et Monasterio investitura reperitur, et hoc forsitan quia feuda ipsa Siracusio in territorio consita sunt. Que Siracusana civitas in Reginali Camara detinetur, illiusque magistratus Serenissime est moderne Regine, Vestre Catholice Maiestatis consortis, penes quem magistratum forte ipsorum feudorum investiture existunt. Et sic esset diligentia ponenda ut ipse viderentur investiture, ut recta et legitima linea sive successio possidentium feuda eadem a tempore dicti Regis Martini citra percipi possit.

Mortua nihilominus quondam Serenissima Elisabeth, olim tui Regii Culminis coniuge, que in Cameram Siracusanam civitatem predictam possidebat, cum per Regiam tue Serenitatis Curiam Camere ipsius possessio caperetur, Bernardinus lu Perno et Valor de Perno de ipso Chiridia feudo pro se eorumque heredibus et successoribus a tunc Prorege, ob dicte Serenissime quondam Regine mortem, investituras pro indiviso obtinuerunt: quarum una data fuit Panhormi XVI^o Februarii VIII^o Inditionis 1506, altera vero data ibidem XXI eorundem mensis et anni, et in Regie Cancellarie libro anni 1505 in cartis 281, 313 ambe notate sunt.

Unde, ultra quod ignoratur si prelibati Bernardinus et Valor de Perno legitime a recta linea primi acquiritoris ipsorum feudorum descendant, per ipsas investituras colligitur eosdem formam strictam, iure Francorum, in largam, puta pro heredibus et successoribus, sibi ampliasset.

Item eodem in tempore Petrus de Siracusiis baro Cassari, alterius feudi scilicet Monasterii possessor, pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, que est larga forma, de ipso Monasterii feudo a dicto tunc Prorege III^o Februarii VIII^o Inditionis 1505 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 295 notatam, obtinuit. Et sic forma predicta contra titulum, quem formam strictam, iure Francorum, similiter decantare reor, tendere videtur; nam aliud feudum Chiridia in stricta forma concessum extitit.

In presentiarum autem dictum Chiridia feudum per dictos Bernardinum et Valorem de Perno possidetur et reddit anno quolibet 07. CXX.

Feudum vero Monasterii per prelibatum Petrum de Siracusiis baronem Cassari detinetur et annis singulis reddit uncias

Nihilominus, quotienscumque Vestra C. Maiestas eadem duo casalia, Chiridia scilicet et Monasterii, recuperare voluerit, consignato

equivalenti excambio, antiquo videlicet reddito, quod ab ipsis feudis percipiebatur, tempore concessionis eorum facte per dictum Regem Federicum prenominato Gilio de Assyn, illa revocare et eidem Regio Demanio aggregare poterit. Nam per Magnam Regiam Curiam simili in casu pro cabella panis Panhormi, que in feudum concessa fuerat, quousque equivalens daretur excambium, sentenciatum fuit et declaratum excambium ipsum dari debere, prout redditus valebant tempore concessionis et non prout ad presens valent, quantumcumque feuda ipsa multipliciter aucta videantur; de qua sententia recordari videor alias in Regni Secreciarum Capibrevio, in Capitulo scilicet Secrecie Panhormitane, verba fecisse.

Pratum feudum, Manistalla ortus et domus

Feudum Pratum nuncupatum, una cum quodam orto et quibusdam domibus Manistalla appellatis, situm et positum in valle Nothi et territorio Siracusano in contrata Prati, iuxta feudum Ioseph et alios confines, per quondam Bernardum Rubeum Cathalanum, olim Serenissime Regine Constancie familiarem, et Seram Martines iugales, de quibus nullus Regia in Cancellaria titulus apparet, antiquitus possidebatur. Tandem iugales ipsi quondam Philippo de Montealto Siracusano suisque imperpetuum heredibus et successoribus, cum onere solucionis paris unius chirotecarum communium, Regie Curie pro recognitione de mense Augusti anno quolibet per ipsum Philippum eiusque imperpetuum successores prestando, feudum predictum, precio florenorum auri de Florencia ducentorum quinquaginta, puplico mediante contractu manu notharii Petri de Parisio XXVIII^o Marcij III^o Inditionis 1365 celebrato, vendiderunt; quo quidem in contractu venditores ipsi Regiam licentiam sibi minime reservarunt.

Tandem prelibato Philippo de Montealto defuncto, sibi tam ex donacione quam ex testamentaria eius disposicione, in dicto feudo successit Burgensius de Montealto, illius filius, qui pro se suisque heredibus et successoribus de feudo eodem a Serenissimo Rege Martino, cum inserto dicti contractus tenore ac cum clausula: Nec non et de novo concedimus et donamus, servicio nostre Curie alio-

rumque iuribus semper salvis etc. XV^o Novembris V^e Inditionis 1396, confirmationem seu de novo concessionem, in Regie Cancellarie libro annorum 1393, 1396, 1397 in cartis 207 notatam, reportavit.

Et quia prelibati Bernardi de Rubeo venditoris titulus non invenitur, rationem dare nequeo an ipsum Prati feudum in forma stricta vel larga concessum extiterit, aut si illud pro heredibus et successoribus, cum onere solutionis dicti paris chirothecarum communium, vendere poterat. Nihilominus Rex Martinus antedictus, eadem cum confirmatione seu de novo Regia donacione, militare servicium aliaque Regie Curie iura sibi reservavit; quo casu sum opinionis dictum feudum ad integrum militare servicium, iuxta Regni Constitutiones, teneri debere. Sed quia semel apparet dictum feudum venditum extitisse, videndum est, si iuxta Regie Pragmatice Post BELLA dispositionem, quando Regia Curia feudum ipsum recuperare intenderet, posset illud sibi vindicare; nec non attendendum est quod dictus venditor Regiam licenciam sibi reservare neglexit.

A quo quidem dicti Regis Martini tempore usque ad hodiernum, anno 1513 currente, de dicto Prati feudo nulla in Cancellaria reperitur investitura, minusque percipere potui in cuius posse existat. Sed quia feudum ipsum Siracusano in territorio consitum est, et ipsa Siracusana civitas in posse Serenissime Regine Vestri Regii Culminis consortis in Cameram detinetur, reor ipsius feudi investituras in Archivo eiusdem Siracusane civitatis reperiri. Et sic videndum esset si modernus ipsius feudi possessor recta linea a dicto eius primo acquiretore descendit; quod feudum anno quolibet reddit . 07. . .

Pratu, alias Santanino feudum.

Feudum Pratum, alias Santaninum vocatum, in valle et tenimento terre Nothi consitum, per quondam Muchium et Actardum de Landolina de eadem terra antiquitus possidebatur; ad quos quo iure pervenerit, nullus in Cancellaria titulus reperitur. Tandem Muchius et Actardus predicti quondam Nicholao Henrico de Salonia eiusque imperpetuum heredibus et successoribus pro uncijs sexaginta, cum reservacione Regii militaris servicii, puplico mediante contractu manu notarii Bartholomei de Gnasco de eadem terra XXII^o

Iulij VIII^o Inditionis 1400, feudum predictum vendiderunt; quo quidem in contractu Regia non extitit reservata licentia, nisi tantum militare servicium antedictum, ad quod emptor ipse suiue heredes tenerentur.

Inde vero ad annos fere decem et septem, idem Anthonius de Salonia de dicto Prato feudo a quondam Episcopo Illerdensi et Anthonio de Cardona tunc Regni Proregibus, pro se eiusque heredibus suo de corpore legitime descendantibus, iure Francorum, cum eorum posse iurasset nullum eius ad manus de ipso feudo privilegium devenisse; cum clausula, scilicet, ratificantes venditionem predictam quatenus rite et iuste processit etc. XIII^o Marcij XI^o Inditionis 1417 confirmacionem et investituram reportavit.

Est nihilominus attendendum etiam in huiusmodi vendicionis contractu Principis licentia reservata non fuerit, an ipsa Viceregia investitura valida sit, cum precipue illa cum condicione concessa fuerit, videlicet, quatenus vendicio ipsa rite et iuste processit; que vendicio, cum sine Principis licentia facta videatur, apparet recte et iuridice non processisse. Est etiam valde mirandum, quare Anthonius de Salonia predictus per tantum temporis spacium, puta per annos fere XVII, ad dictam obtinendam confirmacionem et investituram ab ipsis Proregibus tardaverit; cum de iure, Regni Capitulis obstantibus, post lapsum anni concedi non debuisset.

Mortuo postmodum eodem Anthonio de Salonia, sibi in dicto Prato alias Santanino feudo successit Guchius de Salonia eius filius legitimus et naturalis; de quo nulla apparet capta investitura.

Ipsoque Guchio defuncto, sibi in dicto feudo successit Salvator de Salonia eius filius legitimus et naturalis, qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum, cum inserto tenore dicti contractus, a don Lupo Ximenen Durrea Prorege VI^o Iulij prime Inditionis 1453 de ipso feudo investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 332 notatam obtinuit.

Decedente exinde prefato Salvatore de Salonia, sibi in dicto Santanino sive Prati feudo successit Matheus de Salonia eius filius legitimus et naturalis. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus iure Francorum, XXI^o Novembris XI^o Inditionis 1492, a quondam Ferdinando Dacuña Prorege, iuribus Curie et alterius semper salvis, de ipso feudo investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 192 notatam, consecutus fuit.

Prelibato denique Matheo de Salonia nature satisfaciente, sibi in eodem feudo successit Gondisalvus de Salonia eius filius, qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus iure

Francorum, XV^o Novembris VIII^e Inditionis 1504 a Ioanne de Lanuça Prorege de feudo ipso investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 161 notatam, habuit. Impresentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum Pratum alias Santaninum antedictum per prelibatum Gondisalvum de Salonia possidetur et reddit anno quolibet 07. XXII

Ipseque Consalvus de Salonia, ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside de dicto feudo lu Prato cepit investituram die XXVIII^o Ianuarij V^e Inditionis 1517, notatam in libro anni 1516 in cartis 612, et iuravit reddere tantumdem.

**Lorsa feudum, Chaveri terrarum tenimentum,
terre de Orsa, terre Anthonj Barbarocto.**

Feudum Lorsa nuncupatum, in valle Nothi et tenimento terre Placie existens, in tria terrarum tenimenta contigua et simul coniuncta antiquitus divisum fuerat; ex quibus tribus tenementis, unum Chaveri, alterum vero li terri di Lorsa, tertium autem li terri di Anthonij Barbarocto nuncupabantur. Que terrarum tenimenta per quondam Anthonium de Amore militem de terra eadem Placie possidebantur. Existente tamen eadem Placie terra in posse Infantis don Petri de Aragonia, tenimenta ipsa terrarum ad ipsius Anthonij de Amore supplicationem infeudata extitere, et in feudum erecta ac in unum tantum corpus vocatum feudum di Lorsa reducta; sub onere tamen debiti et consueti militaris servicii, prout in privilegio dicti Infantis don Petri dato Cathanie XXVIII^o Marcij XV^e Inditionis 1437 latius continetur.

Ob decessum exinde prelibati Infantis domini Petri de Aragonia, prenominata Placie terra ad Regium reducta fuit Demanium; et sic Anthonius de Amore predictus a quondam Rogerio de Paruta, tunc Regni Prorege, Regio nomine, de ipsis terrarum tenementis sic infeudatis et in unum feudi corpus de Lorsa reductis, pro se suisque imperpetuum heredibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, XIII^o Decembris 1438, eius cum Viceregio privilegio confirmationem, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 128 notatam, reportavit.

Perquisitis nihilominus Regie Cancellarie libris a dicto anno 1438 usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, nullum actum nullamque de dicto feudo investituram inveni. Et nihilominus predictus Anthonius de Amore iam obiit, aliique eius successores, qui de necessitate iuxta regni Constitutiones et Statuta de ipso feudo se investire debebant, quod cum non appareat, tam propter non captas investituras, quam propter usurpacionem Regiarum Regaliarum aliorumque iurium Regie Curie ac officialium eius, quam etiam propter non prestitum militare servicium quod tociens in Regno occurrit; dico ipsam Regiam Curiam dictum feudum de Lorsa ad se revocare posse.

Misilini Feudum.

Feudum Misilini nuncupatum, in valle et tenimento terre Nothi positum, per quondam Orlandum Traversa, de quo nulla apparet investitura, antiquitus possidebatur. Rebellato exinde contra Serenissimos Reges Martinum et Mariam prelibato Orlando Traversa, feudum ipsum Misilini cum omnibus alijs illius bonis Regie Curie devoluta extitere et confiscata, Regesque ipsi dicti feudi Misilini medietatem pro indiviso quondam Vassallo Landolina tunc o suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum sub consueto militari servicio, Regni Constitutionibus antiquisque Regijs Regalijs ac ipsius Regie Curie iuribus semper salvis; nec non et cum clausula scilicet: Volumus tamen ac de nostra certa scientia ordinamus, et sub hac condicione vobis dicto Vassallo donacionem facimus supradictam; quod si per Maiestates nostras alia seu alie donacio aut concessio, donaciones aut concessiones pecuniarie vel de alijs bonis feudalibus aut burgensaticis, aut redditibus annualibus, per nos forte facte fuerint vobis dicto Vassallo preter hanc; eo quia de ipsa vel ipsis in presenti privilegio mencionem facere obmisistis, presens nostra donacio et concessio, tamquam surrepticie impetrata, sit cassa et vana careatque viribus et effectu etc: eorum cum Regio privilegio dato Calatagironi XVIII^o Octobris II^o Inditionis 1393, et in Regie Cancellarie libro anni 1396 in cartis 103 notato, concesserunt.

Perquisitis demum pro Regie Curie interesse Cancellarie libris, ut viderem, actenta clausula predicta ipso in Regio privilegio condicionaliter posita, si forte dictus Vassallus Landolina aliam habuisset concessionem bonorum feudalium seu burgensaticorum, sive alias pecuniarum et reddituum annualium donaciones, inveni tandem aliud eorumdem Regium privilegium eidem Vassallo Landolina suisque imperpetuum heredibus concessum et eodem in libro Cancellarie anni predicti 1396 in cartis 112 notatum, quod absque data reperitur, verum alijs debitis signaturis et sollempnitatibus munitum apparet; per quod eidem Vassallo nonnulla bona prelibati Orlandi Traversa et notharii Nicholay de Dato de Notho rebellis, medietas cuiusdam vinee, et medietas pro indiviso quorundam terrarum tenementorum, ac quoddam domorum tenementum cum orto valoris unciarum triginta, necnon et quedam terre pecia vocata li Timogni, aliaque bona concessa extitere, cum clausula scilicet: Volumus tamen ac de certa nostra scientia ordinamus, quod si forsan aliqua alia donacio seu concessio seu alique alie concessionem aut donaciones pecuniarie vel de alijs bonis feudalibus aut burgensaticis aut redditibus annualibus per nos facta vel facte fuerint preter istam; eo quia, iuxta ordinationes nostras Regias, de donacionibus ipsis, si qua vel si que per nos sibi forsan facte fuerint, obmisit in ista facere mencionem, presens nostra donacio et concessio sit cassa et nulla ac nullius existat efficacie seu valoris etc. Et nihilominus ipsis in privilegijs de predictis duabus concessionibus nulla fit mencio. Ecce ergo quod per hanc concessionem de bonis predictorum duorum rebellium eidem Vassallo Landolina factam, stante dicta prima clausula, concessio medietatis dicti feudi Misilini ipsi Vassallo, ut predictur, prestita nullius est efficacie et momenti; Regiaque Curia feudum ipsum sibi revocare posset.

Tamen prelibato Vassallo Landolina defuncto, sibi in dicta feudi Misilini medietate successit Ioannes Landolina eius filius. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, de ipsa feudi medietate, cum inserto tenore dicti privilegii Regis Martini, a tunc Regni Proregibus, cum clausula scilicet: Sub debito militari servicio, clausulis, reservacionibus, oblationibus et capitulis in eodem preinserto privilegio diffusius annotatis etc. V^o Augusti XI^o Inditionis 1418 investituram reportavit.

Mortuo postmodum dicto Ioanne Landolina, sibi in eadem feudi medietate successit Vassallus Landolina eius filius legitimus et naturalis, qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, ac cum inserto tenore privilegii dicti

Regis Martini et Regine Marie, a Don Lupo Ximenen Durrea tunc Regni Prorege, de ipsa feudi medietate III^o Augusti prime Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 36 notatam, obtinuit.

Deinde autem ipsa feudi Misilini medietas in posse quondam Bernardi Landolina pervenit; qui, tamquam filius quondam Ioannis Anthonij Landolina et Ioannelle iugalium, de ipsa feudi medietate XX^o Februarij VIII^o Inditionis 1476 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1475 in cartis 357 notatam, obtinuit. De quo quidem Ioanne Anthonio Landolina nulla investitura apparet; et ideo ratio dari non potest, a quo dictus Ioannes Anthonius descendat, aut si a dicto primo Vassallo sive Ioanne Landolina legitime succedat.

Quo quidem Bernardo Landolina decedente, sibi in dicta feudi Misilini medietate successit Beatrix eius soror, Baldassaris de Septimo uxor. Qui Baldassar, tamquam ipsius Beatrix maritus et legitimus administrator, X^o Octobris prime Inditionis 1497, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, de eadem ipsius feudi medietate investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 64 notatam, consequutus fuit.

Impresentiarum autem, anno 1513 decurrente, ipsa eiusdem feudi Misilini medietas per ipso Baldassarem et Beatricem de Septimo iugales possidetur, et reddit anno quolibet . . . 07. XXX.

Ipsique iugales de dicta Misilini medietate, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die XVIII^o Ianuarij V^o Inditionis, notatam in libro anni 1516 in cartis 461; et Ioannes de Oliverio, eorum procurator, iuravit dicta medietas feudi reddere tantumdem.

Alia medietas feudi Misilini.

De reliqua vero eiusdem Misilini feudi medietate, dico quod viso Regni feudorum repertorio a tempore regiminis dicti Serenissimi Regis Martini usque ad hodiernum, dicto anno 1513 decurrente, nullum privilegium actumve concessionis eius inveni.

Verum in libro anni 1453 prime Inditionis in cartis 402 quedam de dicta feudi Misilini medietate reperitur investiture nota; per

quam apparet, quod cum quidam Brizius de Truxello de Notho dixisset se in eadem feudi medietate, ob mortem quondam Ioannis de Truxello eius patris, successisse iurassetque in manibus quondam Don Lupi Ximenes Durrea, tunc Regni Proregis, nullum de ipsa medietate suas ad manus devenisse privilegium pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, ab ipso Prorege de eadem feudi Misilini medietate, constituto tantum de possessione per annos ultra XXX, V^o Iulii prime Inditionis 1453 dictam reportavit investituram.

Ipsaque Brizio Truxello defuncto, eadem feudi ipsius medietas in posse Gulielmi de Truxello pervenit, de quo nulla apparet in Regia Cancellaria investitura, et ideo rationem dare nequeo an ipse Gulielmus legitime ex dicto Brizio descenderit. Qui Gulielmus pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus iure Francorum, XX^o Augusti XII^o Inditionis 1479, ob mortem Serenissimi Regis Ioannis Vestre C. Maiestatis genitoris et Tui Regii culminis felicissimam successionem, tamen, ob mortem eius parentis, de ipsa feudi medietate investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1478 notatam, obtinuit.

Mortuo exinde prelibato Gulielmo Truxello, sibi in dicta feudi Misilini medietate successit Nicholaus de Truxello, eius filius legitimus et naturalis, qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus iure Francorum, de eadem feudi medietate a don Raymundo de Cardona, tunc Regni Vicerege, VII^o Ianuarij XI^o Inditionis 1508 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1507 in cartis 462 notatam, consequutus fuit.

Hodie vero, anno 1513 decurrente, dicta feudi Misilini medietas per prelibatum Nicholaum Truxellum possidetur, et reddit anno quolibet 07. . . .

Nihilominus, actentis clausulis per prenominatos Reges Martinum et Mariam eorum in privilegiis concessionum apponi solitis, iuxta eorum statuta et ordinationes, inconueniens non esset quod verus titulus dicte medietatis eiusdem Misilini feudi ipsis de Truxello concessa in lucem veniret, ut videatur an in eo similis reservationis clausula apposita fuerit et si alias concessionem obtinuerint; sicuti in alia feudi ipsius medietatis concessione Vassallo Landolina facta processit. In qua feudi medietate, ut predicatur, Regia Curia tamquam lesa, iuxta formam privilegiorum dictorum Regum Martini et Marie, ius habet.

Cammaratini Feudum.

Feudum Cammaratini nuncupatum, in valle et territorio Nothi positum, per quondam Vassallum Landolina seniore[m] militem, ut asseritur, antiquitus possidebatur; de quo nullus apparet in Cancellaria titulus. Qui Vassallus cum ad mortem devenisset, sibi in dicto Cammaratini feudo successit Ioannes Landolina eius filius. Qui coram Illerdensi Episcopo et Anthonio de Cardona, tunc Regni Proregibus, comparens iuramentoque affirmans nullum eius ad manus de ipso feudo privilegium devenisse; sed tantum constito dictum feudum per eius progenitores per annos fere LXV possessum extitisse, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, iuribus Curie et alterius semper salvis, de eodem feudo V^o Augusti XI^o Inditionis 1418 investituram reportavit.

Ipsaque Ioanne Landolina defuncto, sibi in dicto Cammaratini feudo successit Vassallus Landolina, eius filius legitimus et naturalis. Qui pro se suisque heredibus, iure Francorum, a quondam don Lupo Ximenes Durrea, tunc Regni Prorege, de feudo ipso, Regni Constitutionibus militari servicio iuribusque Regie Curie semper salvis, III^o Augusti prime Inditionis 1453, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 771 notatam, obtinuit. Sequuta autem dicti Vassalli Landolina morte, ad Ioannem Anthonium Landolina feudum predictum pervenit; a quo, cum investitura capta non fuerit, ratio dari non potest a quo Ioannis Anthonius ipse descendat.

Defuncto postmodum dicto Ioanne Anthonio, sibi in dicto feudo successit Bernardus de Landolina, eius filius et Ioannelle eius uxoris. Qui Bernardus pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, a tunc Proregibus XX^o Februarij VIII^o Inditionis 1476 de feudo ipso investituram in Regie Cancellarie libro anni 1475 in cartis 357 habuit.

Decedente demum Bernardo Landolina antedicto, sibi in dicto Cammaratini feudo successit Beatrix eius soror, uxor Baldassaris de Septimo. Qui Baldassar, tamquam maritus et legitimus administrator eiusdem Beatricis eius uxoris, de ipso feudo a quondam Ioanne Lanuça tunc Regni Prorege, XX^o Octobris prime Inditionis 1497, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in

cartis 64 notatam, assequutus fuit. Impresentiarum autem, anno 1513 decurrunte, feudum Cammaratini antedictum per eosdem Baldasarem et Beatricem de Septimo iugales possidetur, quod anno quolibet reddit ultra 07 XXXX

Dictique vero iugales exinde, ob mortem domini Regis Ferdinandi, de dicto feudo Cammaratini a don Ioanne de Luna Preside ceperunt investituram die XVIII^o Ianuarij V^o Inditionis, notatam in libro 1516 folio 461, et Ioannes de Oliverio, eorum procurator, in animam constituentium iuravit reddere tantundem.

Favarocta, sive Cathalfari feudum

Feudum Favarocta, alias Cathalfari nuncupatum, in valle Nothi positum, per quondam Comitem Rogerium de Passanecto antiquitus possidebatur; ob cuius rebellionem Regie Curie exinde apertum et devolutum extitit. Unde Serenissimi Reges Martinus et Maria, actentis serviciis per Petrum de Maresino eis prestitis, feudum ipsum eidem Petro suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus, legitimis et naturalibus, sive naturalibus tantum, quos ex certa eorum Regia scientia ad feudorum successionem propterea legitimarunt et habilitarunt, sub consueto militari servicio, iure Francorum, antiquis Regijs Regalijs iuribusque Regie Curie semper salvis, eorum cum Regio privilegio dato Cathanie XXIII^o Octobris prime Inditionis 1392, in cartis 143 (1) notato, concesserunt. Exinde vero Reges ipsi, cum inserto tenore prenotati eorum Regij privilegii, eidem Petro Maresino suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, ac in illorum defectu suis flijs naturalibus et eorum heredibus de ipsorum corporibus legitime descendentibus, quos ad dictum feudum consequendum habilitarunt et de eorum potencia Regia legibus absoluta legitimarunt; privilegium prenotatum donacionis feudi ipsius, cum clausula scilicet: obiectione prolis illicite imposteorum quiescente dicti feudi etc., sub dicto militari servicio aliisque retentionibus in rebus feudalibus retineri consuetis, iuribusque Regie Curie et aliorum semper salvis, cum alio eorum Regio pri-

(1) Leggesi in margine, : *In libro 1396 III^o Inditionis fol. 143.*

vilegio dato in Castro Iacii VIII^o Augusti VIII^o Inditionis 1401, et in Regie Cancellarie libro anni 1399 in cartis 166 notato, confirmarunt.

Verum in quodam Regie Cancellarie libro anni 1396, in cartis 23, aliud apparet ipsorum Regum privilegium, per quod Reges ipsi eidem Petro Maresino suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum, prelibatum Cathalfari feudum concesserunt; in eo tamen nulla de filijs eius naturalibus mencio fit. Nihilominus ipso in privilegio data deest, non tamen ipsius Regis sive Ducis signatura deficit; et ideo cui ex ipsis Regijs privilegijs sit fides adhibenda, ad iuris dispositionem me remicto.

Prelibatus autem Petrus de Maresino quondam Philippo Viperano suisque imperpetuum heredibus, sub dicto consueto militari servicio, pro uncijs tricentis feudum antedictum, absque tamen alicuius evictionis clausula, vendidit; sicuti in huiusmodi vendicionis instrumento, manu notarii Laurentii de Notho Cathanensis III^o Maij prime Inditionis 1408 celebrato, continetur. Quam quidem vendicionem, iuxta ipsius contractus formam, sub eodem militari servicio ac eo modo et forma prout feudum ipsum dictus Petrus tenebat, ac illis cum clausulis et cautelis in privilegio ipsorum Regum Martini et Marie appositis, Reges predicti prelibato Philippo Viperano suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, alio cum eorum Regio privilegio dato Cathanie VIII^o Augusti prime Inditionis 1408, et in Regie Cancellarie anni libro 1407 in cartis 310 notato, acceptarunt et confirmarunt.

Mortuo postmodum dicto Philippo Viperano, sibi in eodem Cathalfari feudo successit Michael de Viperano miles, eius filius legitimus et naturalis, qui pro se suisque heredibus predictis, cum inserto tenore prelibati privilegii dicti Regis Martini, ac contractus vendicionis huiusmodi, a quondam Simone Archiepiscopo Panhormitano, tunc Regni Preside, XXV^o Septembris II^o Inditionis 1453 de ipso feudo investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 612 notatam, reportavit.

Qua quidem in investitura de iure Francorum nulla fit mentio; et ideo ad successionem et genelogiam futuras est recte actendum, cum verus titulus iure Francorum concessus extiterit.

Defuncto tandem dicto Michaelae Viperano, sibi in eodem Cathalfari feudo successit Philippus de Viperano, eius filius legitimus et naturalis. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iuxta formam sui privilegii, ab ipso Regni Preside de feudo eodem Cathalfari, primo Februarii prime Inditionis 1455 investitu-

ram, in Regie Cancellarie libro anni 1454 in cartis 136 notatam, reportavit. Qua quidem in investitura de ipso Francorum iure nulla similiter mencio facta est; et ideo ad predicta actendum est ut supra.

Et mortuo dicto Philippo iuniore, successit sibi in dicto feudo eius filia nomine Ysabella, nunc uxor Guillelmi Raymondi de Castello, que si cepit investituram vel ne in Cancellaria non apparet.

Tamen dictus Guillelmus Raymundus, nomine eius uxoris, cepit investituram ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi, die VII^o Ianuarij V^o Inditionis, notatam in libro anni 1516 in cartis 362, et iuravit reddere 07 LX.

Sahuna feudum, Francavilla.

Feudum Sahuna nuncupatum, in valle Nothi et territorio Leontini positum, per Regiam Curiam antiquitus possidebatur. Verum, Serenissimis Regibus Martino et Maria regnantibus, quondam Iacobo de Rao de terra Calatabillotte iurisperito, tunc Regij Fisci Patrono, suisque filiis eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio, per Reges ipsos feudum predictum concessum extitit. Tandem Iacobus ipse defunctus fuit, superstibus sibi nonnullis eius filiis; quos, ut potuit et debuit, heredes non instituit, immo heres per eum institutus quodammodo extraneus fuit, et ideo contra formam dicte Regie concessionis; ob quod, cum ipsius feudi Sahune medietas in posse dicte Regie Curie vacaret, illam Reges predicti quondam Iacobo Campulo Messanensi suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, Regiis antiquis Regalijs, Regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie semper salvis, eorum cum Regio privilegio dato Siracusi XIII^o Novembris V^o Inditionis 1396, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 87 notato, concesserunt.

In quo privilegio hec apparet clausula, scilicet: Verum quia forsitan posset contingere, quod predicti filii quondam Iacobi de Rau per defectum etatis, aut alias, forte non possent publice et aperte teneri aut nostri reputari rebelles, vel eos, ex aliqua iusta vel pia causa nos movente, forte possemus restituere in integrum ad eorum bona,

et specialiter ad dictam medietatem feudi; in his casibus, vel aliquo ipsorum, si contingerit ita esse vel in posterum reperiri, volumus specialiter et expresse, quod prefatus Iacobus Campulus teneatur prefatis filijs Iacobi de Rau dare et tradere excambium in redditibus eque dignum de bonis et rebus, que fuerunt quondam Federici de Loysio de Messana, habitatoris Agrigenti, nostri puplici proditoris et in rebellionem et prodicione defuncti etc; nec non et cum hac clausula, scilicet: non obstantibus quibuscumque graciis, remissionibus et indulgentiis per nos forsitan factis et etiam faciendis filijs et heredibus quondam Federici de Aloysio et filiis quondam iudicis Iacobi etc. Preterea alia apparet in illo clausula, scilicet: Et licet dicto Iacobo, tanquam benemerito, bona stabilia quondam Federici de Aloysio, cuius se asseruit creditorem in uncijs quadringentis, et feudum sancti Bartholomei, in quibus se asseruit creditorem in mille uncijs, et uncias vigintiquatuor super Sica Messane ad beneplacitum nostrum, et molendinum Montis Albani concesserimus tam graciöse, quam vigore sui iuris, cum eundem Iacobum in nostris arduis servicijs pro recuperatione Regni nostri sagaciter et fideliter ad honorem nostrarum Serenitatum noviter quamplurimum laboravit; que omnia et singula cum presenti gracia volumus in sua efficaci permanere roboris firmitate. Volumus tamen et de nostra certa scientia ordinamus et sub hac condicione eidem Iacobo donacionem facimus supradictam, quod si per Maiestates nostras alia donacio seu concessio preter presentem et suprascriptas, quia de ipsa in presenti privilegio facere mencionem obmisit, iuxta nostras ordinationes Regias, tanquam surrepticie impetrata, sit nulla et vacua nulliusque efficacie et valoris careatque viribus et effectu etc.

Exinde vero dicto Iacobo de Rau defuncto prout asseritur, quedam remansit illius unica filia, que, tempore obitus dicti Iacobi eius patris, cum ipsorum Regum rebellibus moram trahebat; ob quod Reges ipsi dictam feudi ipsius medietatem prelibato Iacobo Campulo concesserunt. Sed quia dicta filia prenominati Iacobi de Rau, que cum adhesisset rebellibus, rebellis etiam dicebatur, nullis sibi superstitibus filiis decessit, Reges ipsi eandem feudi medietatem predicto Iacobo Campulo suisque heredibus, ut supra, iterum concessere; omniaque iura et actiones, que et quas in dicta feudi medietate prelibata filia Iacobi de Rau quomodolibet habebat et habere poterat aut sperabat, omniaque alia iura que Regie Curie etiam contingebant, eorum cum alio Regio privilegio dato Cathanie primo Marci XI. Inditionis 1402, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 30 notato, similiter cesserunt.

Mortuo demum eodem Iacobo Campulo, sibi in dicta feudi ipsius medietate successit Thomas de Campulo, illius filius legitimus et naturalis. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio, cum inserto tenore dicti privilegii ipsorum Regum Martini et Marie precalendati, ut supra, et cum clausulis ac reservacionibus in illo expressis a tunc Proregibus, qui pro Serenissimo Rege Alfonso in Regno preerant, de eadem feudi medietate, Viceregio privilegio mediante dato Cathanie XVIII^o Februarii X^o Inditionis 1416 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 198 notato, confirmacionem et investituram reportavit. Quo quidem in privilegio de clausula iuris Francorum nulla mentio facta extitit; que etsi ob insertionem dicti antiqui privilegii subintelligatur, tamen pro Curie cautela in illo exprimi debebat.

De reliqua vero feudi Sahune antedicti medietate nullum in Regia Cancellaria titulum sive privilegium inveni; et sic rationem dare nequeo per quem possessa fuerit et ad presens possideatur. Sed quia feudum predictum in terre Leontini tenimento positum est, que terra de Reginali Camera habetur, mihi persuadeo titulos et reliqua privilegia ac investituras feudi eiusdem in Archivo Camere Reginalis eiusdem extare. Nihilominus eodem in anno 1396, puta per triduum ante concessionem, de prenomina feudi eiusdem medietate prelibato Iacobo Campulo facta, scilicet XI^o Novembris V^o Inditionis eiusdem anni 1396, prout in eiusdem anni registro Regie Cancellarie in cartis 30 apparet, quoddam Regum eorumdem Martini et Marie reperitur privilegium, per quod denotatur Reges ipsos predicto Iacobo Campulo de Siracusa militi feuda Lalam, Passanetum, Belmontem et Marineum concessisse. Sed quia rationem dare nequeo an iste Iacobus Campulus de Siracusa, ille sit Iacobus Campulus qui de Messana dictus est et dictam feudi Sahune medietatem habuit, attendendum est, quod si idem Iacobus Campulus de Siracusa, qui dicta quatuor feuda obtinuit, ille Iacobus Campulus esset qui ipsam feudi Sahune medietatem reportavit; actentis condicionibus in privilegio dicte medietatis feudi Sahune apposis, scilicet quod si dictus Iacobus Campulus concessionem aliorum feudorum et bonorum habuisset, de quibus in privilegio ipso non facta esset mentio, concessio dicte medietatis eiusdem feudi Sahune esset vacua irrita et nulla. Et sic medietas ipsa predicti feudi Sahune esset Regie Curie legitime devoluta, et a tempore dicte concessionis citra et per ipsum Iacobum Campulum et eius successores male et perperam possessa extitisset.

Preterea III^o Novembris V^o Inditionis eiusdem anni 1396, vide-

licet per octo dies ante privilegium concessionis eiusdem medietatis feudi Sahune, quoddam emanavit ab ipsis Regibus Martino et Maria privilegium, per quod apparet eosdem Reges ipsi Iacobo sive Pino Campulo de Messana suisque in perpetuum heredibus feudum de Francavilla, prope terram Mistrecte positum, eorum cum Regio privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1396 III^o Inditionis in cartis 130 notato, concessisse. De quibus quidem concessionibus et privilegiis in privilegio concessionis medietatis dicti feudi Sahune nulla facta est mentio, et tamen ante illud ipsa privilegia concessa fuere. Quo casu, virtute clausule conditionis et reservacionis posite in dicto privilegio concessionis medietatis dicti feudi Sahune, concessio ipsa eiusdem medietatis feudi nulla est nulliusque momenti. Et Regia Curia in ipso feudo ex causa dicte conventionis et precipue in illius fructibus et redditibus a dicto tempore Regis Martini usque ad presens, anno 1513 decurrente, maximum ius habet; et ideo pro Curie cautela veritas discutiatur. De feudo autem prenominato Francavilla superius in cartis 537 verba facta sunt.

Pollicarini feudum, Baronissa feudum.

Feudum Pollicarini in valle Nothi consitum per quondam Berengarium Payami et Baronissam de Bertirami, de quibus titulus non apparet, antiquitus possidebatur. Quibus tandem contra Serenissimos Reges utrumque Martinum et Mariam rebellionem exercentibus, ob ipsum rebellionis crimen feudum predictum Regie Curie apertum et devolutum extitit. Illudque una cum feudo la Baronissa, quod quondam Beltrandi de Palamaro tunc rebellis fuerat, quondam Henrico de Grimaldo de Castro Ioanne, suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, Reges ipsi concesserunt cum clausula, scilicet: Volumus tamen et de nostra certa scientia ordinamus, quod si prefato Henrico per Maiestates nostras fuerunt aliquae facte gratie sive ordinationes, de quibus in presenti nostra concessione et donatione dictorum bonorum nulla est facta mentio, pretextu donationis seu donacionum predictarum que non exprimitur in presenti, presens donacio sit cassa irrita et nulla ac si per Maiestates nostras facta aliquatenus non fuisset etc; quemadmodum in quod-

dam ipsorum Regum privilegio, dato Cathanie XIII^o Februarii V^o Inditionis 1396, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 109 notato, late patet.

Baronissa.

De feudo vero la Baronissa in eadem valle posito dico, quod exinde in anno 1399 quoddam emanavit ab ipsismet Regibus privilegium venditionis feudi eiusdem in personam dicti Henrici de Grimaldo, suorumque in perpetuum heredum et successorum sub consueto militari servicio, pro precio unciarum centum facte, sicuti in alio eorum Regio privilegio dato Cathanie II^o Ianuarii VIII^o Inditionis 1399, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 12 notato, late patet; de quo quidem feudo la Baronissa superius in cartis 222 satis diffuse pertractatur. Quo in privilegio et instrumento nulla fit mentio de primo privilegio, per quod eidem Henrico dicta duo feuda Pollicarini scilicet et Baronissa conceduntur. Nihilominus apparet feudum ipsum de Baronissa penes istos de Grimaldis descendentes a dicto Henrico semper perstitisse et stare, feudum vero Pollicarini ad alios devenit ut infra patebit. Et ideo ratio dari non potest quo iure dictus Henricus de Grimaldo, in preiudicium et derogacionem primi privilegii gratiose sibi concessi, inde ad annos feudum predictum di la Baronissa ab ipsis Regibus concessoribus emerit, et feudum Pollicarini ab illo defecerit. Tamen quicquid sit, feudum Pollicarini antedictum in posse quondam Philippi de Castro Ioanne messanensis, ob concessionem ipsi de dicto feudo per eosdem Reges factam, pervenisse asseritur, quod quondam Margarite de Pandolfo et Michaelis Papayioni de Castro Ioanne fuerat, de quibus nullum in Cancellaria privilegium apparet. Verum quedam tantummodo invenitur ipsorum Regum provisio, data Cathanie IIII^o Novembris prime Inditionis 1392, per quam mandatur ipsum Philippum de Castro Ioane in possessione dicti feudi Pollicarini manutenere, cuius virtute asseritur eundem Philippum feudum ipsum possedisse. Quicquidem Philippus demum, pulico venditionis instrumento mediante, manu notarii Laurencij de Notho cathaniensis primo Aprilis VIII^o Inditionis 1416 celebrato, quondam Gulielmo de Iuliana feudum predictum Pollicarini precio unciarum sexaginta, sub consueto militari servicio, vendidit.

Ipsoque Gulielmo de Iuliana defuncto, sibi in dicto Pollicarini feudo successit Lodovicus de Iuliana eius filius legitimus et naturalis.

Qui pro se suisque imperpetuum heredibus de dicto feudo a quondam Simone Archiepiscopo panhormitano, tunc Regni Preside, sub consueto militari servicio regni Constitutionibus antiquisque Regiis regalijs et iuribus Curie semper salvis, XIII^o Septembris II^o Inditionis 1453 confirmationem et investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 758 notatam, obtinuit. Quaquidem in investitura exponitur: eosdem Reges Martinum et Mariam prenominato Philippo de Castro Ioanne ipsum feudum Pollicarini una cum feudo Pascasie et alijs bonis concessisse, quodque in illorum possessione manuteneretur; quam Regiam provisionem loco veri tituli tenuisse pro se tulit, tamen verus titulus sive privilegium non apparet.

Viso denique per me et diligenter recognito Regie Cancellarie repertorio, in quo regni feuda descripta et annotata apparent, nihilominus a dicto anno 1453 usque ad presens, anno 1513 decurrente, nullam aliam de ipso Pollicarini feudo investituram inveni; verum percepi dictum feudum per Bernardinum de Iuliana ad presens possideri; sed quoniam per dictum Bernardinum non apparet captam fuisse de dicto feudo investituram, rationem dare nequeo quo iure in illo successerit. Et ideo pro Curie cautela ad edendum possidens cogi deberet; quod feudum Pollicarini anno quolibet reddit. 07. . . .

Monacu, Buxella feuda.

Feuda Monacu et Buxella vulgo nuncupata in valle Nothi existencia, per quondam Perrellum de Mohac militem, tunc terre Xurtini baronem, una cum infrascriptis feudis antiquitus possidebatur, quo tamen iure ad illum pervenerint nullus in Cancellaria apparet titulus. Tandem Perrellus ipse ad mortem deveniens, quondam Perruchium de Mohac eius nepotem, suo cum ultimo testamento, super omnibus bonis suis burgensaticis eius instituit universalem heredem. Cui etiam feuda Buxellam et Monacum antedicta, ac terram ipsam Xurtini cum castro territorijs iuribus et pertinentijs quibuscumque ad dictam terram et castrum spectantibus et pertinentibus, nec non feuda Belmineum, Rachalmadari Rididini et Burgifersam cum alijs, que ipsius testatoris fuerant, prelegavit. De quibus tamen

feudis Rachalmadari et Rididini iam superius in cartis 239 verba feci. Disposuit nihilominus idem Perrellus de Mohac et dicto cum testamento ordinavit, quod si dictum Perruchium de Mohac eius nepotem et heredem, ut supra, qui exinde Perrellus dictus est, sine liberis eius de corpore legitime descendantibus mori contigisset, tali casu predictis in terra, castro et feudis sibi succederet filius quondam Rosane filie ipsius testatoris, si quem haberet; quodque Perrellus de Mohac denominaretur et arma de Mohac eiusdem testatoris deferret; quodque si dictum ipsius Rosane filium sine liberis eius de corpore legitime descendantibus decedere evenisset, sibi in eisdem terra, castro et feudis succederet filius Margarite eiusdem testatoris sororis, si quem haberet, dum tamen Perrellus de Mohac etiam nuncuparetur, et arma sive insignia de Mohac testatoris ipsius similiter deferret, prout ipso in testamento contineri asseritur. Sub qua testamentaria dispositione testator ipse obiit, superstite sibi tamen pre-nominato Perruchio de Mohac eius nepote et herede, ac in ipsis terra, castro et feudis succedente. Qui quidem dum vitam in humanis ageret, Rosana antedicta nullis relictis filijs decessit.

Ipsoque Perruchio de Mohac universali herede, ut supra, qui postmodum Perrellus denominatus est, sine liberis eius de corpore legitime descendantibus defuncto, superstite sibi tantum Perruchio sive Perrello de Mohac, alias de Lancea, filio prelibate Margarite sororis testatoris antedicti et quondam Conradi de Lancea iugalium, Perruchius sive Perrellus ipse de Mohac, alias de Lancea, vigore testamentarie dispositionis predictae cognomen et arma testatoris ipsius assumendo, iuxta ipsius testamenti tenorem, in dictis terra, castro et feudis successit. Qui a Serenissimo Rege Martino de substitutione antedicta, sicut et quemadmodum per dictum testatorem facta extitit et in ipso testamento continetur, sub militari servicio, Regni Constitutionibus et Capitulis iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, eius cum Regio privilegio dato Randacij VII^o Augusti VI^o Inditionis 1399, confirmationem et investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1404 in cartis 12 notatam, reportavit.

Perquisitis per me nihilominus et diligenter recognitis ipsius Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1399 usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, nullum aliud de ipsis feudis lu Monaco et Buxella privilegium sive investituram inveni; et sic rationem dare nequeo in cuius posse ad presens reperiantur, aut si illorum possessores tanquam legitime a prefato Perrello de Mohac, alias de Lancea, descendentes ea detineant. Unde mihi videtur ipsorum feudorum possessores ad edendum titulum primi Perrelli testatoris cogi et com-

PELLI debere, ut videatur sub qua forma, larga scilicet vel stricta, sibi concessa fuerint, et si eadem dicto Perrello heredi ut supra legare poterat, cum precipue non constet cuius dictus heres filius fuerat, et si dicto Perruchio de Mohac et de Lancea filio prefate Margarite eius sororis, dictam facere poterat substitutionem; nam si feuda ipsa testatori predicto in forma stricta iure Francorum concessa fuissent, nullo pacto illa eidem filio Margarite, qui de suo corpore non descendit, iure predictae substitutionis, nec alias legare potuisset, et sic moderni possessores eadem illegitime possiderent. Et quando forte feuda predicta in larga forma eidem testatori concessa extitissent, ipseque tamquam primus acquisite illa legasset, prout legavit dicto Perruchio de Mohac alias de Lancea dicta cum substitutione, attendendum est testatorem predictum formam strinxisse, videlicet pro heredibus eius de corpore legitime descendantibus. Et sic ipsi cogi deberent ad edendum an rite et legitime ac recta linea a dicto Perrello de Mohac alias de Lancea descendant pro Curie cautela. Nihilominus feuda ipsa Buxella et lu Monaco in rollo novo conficiendo poni debent.

Stapheuda, Grampoli, Mazaruni Feuda.

Feuda Grampoli, Mazaruni et Stapheuda in valle Nothi existencia, prout infra patebit, antiquitus detinebantur, videlicet, quod ipsum Grampolu feudum una cum medietate pro indiviso predicti Stapheude feudi quondam Bartholomeus Landolina et postmodum Actardus Landolina eius filius, et ultimo loco Nicolaus Landolina predicti Bartholomei nepos et dicti Actardi filius, de quibus in Cancellaria titulus non apparet aliquis, antiquis temporibus possiderunt. Tandem cum Nicholaus predictus in Don Lupi Ximenes Durrea, tunc Regni Proregis, manibus iurasset se de dicto Grampolo feudo ac medietate feudi antedicti Stapheude nullum tenuisse privilegium, consilio tantum de possessione, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, Regiis antiquis regaliis, Regni Constitutionibus, iuribusque Regie Curie semper salvis, ab ipso Vicerege, III^o Iulii prime Inditionis 1453, investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 397 notatam reportavit

Cumque exinde idem Nicolaus de Landolina quondam Simoni Panormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, exposuisset suas ad manus pervenisse quoddam privilegium ab Imperatore Federico emanatum, datum apud Ortam anno dominice incarnationis 1235, de mense Marcii VIII^o Inditionis, et ex quodam inserto redacto in officio Prothonotarii extractum, per quod quondam Paulino de Malta prenotatum casale Stafeude, situm et positum in pertinentiis terre Spaccafurni, sub militari servicio per ipsum Imperatorem concessum extitit, seque ab eodem Paulino de Malta legitime descendere asseruisset, scilicet, quod feudum ipsum prima facie quondam Bartholomeo Landolina ipsius Nicholai avo cessit, et deinde ad Actardum et Muchium de Landolina fratres ipsius Bartholomei filios devenit; qui feudum ipsum in comuni pro indiviso possidebant; illisque exinde defunctis, in medietate per dictum Actardum possessa ipse Nicolaus eius filius successit, et reliquam medietatem Ioannes Landolina prefati Muchii filius possedit; cum inserto tenore dicti Imperialis privilegii pro se et heredibus suis predictis, sub eodem militari servicio ab ipso Regni Preside de prefata medietate Stafeude feudi, VI^o Februarii II^o Inditionis 1453, investituram aliam, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 494 notatam, obtinuit.

Mortuo postmodum dicto Nicholao Landolina, sibi in dictis feudo Grampolo et medietate feudi Stafeude pro indiviso successit Ioannes Landolina eius filius. Qui cum inserto tenore omnium predictorum privilegiorum, et signanter dicti Imperialis privilegii, de illis a dicto quondam Don Lupo Ximenes Durrea Prorege pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, antiquis Regiis regaliis, Regni Constitutionibus, iuribus Curie et alterius semper salvis, XXVIII^o Octobris VI^o Inditionis 1457 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 86 notatam, consequutus fuit.

Postmodum autem ipsum feudum Grampolu et medietas feudi eiusdem Stapeude ad quondam Franciscum Landolina de Notho, de quo non apparet investitura, pervenit. Et ideo percipi non potest si dictus Franciscus filius sive consanguineus aut heres dicti quondam Ioannis Landolina filii predicti Nicholai fuerat. Verum quedam reperitur investiture nota, per ipsum Franciscum pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus iure Francorum capta, et in Regie Cancellarie libro anni 1479, in cartis 279 notata, per quam apparet se ob mortem Serenissimi Regis Ioannis Vestri Regii Culminis genitoris et felicissimam Tue Catholice Maiestatis successionem, XVI^o Februarii XIII^o Inditionis 1480, de ipsis feudo Grampolo et medietate feudi Stapeude investivisse.

Defuncto demum dicto Francisco Landolina, sibi successit Paulus de Landolina eius filius. Qui ob dicti eius patris mortem, iuxta formam suorum privilegiorum, de dicta medietate feudi Stapeude ac medietate feudi de Mazarruni, de quo inferius in cartis 561 verba fiunt, a Ioanne de Lanuça, tunc Regni Preside, XXI^o Ianuarii VIII^e Inditionis 1505 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1504 in cartis 232 notatam, habuit: in qua de dicto Grampolo feudo nulla mencio facta est.

Impresentiarum autem, anno 1513 decurrente, ipsa feudi Stapeude medietas per eundem Paulum Landolina possidetur; que annis singulis reddit uncias XII.

Ipseque Paulus Landolina, ob mortem domini Regis Ferdinandi, de dicta medietate feudi Stapeude a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die XV^o Ianuarii V^e Inditionis, notatam in libro anni 1516, in cartis . . et iuravit reddere tantumdem.

Reliqua medietas feudi Stapeude

Reliqua vero medietas dicti feudi Stapeude pro indiviso Ioanni de Landolina filio Muchii de Landolina antedicti, ut predicatur, cessit. Qui cum inserto tenore prenotati Imperialis privilegii pro se suisque heredibus de ipsa feudi medietate a quondam Don Lupo Ximeneu Durrea Prorege, antiquis Regiis regaliis, Regni Constitutionibus et iuribus Regie Curie semper salvis, XX^o Iunii prime Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 455 notatam, reportavit.

Deinde autem dicta medietas feudi Stapeude in posse Rogerii Landolina pervenit. De quo, cum non appareat investitura aliqua, ratio dari non potest si dictus Rogerius filius fuerat, sive heres aut consanguineus dicti Ioannis.

Quo Rogerio decedente, sibi in dicta medietate feudi Stapeude successit Ioannes Landolina eius filius. Qui pro se suisque heredibus, iuxta formam suorum privilegiorum, de ipsa feudi medietate ac de feudo Frigintini, nec non de feudo Tabarie in Meliveto posito, a tunc Regni Preside, de mense Iulii XII^e Inditionis 1479, ob mortem Serenissimi Regis Ioannis investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1478 in cartis 616 notatam, obtinuit; tamen non apparet ob mortem dicti Rogerii eius patris se investivisse.

Postremo dictus Ioannes Landolina eamdem feudi Stafeude medietatem Anthonio de Canizaro de Notho pro precio unciarum CCXXV, carta tamen gracie reddimendi quandocumque mediante, cum puplico vendicionis instrumento, acto manu notharii Mathei de Honesa XXVIII Maij XV^o Inditionis 1512, vendidit; cuius virtute idem Anthonius de Canizaro pro se suisque heredibus, iuxta formam sui privilegii die XI^o Marcii prime Indicionis 1513, de ipsa feudi medietate a don Petro Sanchez de Calatayut, moderno Preside, investituram in Regie Cancellarie libro anni 1512 in cartis 542 notatam consequutus fuit.

Hodie vero, dicto anno 1513 decurrente, ipsa feudi Stapeude medietas per dictum Anthonium Cannizarium possidetur et reddit anno quolibet 07. XII.

Ipsaque Anthonius Cannizaro de dicta medietate feudi Stapeude, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram, die XXVIII^o Ianuarii V^o Inditionis notatam in libro anni 1516 folio 43, et iuravit reddere tantundem.

Grampoli feudum.

Feudum autem Grampolo antedictum, virtute sententie in Consistorio Sacre Regie Conscience, XVI^o Marcij VI^o Inditionis late, ad Ioannem Landolina filium Rogerii de Landolina, filii quondam Mucchii de Landolina, pervenit; qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, de ipso Grampolo feudo, VII^o Septembris VII^o Inditionis 1503 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 14 notatam, habuit.

Ad presens vero, anno 1513 currente, ipsum Grampolo feudum per ipsum Ioannem Landolina possidetur, et reddit annis singulis 07. XXX.

Et mortuo dicto Ioanne Landolina, successit sibi in dicto Grampolo feudo Rogerius Landolina eius filius, qui tam ob mortem dicti eius patris quam ob mortem domini Regis Ferdinandi cepit investituram a don Ioanne de Luna Preside die XXIII^o Novembris V^o Inditionis 1516, notatam in libro Cancellarie dicti anni in cartis 252, et iuravit reddere tantundem.

Advertatur tamen quod privilegium antedictum ab ipso Imperatore Federico emanatum in Regia Cancellaria non reperitur. Nihilominus, actento quod predictum Stapheude feudum secundum formam antiquam, que intelligitur iure Francorum, concessum fuit, sub eadem forma iuris Francorum cuncte investiture similiter concedi debebant, licet pars unam medietatem feudi ipsius possidens bis aut ter pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum se investiverit, et sic essem opinionis quod investiture de cetero capiende in forma ipsa iure Francorum concedi deberent. Preterea minus reperitur quo titulo feudum ipsum Stapheude fuerit divisum et in duas partes segregatum, cum de hoc nulla appareat Principis licencia obtenta.

Mazarruni feudum.

De prenominato autem Mazarruni feudo in eadem valle Nothi et territorio Civitatis Calatagironi posito, dico, quod per quondam Federicum de Cardona, prout asseritur, antiquitus possidebatur. Quo exinde contra Serenissimos Reges Martinum et Mariam rebellionem patrante, feudum predictum de Mazarruni Regie Curie devolutum fuit. Illudque Reges predicti quondam Anthonio de Timera de Leontino suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servitio, in solutionem et integram satisfactionem nonnullorum frumentorum, ordeorum et aliorum bonorum quorumcumque tunc per Regiam Curiam illi debitorum, concesserunt. De qua quidem concessione Regia in Cancellaria nullum reperitur privilegium in forma debita et consueta expeditum; verum quedam ab eisdem Regibus concessa invenitur lictera, Capitano Iudici et Iuratis terre Bizini directa, data Leontini XXVII^o Novembris II^e Inditionis 1393, per quam mandatur eidem Anthonio de Timera feudi ipsius possessionem dari: quam quidem Regiam licteram Anthonius ipse pro vero titulo tenebat. Tandem idem Anthonius de Timera, asserens se verum dominum et patronum esse medietatis feudi eiusdem pro indiviso, cum reliqua medietas fuisset et esset quondam Nicholai de Landolina tunc viventis, quam feudi medietatem se ex dicta Regia concessione et donatione in vim dicte Regie lictere tenere aychat, medietatem ipsam

per eum, ut predicatur, possessam quondam Anthonio de Carammano, publico mediante contractu, acto manu notharii Nicholai de Francavilla III^o Marcii VII^o Inditionis 1428, ipsiusque Anthonii de Carammano heredibus eius de corpore legitime descendantibus, sub consueto militari servicio, Viceregia licencia preeunte, pro precio unciarum centum triginta quinque, de quibus pro iure confirmacionis ac aliis iuribus uncie triginta exsolvi debebant, vendidit. Quem quidem vendicionis contractum cum inserto tenore dicte Regie lictere, Proreges qui tunc in Regno preerant pro Serenissimo Rege Alfonso eidem Anthonio Carammano suisque imperpetuum heredibus de suo corpore legitime descendantibus, sub consueto militari servicio, antiquis Regijs regaliis, Regni Constitutionibus et Regie Curie iuribus semper salvis, eorum cum Viceregia provisione data Cathanie VII^o Marcii VII^o Inditionis 1428 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 60 notata, acceptarunt et confirmarunt.

Et nihilominus per prenotatam ipsorum Regum Martini et Marie licteram apparet prefato Anthonio de Timera in satisfacionem frumentorum, ordeorum et aliarum rerum per Regiam Curiam sibi debitarum totum feudum de Mazarruni antedictum et non illius medietatem pro indiviso concessam extitisse. Quomodo ergo feudum ipsum in duas partes, duoque iura separatim reperitur, cuius una medietas penes illos de Landolina in forma stricta, iure Francorum, permanet, cum exposuerint de illa nullum eorum ad manus pervenisse privilegium: altera vero dicto Anthonio de Timera cessit pro se suisque heredibus, nulla facta mencione de iure Francorum? Et quod peius est, de ipsa feudi separacione quomodo facta fuerit ipso in contractu nullum factum est verbum, nisi tantum quod reliqua medietas pro indiviso ipsius feudi fuerat et erat Nicholay de Landolina predicti, et tamen in rei veritate per dictam Regiam literam apparet totum ipsum feudum, et non illius medietatem, dicto Anthonio de Timera in satisfacionem dicti sui debiti fuisse concessam. Et ideo perquiri debet, quomodo qualiterve separatio ipsa processit pro Curie cautela. Quem quidem vendicionis medietatis feudi pro indiviso predicti Mazarruni contractum prelibato Anthonio de Camaranno suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus et quibus voluerit, in forma larga, Serenissimus Rex Alfonsus eius cum Regio privilegio dato in civitate Acerrarum XXIII^o Decembris III^o Inditionis 1439, et in Regie Cancellarie libro anni 1440 in cartis 305 notato, ratificavit et confirmavit.

Mortuo demum dicto Anthonio Caramanno, sibi in ipsa feudi predicti Mazarruni medietate successit Ioanna eius filia legitima et

naturalis. Que pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iuxta formam sui privilegii, sub consueto militari servicio, de eadem feudi medietate a don Lupo Ximenes Durrea, tunc Regni Prorege, IIII^o Augusti prime Inditionis 1453, investituram cum inserto tenore dicti contractus, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 760 notatam, obtinuit. Perquisito autem Regie Cancellarie repertorio, in quo cuncta Regni feuda descripta sunt, a dicto anno 1453 usque ad hodiernum, anno 1513 currente, de feudi Mazarruni predicti medietate per prefatam Ioannam filiam dicti Anthonii de Carammano possessa nullum actum, nullumque privilegium inveni. Verum ex relatione Ioannis de Landolina, moderni baronis feudi Frigintini, percepi dictam Ioannam de eadem feudi Mazarruni medietate Monasterio monialium sancti Salvatoris terre Nothi donationem fecisse et per ipsum Monasterium hodie, anno 1513 decurrente, possideri. Que medietas anno quolibet reddit uncias

Tamen Regia in Cancellaria nulla reperitur investitura per dictum Monasterium capta, minusque apparet aliquis contractus huiusmodi donationis, aliusve actus, quo casu Vestra Catholica Maiestas in ipsa feudi Mazarruni medietate ius haberet, nihilominus Tue Regie Serenitati exponere non pretermittam, quanti faciendum sit dictum Monasterium, cuius moniales adeo probe, honeste, devote, religiose, pudice et omni virtute excolte habentur, ac tali sanctimonia strictaque observantia illas vivere non dubium est, quod merito omni sunt subventionem munifica pertractande, cum precipue in eo centum fere religiose moniales, que pro diutina Tui Regii Culminis salute Omnipotentem exorare non cessant, Deo servire noscantur. Et sic Tue placeat Regie Maiestati dictam feudi medietatem ad opus tam pium eidem perpetuo relaxari et concedere Monasterio eique de illo elemosinarie investituram elargiri; nam huiusmodi feudi subsidio moniales ipse si destituerentur, per mendicata suffragia vitam ducere illas oporteret.

De reliqua autem Mazarruni feudi medietate, dico quod inveni illam per quondam Henricum de Sancto Stephano et exinde per Actardum de Landolina, tanquam maritum quondam Perne eius uxoris et predicti Henrici filie, ac postmodum per Nicholaum de Landolina prenominatorum Actardi et Perne iugalium filium, de quibus titulus non apparet aliquis, antiquitus possessam extitisse. Tandem dictus Nicholaus Landolina, cum iurasset in tunc Proregis manibus ob bellorum discrimina dicti feudi privilegia fuisse deperdita, constituto tamen de possessione, ab ipso Regni Prorege de feudo ipso pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus,

iure Francorum, sub consueto militari servicio, VIII^o Septembris prime Inditionis 1422 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 5 notatam, reportavit.

Ipsoque Nicholao de Landolina defuncto, sibi in dicta feudi Mazarruni medietate successit Ioannes Landolina, illius filius legitimus et naturalis ac maior natu. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, de ipsa feudi medietate a don Lop Ximen Durrea Regni Prorege, XXVIII Octobris VI^o indictionis 1457 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 84 notatam, obtinuit.

Post vero mortem dicti Ioannis Landolina, eadem feudi Mazarruni medietas Francisco de Landolina cessit, qui non apparet de illa investituram aliquam ob sui precessoris mortem sed ob mortem Serenissimi Regis Ioannis accepisse, que in Regie Cancellarie libro anni 1479, in cartis 279 notata, reperitur.

Et ideo rationem dari nequeo si Franciscus ipse prefati Ioannis filius vel frater aut heres fuit.

Quo Francisco Landolina decedente, sibi in ipsa feudi Mazarruni medietate successit Paulus de Landolina eius filius, qui de eadem feudi medietate iuxta formam sui privilegii a Ioanne de Lanuça, tunc Regni Prorege, XXI^o Iannuari VIII^o Inditionis 1505 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1504 in cartis 232 notatam, assequutus fuit.

In presentiarum autem, anno 1513 currente, medietas ipsa feudi eiusdem Mazarruni per dictum Paulum Landolina possidetur; quod anno quolibet reddit 07. XXXX.

Ipsaque Paulus, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside de dicta medietate feudi cepit investituram die VI^o Marcii V^o Inditionis, notata in libro anni 1516 in cartis 446; et iuravit reddere tantumdem.

Frigintini, Grampolo feuda.

Feudum Frigintini nuncupatum in valle Nothi existens, quod ab antiquo fuerat casale, ac casale Grampolo, de quo superius verba facta sunt in cartis 323, per quondam Thomam de Piscibus antiqui-

tus possidebantur. Qui Thomas cum in rebellionem incidisset, casalia ipsa Regie Curie aperta fuere et devoluta; illaque Serenissimus Rex Federicus, tunc regnans, quondam Bartholomeo Landolina suisque imperpetuum heredibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio iuribus Curie et alterius ac Regni Constitutionibus semper salvis, eius cum Regio privilegio, dato in castris in obsidione terre Aydoni vigesimo tercio Ianuarii XIII^o Inditionis 1300, concessit.

Exinde vero dictum Frigintini feudum in posse quondam Muchii de Landolina, tamquam descendenti a dicto Bartholomeo feudi ipsius primo acquirentore, devenit. Sed quia nulla reperitur de dicto feudo investitura per ipsos descendentes a dicto Bartholomeo Landolina capta, ratio dari non potest an dictus Muchius recta linea a prefato Bartholomeo descenderit.

Mortuo demum dicto Muchio de Landolina, de quo similiter nulla in Cancellaria apparet investitura, sibi in dicto feudo Frigintini successit Ioannes Landolina eius filius. Qui pro se suisque heredibus, iure Francorum, de ipso Frigintini feudo a quondam Don Lupo Ximenes Durrea, tunc Regni Prorege, cum inserto tenore privilegii dicti Regis Federici, Regni Constitutionibus iuribusque Curie semper salvis, XII^o Iulii prime Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 375 notatam, reportavit.

Defuncto postmodum dicto Ioanne Landolina, sibi in dicto Frigintini feudo successit Rogerius Landolina eius filius legitimus et naturalis, de quo in Cancellaria non apparet aliqua investitura.

Decedente deinde prelibato Rogerio, sibi in eodem feudo successit Ioannes de Landolina eius filius legitimus et naturalis, tunc minori in etate constitutus. Qui per eius procuratorem de dicto feudo, ob mortem Serenissimi Regis Ioannis et felicissimam Vestre Cath. Maiestatis successionem de feudo eodem investituram obtinuit. Tamen mihi persuadeo quod officiales illam expedientes non adverterunt in eadem investitura mencionem facere, quod etiam ipsa investitura ob mortem dicti eius patris capiebatur; prout in ipsa investitura data de mense Iulii XII^o Inditionis 1479, et in Regie Cancellarie libro anni 1478 in cartis 616 notata, continetur.

Sed ut genealogia istorum de Landolina tue innoteat Maiestati dico, quod defuncto Bartolomeo de Landolina primo acquirentore, sibi successit in dicto feudo Ioannes de Landolina eius filius.

Quo defuncto, sibi in eodem feudo successit Bartholomeus de Landolina illius filius.

Ipsoque Bartholomeo iuniore decedente, sibi successit in dicto feudo Muchius de Landolina illius filius.

Mortuo exinde dicto Muchio Landolina, sibi in dicto feudo successit Ioannes de Landolina eius filius.

Decedente demum eodem Ioanne Landolina, sibi in dicto feudo successit Rogerius de Landolina eius filius.

Eoque tandem vitam cum morte commutante, sibi in eodem Frigintini feudo successit Ioannes de Landolina eius filius, modernus dicti feudi possessor ut supra. Quod feudum anno quolibet reddit. . .

. 07. LXXX.

Quo Ioanne mortuo, successit in dicto feudo Rogerius Landolina eius filius; qui, tam ex morte eius patris quam ob mortem domini Regis Ferdinandi, cepit a don Ioanne de Luna Preside de dicto feudo investituram die XXIII^o Novembris V^o Inditionis 1516, notatam in libro Cancellarie dicti anni in cartis 252; et iuravit redere tantumdem.

Cannetum feudum.

Feudum lu Cannitu nuncupatum, in valle Nothi prope Leontinum et Chaderam positum, per Leontini universitatem, ut asseritur, absque tamen titulo et privilegio quod in Cancellaria appareat, antiquitus possidebatur. Tandem cum eodem in feudo quondam Dianella de Curilles, uxor don Ferdinandi de Montecatheno Francifontis et Chadere baronissa, ius habere pretenderet, contra Fiscum Procuratorem Cammere Reginalis, ac contra dictam universitatem super eisdem feudi petitione litem intemptavit. Et demum lata sententia per Magnam Regiam Curiam sive interlocutoria, feudum ipsum una cum expensis dampnis et interesse eidem Dianelle restitui debere provisum extitit: quodque, facta prius dicta restitutione, ipse Reginalis Fiscus et dicta universitas audirentur: prout in ipsa interlocutoria lata XX^o Decembris V^o Inditionis 1501, de qua viceregia emanavit executoria data Panhormi X^o Ianuarii V^o Inditionis dicti anni 1501, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 253 notata, late patet.

Exinde vero dicta Dianella et Ferdinandus de Montecatheno iugales feudum predictum Sabastiano Sgalambro pro precio florenorum sex milium quingentorum triginta trium et tarenorum duorum,

viceregia licencia preeunte, carta tamen gracia reddimendi mediante, vendiderunt. Qui Sabastianus pro se suisque imperpetuum heredibus eius de corpore legitime descendentibus de ipso Canneto feudo a don Raymundo de Cardona, tunc Regni Prorege, XXVIII^o Septembris XIII^o Inditionis 1509, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 48 notatam, reportavit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Cannetum per dictum Sebastianum Sgalambro possidetur; et reddit dictum feudum anno quolibet 07. XXXIII

Aliud de dicto Canneto feudo in Cancellaria privilegium sive titulum non apparet, et ideo ratio dari non potest si feudum ipsum est de pertinencijs terrarum Francifontis vel Chadere, aut si feudum de per se existat antiquum et paternum; minusque exponere valeo quo titulo possidetur, et ideo a possidente titulus habeatur; et interim feudum ipsum in rollo novo conficiendo pro Curie cauthela apponatur.

Tandem ultimo loco dictus Sebastianus Sgalambro de dicto Canneto feudo cepit investituram, pro se et heredibus de suo corpore ut supra, a don Ioanne de Luna Presidente, ob mortem domini Regis Ferdinandi et successionem dominorum Regine Ioanne et Regis Caroli die XXVII^o Novembris V^o Inditionis 1516, notata in libro Cancellarie dicti anni in cartis 245; et iuravit reddere tantumdem.

Exinde dictus Sebastianus resignavit dictum feudum Anthonio Sgalambro eius nepoti, iuxta eius testamentum actum per notarium Ioannem Antonium de Marciano, VIII^o Ianuarii VI^o Inditionis 1517; et sic cepit investituram die 1^o februarij VII^o Inditionis 1519, notata in libro dicti anni f.º 385.

Mons Climatium feudum.

Feudum et castrum mons Climatium nuncupatum, in valle Nothi positum, per quondam Gulielmum Raymundum de Montecatheno, Auguste comitem, antiquitus possidebatur; quo tamen iure suas pervenerit ad manus in Cancellaria nullus reperitur titulus. Tandem dicto Gulielmo Raymundo de Montecatheno contra Serenissimos Reges Martinum et Mariam rebellato, feudoque predicto Regie Curie propterea

devoluto, illud Reges predicti quondam Corrado de Castella Cathaniensi militi, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, antiquis Regijs regalijis Regni Constitutionibus et iuribus Regie Curie semper salvis, concessere; renunciatis prius per eundem Corradum, per se et suos heredes et successores, Regie Curie omnibus concessionibus eis forte factis per ipsos Reges reliquosque Sicilie Principes super iuribus cuiusvis Secrecie, vel super tractis portuum et maritimarum Regni; prout in eorum Regio privilegio dato Cathanie X^o Februarii VI^o Inditionis 1397, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 14 notato, continetur.

Nihilominus pro Curie cautela essent videndi Regie Cancellarie antiqui codices, et signanter de tempore dictorum Regum Martini et Marie; ut percipi possit, quas concessiones dictus Corradus de Castella suive progenitores obtinuerint ante predicti feudi concessionem, et si Regie Curie restitute fuerint, aut penes heredes dicti Corradi remanserunt; et hoc pro dicti privilegii observacione.

Recognito tamen per me Regie Cancellarie repertorio, in quo singule Regni feudorum investiture annotate sunt, a dicto tempore anni 1397 usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, nullum alium actum privilegium sive investituram de dicto feudo montis Climatum inveni. Verum in libro anni 1505, in cartis 255, quandam repperi investiture notam de dicto feudo per quondam Antonium de Platamone legum doctorem et tutorem Catherinelle de Speciali, sororis et heredis quondam Blancucie filie primogenite quondam Nicholai de Speciali, pro se suisque heredibus et successoribus iuxta formam sui privilegii a tunc Regni Prorege, XII^o Decembris VIII^o Inditionis 1505 obtenta: in qua non exprimitur ius Francorum ut primus titulus dictorum Regum Martini et Marie dictat, minusque mencio fit quo iure dictus Nicholaus de Speciali sui que filii in eodem feudo successerint. Sed quia ex parte ipsorum modernorum possidentium pretenditur dictum feudum in territorio Siracusano extare, et sic in Reginali Cammera, cuius magistratus a demaniali Vestre Cath. Maiestatis valde semotus est et separatus, evenire potuisset, quod in archivo dicte Reginalis Cammere feudi ipsius investiture describe essent, tamquam in Reginali Cammera obtente.

Nihilominus feudi predicti confinia huiusmodi sunt, scilicet: quod ex parte Orientis confinatur cum feudo Agugle, et ex parte Septentrionis cum terris burgensaticis Mililli, que Mililli terra in sacri Regii Demanii territorio iacet, ex parte vero Occidentis cum territorio Xurtini terre demanialis, ex parte autem Meridiei cum feudo

Didini, quod similiter in demaniali solo extare opinor. Et sic videndum est, si dictum montis Climatum feudum est in demaniali solo consitum aut in Reginali Camera antedicta; ut discerni possit qua ex re non se investiverint, et quare investituras in forma stricta, iure Francorum, non ceperint, cum dicta Catharinella illam in larga forma obtinuerit, et si recta et legitima linea descendunt pro Curie cautela.

Timogni territorium.

Territorium seu terrarum tenimentum li Timogni nuncupatum, in valle et territorio civitatis Noti ac in maritima existens, per quondam Orlandum Traversa, de quo titulus non apparet, antiquitus possidebatur. Sed dicto Orlando Traversa contra Serenissimos Reges Martinum et Mariam, parti quondam Gulielmi Raymundi de Montecatheno Melivetani marchionis rebellis et, post illius mortem, fratribus et filiis dicti marchionis ac Anthonio de Vigintimilio olim Gollisani comiti rebellibus se inherendo, rebellato, feudum predictum Regie Curie apertum fuit et devolutum; illudque Reges predicti quondam Muchio Landolina suisque imperpetuum heredibus et successoribus, sub onere census Regie Curie debito et consueto, ac cum facultate illud vendendi, donandi, permutandi, pro anima adiudicandi, et alio quovis alienacionis titulo in alios transferendi, debita gegia fidelitate ac onere solucionis dicti census, iuribusque Regie Curie semper salvis, eorum cum Regio privilegio, dato Cathanie VI^o Maii VI^o Inditionis 1398 et in Regie Cancellarie libro anni 1397 in cartis 138 notato, concesserunt.

Sed cum in vim dicti Regii privilegii clarissime demonstretur dictum territorium di li Timogni dicto Muchio de Landolina et suis imperpetuum heredibus et successoribus sub dicto annuo consueto censu Regie Curie prestando concessum extitisse, et per compota Regie Secrecie dicte civitatis Nothi appareat de dicto censu territorij ipsius di li Timogni nullum fuisse factum introytum, ignoreturque propterea in cuius posse ad presens reperiatur; dicendum est dictum ius annui census fuisse diu occupatum, et sic videndum est quinam illud possideat et quo titulo illud possideat. Et nihilominus compelli

etiam posset ad dandum rationem de dicto annuo censu a dicto tempore Regis Martini citra, iuxta formam prenotati privilegii, pro Curie cautela.

Sanctus Cosmanus feudum.

Feudum Sanctus Cosmanus dictum, in valle Nothi et territorio Comitatus Auguste positum, per quondam Thomam Schifanum tanquam territorium seu terrarum tenimentum antiquitus possidebatur, et deinde ad Artalem de Alagona, qui rebellis dictus est, pervenit; tamen quo iure illis cesserit, nullus apparet in Regia Cancellaria titulum sive privilegium.

Mortuo postmodum dicto Artali de Alagona, Serenissimus Rex Martinus iura, que in ipso terrarum tenimento Regia Curia quomodocumque et qualitercumque tenebat, quondam Ioanni de Bellomo militi, Regio Algozirio, suisque imperpetuum heredibus et successoribus; et signanter iura ad ipsam Regiam Curiam spectantia super bonis dicti quondam Artalis de Alagona, qui tunc temporis nonnullas civitates, terras, castra, loca et bona sacri Regii Demanii per longum temporis spacium tenuerat illorum redditus et provenctus percipiendo, propter quod diversis iustis rationibus et causis ipsi Regie Curie in ampla pecuniarum summa dicti quondam Artalis heredes tenebantur, cessit: transferens in eundem Ioannem eiusque heredes predictos dicta iura, adeo quod propterea seu quocumque alio iure ratione vel causa idem Ioannes sui que imperpetuum successores in iudicio vel extra iura ipsa petere prosequi expediri etc. potuissent; sicuti in ipsius Regio privilegio dato Cathanie XVI^o Ianuarii VI^o Inditionis 1398, et in Regie Cancellarie libro anni 1397 in cartis 42 notato, continetur.

Postmodum autem dictum Sanctus Cosmanus nuncupatum territorium seu terrarum tenimentum eidem Regie Curie iterum devolutum fuit, quo tamen iure non apparet. Tandem regnante Serenissimo Rege Alfonso, pro quo tunc temporis Serenissimus Rex Ioannes Sicilie Regni regimen et gubernacionem exercebat, cum assereretur dictum Regem Ioannem tunc Regni Vicarium quondam Gulielmo de Bellomo ipsum territorium in feudum et tamquam rem feudalem vendi-

disse pro certo precio, de quo cum aliquod non appareat publicum instrumentum sive scriptura aliqua seu declaratio, ratio dari non potest; dicereturque ipsum Gulielmum nec non Anthonium de Bellomo eius filium dicte emptionis titulo per annos fere triginta feudum ipsum pacifice et quiete tenuisse et possedisse, de quibus patre et filio nullus apparet in Cancellaria titulus sive investitura: et sic, dicta actencta vendicione, comprehenditur iurium cessionem de dicto feudo per prefatum Regem Martinum dicto quondam Ioanni de Bellomo Algozirio factam effectum non habuisse: mota lite per fiscum regium super Auguste Comitatu, dictus Anthonius de Bellomo sua feudi possessione privatus fuit. Idem vero Anthonius de Bellomo comparens exinde coram dicto Rege Ioanne, qui tunc in Regno ipsi Regi Alfonso successerat, illique exponens se suo feudo, quod per eius Maiestatem cum esset Regni Vicarius, ut supra, prefato Gulielmo de Bellomo eius patri venditum fuerat, separatim ac dismembratum ab ipso Auguste Comitatu cum evictionis obligatione spoliatum fuisse, ab ipso Rege Ioanne eiusdem feudi Sancti Cosmani cum iuribus suis restitutionem obtinuit cum clausula: iuribus feudalibus et aliis nobis et nostre Curie successoribusque nostris pertinentibus et spectantibus remanentibus semper salvis et illesis etc; quemadmodum in ipsius Regis Ioannis privilegio dato Barchinone II^o Ianuarii VIII^o Inditionis 1460, de quo viceregia emanavit executoria data Panormi XXIX^o Aprilis VIII^o Inditionis dicti anni 1460, et in Regie Cancellarie libro anni 1459 in cartis 236 notato, late patet.

Defuncto exinde dicto Anthonio de Bellomo, feudum Sanctus Cosmanus nuncupatum antedictum ad quondam Georgium de Bellomo, de quo non apparet in Cancellaria investitura, devenit: et sic ratio dari non potest a quo Georgius ipse descendat.

Quo Georgio absque filiis decedente, sibi in dicto Sancto Cosmano feudo successit Ioanna Margarita Olzina ipsius Georgii soror. Que de feudo ipso ad purum et francum allodium iuxta formam suorum privilegiorum a tunc Regni Presidentibus VII^o Februarii VII^o Inditionis 1484 investituram, in Regie Cancellarie libro annorum 1484 1485 in cartis 360 notatam, reportavit.

Sed quia verum privilegium sive titulus dicti feudi ipsa in Cancellaria non reperitur, ratio dari non potest an ad purum et francum allodium venditum seu concessum fuerit; minusque feudi eiusdem forma percipitur.

Deinde vero feudum ipsum in posse Anthonii de Bellomo, de quo investitura non apparet, pervenit.

Quo Anthonio de Bellomo nature satisfaciente, sibi eodem in

feudo successit Ioannellus de Bellomo eius filius legitimus et naturalis ac primogenitus, qui de feudo ipso a quondam don Raymundo de Cardona Prorege, pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, ad dictum purum et francum allodium iuxta formam sui privilegii VIII^o Maij XI^o Inditionis 1508 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1507 in cartis 558 notatam, consequutus fuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum predictum Sanctus Cosmanus per dictum Ioannellum de Bellomo possidetur. Quod anno quolibet reddit 07. L.

Dictus vero Ioannellus de Bellomo de dicto feudo Sancti Cosmani, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die XVIII^o Ianuarii V^o Indictionis, notatam in libro anni 1516 f.º 554, et iuravit reddere tantumdem.

Tandem possidente dicto Ioannello de Bellomo dictum feudum Sancti Cosmani donacionem, que dicitur irrevocabilem inter vivos, Ysabelle relicte quondam magistri Anthonij de Bellomo eius matris fecit, ut patet in actis notarii Petri Satalia die XI^o Decembris VIII^o Inditionis 1520; que Ysabella a don Hectore de Pignatellis, in presentiarum in Regno Viceroge, investituram obtinuit die X^o Iunii VIII^o Inditionis 1521 de feudo ipso ad francum allodium pro se suisque heredibus et successoribus imperpetuum, registrata in officio Regie Cancellarie in libro anni 1520 VIII^o Inditionis f.º 399; et iuravit reddere 07. C.

Nihilominus in libro anni 1509 in cartis 679 quedam reperitur investiture nota per quondam Nicholaum Melchiorem de Branchi-fortibus capta de terra Mililli et dicto feudo Sancto Cosmano, cum iurisdictione quam virtute emptionis per eum facte in vim accordii inter ipsum et quondam Gulielmum Raimundum de Montecatheno Auguste comitem, celebrati a don Ugone de Montecatheno Prorege, obtinuit; et tamen in ea nulla redditur ratio de titulo et possessione dicti feudi, immo ut predicatur ipsum feudum per dictum Ioannellum de Bellomo possidetur. Et sic mihi persuadeo dictum de Branchi-fortibus pretendere aliquam habere in dicto feudo iurisdictionem, quod feudum iam apparet a dicto comitatu segregatum extitisse et separatum, ut superius dictum est.

Murgo feudum

Feudum lu Murgo vulgo nuncupatum, in valle Nothi et tenimento terre Leontini positum, per quondam Guillelmum Raymundum de Montecatheno tunc Meliveti comitem antiquitus possidebatur, quo tamen iure nullus Regia in Cancellaria titulus reperitur. Tandem eodem Guillelmo Raymundo de Montecatheno contra Serenissimum Regem Martinum rebellato, feudum ipsum Regie Curie devolutum fuit: illudque Rex idem quondam Ioanni de Paternione, suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus in perpetuum, eius Regio mediante privilegio quod in Cancellaria non apparet, concessit, cum lege tamen et condicione scilicet: cum condicione et lege quod idem miles, habita possessione corporali dicti feudi illudque possidendo vel dum possederit, careat omnibus iuribus sibi competentibus super feudo Burgii ac salinis et iuribus ipsius, quod fuit Pauli Capublanci militis nostri rebellis et nunc tenet et possidet illud Raynaldus de Landolina miles consiliarius familiaris et fidelis noster, ex concessione et donacione nostris ipsi Raynaldo factis, super quo dictus Ioannes ius habere pretendebat et pretendit; et casu quo ipse Ioannes miles privaretur et excluderetur a dicto feudo Murgii et iuribus suis sibi ut supra concessi et dati suadente iusticia vel nostrarum maiestatum precepto aut ordinatione seu provisione aliqua, sub quacumque forma facta vel forsitan facienda, dictus miles aut eius heredes valeant et libere possint omnia et singula iura, que habent in eodem feudo Burgii et salinis predictis contra eundem Raynaldum vel suos heredes aut alios possessores feudi Burgii et salinarum eorumdem in dicta Magua nostra Curia coram vobis ad quem feudorum cognitio pertinet et spectat, agere experiri et prosequi et iura eorum secundum Deum et iusticiam obtinere etc. quemadmodum in quadam dicti Regis Martini provisione directa magistro iusticiario locumtenente et iudicibus Magne Regie Curie, data Cathanie primo Iulii VI^o Inditionis 1398, et in Regie Cancellarie libro anni 1397 in cartis 154 notata, continetur. Per quam Rex idem mandat et providit quod, casu quo ab ipso Murgij feudo Ioannes de Paternione antedictus excluderetur, iura que in dictis Burgio feudo et salinis habebat sibi reservata permanerent, quodque idem Ioannes sui que heredes contra Matheum de Montecatheno filium dicti Guillelmi Raymundi Mar-

chionis etiam rebellem et tunc Regie fidelitati reductum, cui comitatus **Auguste** graciosè restitutus fuerat, prout per eius proavum et avum possidebatur, quia dubitabatur ne dictum **Murgii** feudum intra terminos dicti comitatus comprehenderetur; ac etiam contra alias quas-cumque personas litem movere prosequi et finire iusque suum petere possent: quodque ipsi officiales prefato **Ioanni de Paternione** suisque heredibus ut supra dictam Regiam provisionem inviolabiliter iuxta dictam declarationem observarent cum clausula scilicet: quibuscumque alijs provisionibus et rescriptis in contrarium forte factis aut de cetero per inadvertenciam forsitan faciendis, cum nostre finalis intencionis fuerit et sit omnia predicta iuxta eorum seriem observari, ad hec nullatenus obstituris etc. prout ipsa in Regia provisione continetur.

Exinde vero dictum **Murgii** feudum ad predictam Regiam Curiam iterato pervenit, quo tamen iure illi cesserit et a dictis de **Paternione** defecerit, cum in Cancellaria non appareat, ratio dari non potest. Postremo dictus **Rex Martinus**, actentis servicijs per quondam magistrum **Blasum Scammacca Cathaniensem** phisicum, tam ipsi Regi quam **Serenissimo Sicilie Regi** quondam eius primogenito et **Serenissime Regine Marie** prime consorti dicti sui primogeniti in reductione regni ad Regium dominium prestitis, prelibato magistro **Blasco Scammacca**, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus imperpetuum dictum **Murgii** feudum sub consueto militari servicio iterum concessit. Transferens in illos, quo ad utile dumtaxat dominium, iura actiones et causas quascumque sue Regie Curie super dicto feudo contingentes, cum clausula scilicet: cui magistro **Blasco** ex gracia nostra speciali concedimus, quod dictum feudum legare posset alteri filiorum suorum quem elegerit ad ipsum feudum heredem instituere etc; Regiis antiquis regalijs Regni constitutionibus iuribusque Regie Curie semper salvis, sicuti in eius Regio privilegio, dato **Barchinone VIII^o Septembris III^o Inditionis 1409**, late patet.

Preterea idem magister **Blasus Scammacca** alio cum privilegio a dicto Rege **Martino** emanato, dato **Barchinone X^o Marcii III^o Inditionis 1410**, ut dicta concessio feudi ipsius eidem **Blasco** valida et firma esset nulloque tempore retractari posset obtinuit: quod ipsemet **Rex Martinus**, actentio quod dictum **Murgii** feudum de territorio et membris terre **Auguste** erat, illudque cum suis singulis et universis finibus membris ac pertinencijs, ab ipsius territorii et tenimenti eiusdem terre **Auguste** annexione liberavit et segregavit, divisit et separavit decernendo: quod dictum feudum non posset de membris annexione territorio et tenimento dicte terre **Auguste** amplius nuncupari nec

esse vel existimari, sed feudum de per se inquaternatum et paternum cum clausula scilicet: adeo quod dictus magister Blascus eiusve heredes ullo unquam tempore, pretextu connexitatis vel integritatis comitatus predicti et eius territorii vel tenimenti dicte terre Auguste, per quospiam non impetantur seu molestentur vel eis proinde per officiales nostre Curie vel alios quoscumque novitas aliqua fiat in possessione et pacifica tenuta feudi iam dicti, non obstantibus quibuscumque legibus iuribus civilibus vel canonicis, Regni constitutionibus, statutis, consuetudinibus, pragmaticis, sanctionibus, mandatis, inibicionibus et presertim capitulo **volentes**, per quod feudorum divisio videtur esse prohibita et aliis in contrarium stantibus, quibus et eorum cuilibet ac verbis sensui et eorum vigori, quo ad hec de Regia potestate predicta et certa nostra scientia derogamus, cum nolimus nostram concessionem et gratiam aliquo modo posse infringi seu revocari, pretextu precipue connexitatis seu integritatis terre et comitatus eiusdem vel alterius cuiuscumque cause etc. Mandans idem Rex Regni magistro iusticiario iudicibus Magne Regie Curie et aliis quibuscumque officialibus constitutis et constituendis et signanter dicte terre Auguste, quod dictam segregacionem et separacionem inconcusse tenerent et observarent, Siracusano colloquio sive capitulo aliquatenus non obstante.

Mortuo demum dicto magistro Blasco Scammacca, sibi in dicto Murgii feudo successit Matheus Scammacca eius filius legitimus et naturalis, ac ex eius testamentaria dispositione heres universalis. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio a tunc Regni Proregibus, cum clausulis et reservacionibus in dicto Regio privilegio notatis, XI^o Iunii VII^o Inditionis 1429 confirmacionem et investituram de dicto autem Regio privilegio segregacionis, XXI^o Iunii VII^o Indicionis 1429 executoriam, in Regie Cancellarie libro anni 1428 in cartis 97 et 99 notatas, obtinuit.

Deficiente autem dicto Matheo Scammacca, sibi in dicto Murgii feudo successit Blascus Scammacca eius filius legitimus et naturalis. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iuxta formam prenotati privilegii, de dicto feudo a Don Lupo Ximenes Durrea, tunc Regni Vicerege, sub consueto militari servicio antiquis Regiis regaliis Regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie semper salvis, XIX Iulii prime Inditionis 1453 investituram cum inserto tenore dictorum duorum Regionum privilegiorum, in Regie Cancellarie libro dicti anni 1453 II^o Inditionis in cartis 110 notatam, reportavit.

Decedente vero dicto Blasco Scammacca, sibi in dicto Murgii feudo successit Matheus Scammacca eius filius legitimus et naturalis ac primogenitus, qui ob mortem dicti eius patris pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio, de dicto feudo a tunc Regni Vigerege VIII^o Iulii II^o Indictionis 1464 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1469 in cartis 178 notatam, consequutus fuit.

Defuncto postremo dicto Matheo Scammacca, sibi in dicto Murgii feudo successit Blascus Scammacca eius filius legitimus et naturalis ac primogenitus, qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iuxta formam suorum privilegiorum, ob mortem dicti eius patris a don Ioanne de Lanuça Prorege VI^o Octobris III^o Indictionis 1499 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1500 in cartis 351 notatam, nactus extitit.

Et mortuo dicto Blasco Scammacca, successit sibi in dicto feudo Murgii Matheus Scammacca eius filius legitimus et naturalis, qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus de feudo ipso obtinuit investituram a domino Don Ugone de Moncada Vice-rege, dato Messane XXVI^o Novembris II^o Indicionis 1513, notatam in libro Cancellarie dicti anni f.^o 244. Et in presentiarum, currente anno 1515, dictum feudum possidetur per eundem Matheum Scammacca, et reddit 07. C.

Et ita iuravit et prototidem solvit iura. Et cepit etiam dictus Matheus a Don Ioanne de Luna Preside investituram de dicto feudo Murgii, ob mortem domini Regis Ferdinandi, die XVI^o Decembris V^o Inditionis 1516, notatam in libro dicti anni f.^o 288, et iuravit reddere uncias quinquaginta, ex quo dismembravit marcatum li Puzilli, quod reddit alias uncias quinquaginta ad complimentum unciarum centum.

Et est notandum, quod dictus Matheus Scammacca dismembravit a dicto feudo Murgii quoddam principale marcatum vocatum li Puzilli cum molendino et iuribus universis, illudque vendidit carta gracie reddimendi quandocumque cum licencia viceregia Bastiano Scalambro pro florenis octo mille, patet per contractum factum per notarium Ioannem Anthonium Marcianum de Leontino XXI^o Octobris III^o Inditionis 1515; de quo marcato sive feudo habuit investituram a domino Vicerege XVI^o Marcii Indictionis predictae, notatam in libro anni III^o Inditionis 1514 f.^o 568, et reddit quolibet anno uncias quinquaginta ut suo iuramento firmavit, et prototidem solvit iura Curie et regijs officialibus et in presentiarum, currente anno predicto, possidetur per eundem Bastianum Sgalambro 07. L.

De quo feudo inferius in cartis 426 fit notamentum ad cautelam Curie.

Flumi Frido feudum sive Casale.

Feudum sive Casale Flumi Frido vulgo nuncupatum, in valle Nothi et tenimento terre Leontini positum, per quondam Matheum et Blascum de Alagona fratres coniunctim vel separatim, de quibus in Cancellaria titulus non reperitur, antiquitus possidebatur. Sed quia dicti Matheus et Blascus de Alagona rebellionem contra Serenissimos Reges Martinum et Mariam exercuisse dicti sunt, pro qua rebellionem casale predictum Regie Curie devolutam extitit, Reges ipsi quondam Iacobo Campulo militi tunc Regni Magistro Secreto suisque heredibus et successoribus ac quibus voluerit in feudum, sub servicio unius paris chirothecarum de coreo sive camusio anno quolibet Regie Curie in signum recognitionis dominii seu vassallagii in festo Natalis Domini solvendo, in excambium iuris cabelle farine et coreorum Civitatis Siracusarum, quam cabellam ab ipsis Regibus in viam eorum Regii privilegii dati in anno 1391 Ioannes ipse habuerat, cum potestate feudum ipsum vendendi alienandi et pro anima ordinandi et relinquendi ad dicti Iacobi libitum voluntatis, cum clausula evictionis feudi eiusdem ac donacionis de toto eo quod feudum ipsum ultra dictam cabellam farine et coreorum valeret, eorum cum Regio privilegio dato Leontini XXVIII^o Septembris prime Inditionis 1392, et in Regie Cancellarie libro annorum 1388, 1392 in cartis 120 notato, concesserunt.

Exinde assertum extitit eodem in feudo quondam notarium Cristoferum de Monteaperto, terre predictae Leontini habitatorem, ius habere illudque tenere et possidere. Tamen Regia in Cancellaria non invenitur quo iure privilegium concessionis dicti feudi, predicto Iacobo Campulo factum, revocatum fuerit.

Demum, ob rebellionem per dictum notarium Cristoferum de Monteaperto contra Reges eosdem patratam, feudum ipsum Curie Regie fuit iterum devolutum, iterumque Reges iidem illud quondam Guillelmo Lisiart armigero, de quo titulus non apparet aliquis, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus concessere.

Mortuo postmodum dicto Guillelmo Lisiart absque filiis, feudum ipsum eidem Regie Curie iterato cessit, denuoque Reges ipsi illud quondam Petro Durgull, etiam armigero, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum sub consueto militari servicio, concesserunt.

Et licet inde ad certum tempus per Antonellum et Thomam de Monteaperto, dicti quondam notari Cristoferi de Monteaperto filios, contra dictum Petrum Durgull in Magna Regia Curia super dicti feudi revocatione, virtute cuiusdam donacionis olim de dicto feudo prelibato notario Cristofero per quondam Ioannam de Monteaperto mulierem facte, lis et questio mota fuisset; tamen probato instrumenta in dicta Magna Regia Curia producta falsa fuisse, et hac de causa in puplica civitatis Cathanie platea combusta et concremata, decisum extitit feudum ipsum ad Regiam Curiam spectare et apertum esse. Unde illius concessio dicto Petro Durgull facta locum habuit, prout in dictorum Regum privilegio dato Cathanie XI^o Septembris XI^e Inditionis 1402, et in Regie Cancellarie libro anni 1401 in cartis 139 notato. latius exponitur.

Perquisito demum per me Regie Cancellarie repertorio, in quo Regni feuda descripta sunt a dicto anno 1401 usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, nullum aliud privilegium, investituram, sive actum de dicto feudo inveni, minusque ratio dari potest in cuius posse existat et quo titulo possideatur, minusque si illius possessor ex recta linea primi eius acquisite, actento iure Francorum, descendat. Et ideo ab archivario Reginalis Cammere habenda est relatio per quem possideatur, et si de feudo ipso investiture per successores, recta linea descendentes, successivis temporibus usque ad presens capte fuere, pro curie cautela. Et hoc quia feudum predictum in terre Leontini tenimento, quod sub reginali iurisdictione extat, consitum est, et posset esse quod in dicto Siracusano archivo singule dicti feudi investiture et acta reperirentur, licet a tempore regiminis dicti Regis Martini usque ad presens ipsa Reginalis Camera, ob Serenissimarum Reginarum mortem vel aliter, fuerit ad sacrum Regium demanium pluries devoluta; ob quod hac in Regia Cancellaria ob ipsarum Reginarum obitum aliqua de necessitate apparere de dicto feudo Flumi Frido deberet investitura. Et nihilominus nullam repperiri contingit, cum de quam pluribus alijs feudis eadem in Camera Reginali existentibus, ob dictarum Reginarum decessum, inveniatur Regia in Cancellaria captas extitisse investituras.

**Chaliruni sive Flumen Salsum et Nixima
ac Aynichaseni casalia.**

Feuda sive casalia Chaliruni quod nunc Flumen Salsum vocatur et Nixima, in valle Nothi et infra territoria terrarum Calatanixecte et Petrepercie existencia, per quondam Ioannem de Baresio, de quo titulus in Cancellaria non reperitur, antiquitus possidebantur. Tandem facta per dictum Ioannem rebellionem, et ob illam casalibus ipsis Regie Curie devolutis, Serenissimus Rex Federicus dictum Chaliruni feudum et casale quondam Bernardo de Siniscalco militi suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum sub consueto militari servicio, Regijs antiquis regalijs Regni Constitutionibus et iuribus Regie Curie semper salvis, eius cum Regio privilegio dato apud Castrum Ioannem in anno 1300 XIII^o Inditionis, in feudum perpetuum concessit.

Casale vero sive feudum Nixima antedictum in feudum etiam perpetuum, sub consueto militari servicio, dictus Rex Federicus quondam iudici Rogerio de Gangio tunc Castri Ioannis terre habitatori suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, dictis Regijs antiquis Regalijs iuribusque Regie Curie semper salvis, ac modo et forma in privilegio dicti Bernardi de Siniscalco contentis, eius cum Regio privilegio VIII^o Augusti XIII^o Inditionis 1300 etiam concessit.

Deinde vero prefatus iudex Rogerius de Gangio, cui feudum ipsum Nixima concessum fuerat, eius cum ultimo testamento eodem in feudo Nixima prefatum Bernardum de Siniscalco eius nepotem instituit heredem. Qui Bernardus de Siniscalco, ipsius testamenti vigore ac Regie constitutionis sive capituli **Volentes**, quod inter cetera continet in effectu quod quilibet baro a Regia Curia feuda possidens, absque permissione seu licencia regia feuda sua pignolare vendere donare permutare et in ultimis voluntatibus relinquere, ac alio quolibet alienacionis titulo, in unam tantum eandem personam se digniorem vel eque dignam, seu nobilem, trasferre potest, preterquam in ecclesiam et ecclesiasticas personas; pro ipso Nixima feudo a dicto Rege Federico dicta testamentaria disposicione et institutione, cum dicti capituli insercione, confirmacionem obtinuit cum clausula: quatenus predictum testamentum continet et sibi predicta institutio rite et rationabiliter facta est iuxta tenorem predicti capituli con-

stitutionis predictae sub predictis forma et servicio in eodem privilegio distincte notatis etc. prout in ipsius Regio privilegio, dato XIII^o Iulii XV^o Inditionis 1302, late patet.

Postmodum autem dictus Bernardus de Siniscalco ad mortem deveniens, eius cum ultimo testamento, Ioannem de Siniscalco eius filium in omnibus feudis et bonis suis et signanter in ipsis Chaliruni et Nixima casalibus suum instituit heredem universalem. De qua testamentaria institutione et ordinacione ab ipsomet Rege Ioannes ipse, illius cum Regio privilegio dato Messane II^o Iulii prime Inditionis 1303, confirmacionem, cum clausula prout iuste et rite facta est etc., reportavit.

Quo Ioanne de Siniscalco, defuncto condito per eum eius ultimo testamento manu notarii Thome de Barbarino terre Castri Ioannis VI^o Augusti III^o Inditionis 1306 acto, feudum ipsum Fluminis Salsi ad Ysoldam eius sororem, de qua non reperitur in Cancellaria investitura, pervenit. Et ideo ratio dari non potest an ipsa Ysolda eodem in feudo, tamquam eius soror et non ut filia, ipso in feudo succedere debebat et si dictum testamentum ad agnatos et filios se extendebat.

Qua Ysolda decedente, feudum antedictum fluminis Salsi ad Ysoldam predictae Ysolde senioris neptem, filiam Philippe ipsius Ysolde senioris sororis, vigore testamenti per ipsam Ysoldam seniore in terra Calaxibecte manu notharii Riccardi de Balsamo XXVIII^o Iunii VIII^o Inditionis 1340 conditi, pervenit. Que Ysolda iunior in anno 1351 quondam Riccardello de Thethis nupsit.

Defunctis exinde eisdem Ysolda iuniore et Riccardo iugalibus, illis eodem in feudo Chaliruni sive Fluminis Salsi successit Manfridus de Thethis eorum filius, de quo nulla apparet investitura.

Ipsaque Manfrido de Thethis deficiente, sibi eodem in Chaliruni feudo successit Leonora eius filia legitima et naturalis ac maior natu tunc Mazulli de Salamone uxor, de qua etiam nulla reperitur investitura.

Decedente postmodum Leonora predicta, sibi in dicto Chaliruni feudo successit Rogerius de Salamone eius filius et dicti Mazulli de Salamone, eius mariti, legitimus et naturalis. Qui Rogerius pro se suisque heredibus iure Francorum sub consueto militari servicio a Don Lupo Ximenes Durrea, tunc Regni prorege, de feudo ipso, iuribus Curie et alterius semper salvis, XX^o Iunii prime Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 791 notatam, obtinuit.

Advertendum tamen est, quod verus ipsorum duorum casalium titulus ad heredes de corpore legitime descendentes iure Francorum

extenditur, hec vero novissima viceregia investitura, per dictum don Lupum concessa, de heredibus suis iure Francorum mencionem facit, non tamen de heredibus de corpore legitime descendantibus; quod equidem sacro Regio Demanio valde preiudiciale videtur.

Secuta exinde dicti Rogerii de Salamone morte, feudum predictum Fluminis Salati ad Iacobum de Salamone devenit. Qui ob mortem sui progenitoris investituram non cepit, nisi tantum per mortem Serenissimi Regis Ioannis tui Regii Culminis genitoris, prout in ipsa investitura, notata in libro Cancellarie anni 1479 in cartis 181, continetur.

Quo Iacobo de Salamone vita casso, sibi eodem in feudo Fluminis Salati successit Violans eius filia, que Anthonio de Iaen legum doctori nupsit. Qui Anthonius, tamquam illius maritus et legitimus administrator, de ipso feudo a quondam Ioanne de Lanuça Prorege pro se suisque heredibus, iure Francorum, V^o Iulii XIII^o Inditionis 1496 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1495 in cartis 380 notatam, nactus fuit. In qua nulla fit mentio de heredibus legitime de corpore descendantibus, iure Francorum, iuxta formam primi tituli.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsam Fluminis Salati per prefatos Anthonium Iaen et Violantem iugales possidetur, quod anno quolibet reddit 07. CCC.

Nihilominus, quia nomen feudi predicti erat Chaliruni, quod feudum alio nomine nunquam extitit nuncupatum, et exinde videtur feudum Fluminis Salati fuisse intitulum, est recte attendendum, an Chaliruni et Flumen Salatum duo fuerint sive sint feuda, et non unum sive in unum corpus reducta, ne Regie Curie iura fraudentur.

Nixima feudum.

De casali vero sive feudo Nixima etiam dico, quod valde miror quare ad illos de Salamone recta linea non devenerit sed ad aliam agnationem, actento quod modernus possideas supradictum feudum Fluminis Salati a quondam Bernardo de Siniscalco illius primo acquirentore descendit. Qui Bernardus in ultimis, quibus decessit, de utroque feudo Fluminis Salati scilicet et Nixime in Ioannem de Siniscalco

eius filium, a quo idem modernus possidens descendit ut predicatur, disposuit; minusque stare posset quod successores dicti Bernardi acquisite ipsam Nixima casale in aliam alienassent agnacionem, nam cum ipsum feudum in forma stricta, iure Francorum, concessum reperitur ex pacto et providencia principis, pacto aliquo alienari non poterant.

Nihilominus, quomodocumque sit, in libro Cancellarie anni 1401 in cartis 105 quoddam reperitur a Serenissimo Rege Martino emanatum privilegium, datum Cathanie XV^o Iulii X^o Inditionis 1402, in quo exponitur, quod ipsum Nixima feudum et Aynichaseni situm et positum in territorio terre Calatanixecte, in duobus consistens corporibus, per quondam Mariam, quondam Gulielmi de Abrutio uxorem eiusdem terre possidebatur; quodque ipsi iugales tunc temporis nullum habebant masculinum heredem; quodque ob crimen homicidii per ipsos iugales in personam quondam Henrici Buxiocta de terra eadem patrum, feudum ipsum Regie Curie apertum extitit, illudque Rex idem quondam Calcerando de Villanova suorum intuitu serviorum, eius domicello suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio Regni constitutionibus iuribusque Regie Curie semper salvis, prout in illo continetur, concessit.

Sed ab ipso anno 1402 usque ad annum 1484, per quod tempus fere anni 83 connumerantur, de ipso Nixima feudo nullum alium actum investituramve Regia in Cancellaria repperi heredibus et successoribus dicti Calcerandi de Villanova concessam; immo mihi videtur feudum ipsum illis de Abrucio restitutum fuisse scilicet quod feudum ipsum, ut asseritur, in posse Ysolde uxoris quondam Gulielmo de Abrucio repertum fuit, tamen percipi non potest si hic Gulielmus fuit ille Gulielmus, qui tempore Regis Martini fuit maritus prelibate Marie ut predicatur. Que Ysolda, cum consensu Nicolay filii sui, de pseudo ipso quondam Pino de Abrucio eius nepoti, filio quondam Mathei de Abrucio olim filii primogeniti dicte Ysolde, publico contractu mediante, acto manu notharii Stefani Bellavista XII^o Marcii XI^o Inditionis 1407, donacionem fecit: qui Pinus pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, quatenus donacio ipsa legitime rite et recte processit, sub consueto militari servicio a tunc Regni prorege investituram, XX^o Marcii XI^o Inditionis 1417, obtinuit.

Mortuo deinde dicto Pino de Abrucio, sibi in dicto feudo successit Antonius de Abrucio eius filius, qui cum inserto tenore dicti contractus donacionis et investiture predicte pro se suisque he-

redibus predictis, iure Francorum, de feudo ipso, Regie Curie iuribus Regni constitutionibus et antiquis regalijs semper salvis, VII^o Iunii prime Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 135 notatam, reportavit.

Deficiente tandem dicto Anthonio de Abrucio, sibi in dicto feudo successit Pinus de Abrucio iunior eius filius, de quo in dicte Regie Cancellarie, libro annorum 1484-1485 in cartis 32, quedam reperitur investiture nota, per quam exponitur ipsum feudum a tunc Regni Presidentibus prefato quondam Pino de Abrucio suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, ob mortem dicti quondam Anthoni de Abrucio illius patris, XVI^o Septembris III^e Inditionis 1484, concessum extitisse prout in illa continetur.

Mortuo demum dicto Pino de Abrucio, sibi in eodem Nixima feudo successit Anthonucius de Abrucio eius filius. Qui pro se suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, de ipso Nixima feudo a don Ugone de Montecatheno Regui moderno Prorege VII^o Marcii XII^e Inditionis 1509 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1508 in cartis 353 notatam, reportavit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Nixima per dictum Anthonucium de Abrucio possidetur, et reddit quolibet anno 07. L.

Nihilominus attendendum est, ut percipiatur quo iure ipsum Nixima feudum ad illos de Abrucio de Calaxibecta pervenit, et quomodo ab heredibus Bernardi de Siniscalco acquiritoris defecit. Preterea videndum est quo iure ipsum feudum, cum semel Regie Curie propter deficientiam heredis masculi et ob homicidii crimen per illos Gulielmum de Abrucio et Mariam iugales, tunc illius ultimi possessores, in personam prefati Henrici de Buxiocta patratum apertum fuerit et devolutum, post annos 83, ut predicatur, ad Pinum et ultimo loco ad Anthonucium de Abrucio devenerit; cum de hoc nullam Regia in Cancellaria scripturam invenerim, minusque reperitur antiquus titulus ipsorum iugalium de Abrucio sive criminis homicidii antedicti remissio et in integrum restitucio. Quibus ex causis, ac propter non captas investituras, ab ipso tempore feudum ipsum dicte Regie Curie apertum extitisset.

Dictus vero dominus Anthonius de Iahen de dicto feudo Fluminis Salsi a don Ioanne de Luna Presidente ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi cepit investituram die VIII^o Ianuarii V^e Inditionis 1517, notatam in libro anni V^e Inditionis 1516 in cartis 342. Qui iuravit reddere 07. CCC

Dictusque Anthonucius de Abrucio, ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis, de dicto feudo Nixime a don Ioanne de Luna Pre-
 side investituram reportavit die VIII^o Ianuarii V^o Inditionis 1517,
 notatam in libro anni V^o Inditionis 1516 in cartis 348. Et Bartho-
 lomeus de Grimaldo eius procurator, tactis scripturis, iuravit feudum
 ipsum reddere 07. L.

Naphitia feudum.

Feudum Naphitia nuncupatum, in valle Nothi et tenimento terre
 Miney ac tenimento casalis Palagonie existens, per quondam Pero-
 ctam de Parisio de eadem terra, de quo non reperitur in Cancellaria
 titulus, possidebatur. Quo exinde contra Serenissimum Regem
 Martinum rebellato, feudum ipsum Regie Curie apertum fuit et de-
 volutum, illudque Rex idem quondam Bernardo de Incarnerio tunc
 clavario maris Regni suisque heredibus eius de corpore legitime de-
 scendentibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, eius
 intuitu servitorum, Regiis antiquis Regaliis Regni constitutionibus
 iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, concessit: sicuti in
 eius Regio privilegio dato Cathanie primo Februarii VI^o Inditio-
 nis 1397, et in Regie Cancellarie libro anni 1398 in cartis 14 no-
 tato, continetur.

Exinde vero, cum idem Bernardus filios non haberet legitimos,
 ab ipso Rege prorogacionem pro dicto feudo in Thomam et Philip-
 pum de Incarnerio fratres, eius nepotes, filios quondam Berengarii
 de Incarnerio illius fratris, eorumque heredes illorum de corpore le-
 gitime descendentes, obtinuit; videlicet, quod casu quo ipsum Ber-
 nardum sine filiis mori contigisset, Philippus de Incarnerio alter ex
 dictis fratribus maior natu, suique heredes eius de corpore legitime
 descendentes, sibi in dicto feudo prius succederent cum clausula tamen:
 Declarantes expresse quod si dictum Bernardum mori contigerit sine
 liberis, succedat in dicto feudo tam ex testamento quam ab intestato
 Thomas predictus, qui est ad presens in dicto Regno; quem Thomam
 si demum quandocumque etiam sine liberis mori contigerit, succedat in
 dicto feudo prefatus Philippus suique heredes de suo corpore legi-
 time descendentes et quodque viverent iure Francorum, sub debito

et consueto militari servicio, Regiis antiquis regalijs iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis: quemadmodum in eius Regio privilegio dato Cathanie XX^o Novembris VIII^o Inditionis 1399, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 79 notato, late patet.

Habeatur relacio ab archivario
Siracusarum de investituris
usque ad presens.

Granarum feudum.

Feudum lu Granaro appellatum, in valle Nothi et territorio Comitatus Adernionis positum, per quondam Anthonium de Sclafano tunc dicti Comitatus comitem antiquitus possidebatur. Qui comes exinde feudum ipsum quondam notario Fortugno de Carioso, tunc Regio Secretario, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub prestacione unius paris calcarium eidem Comiti suisque successoribus in perpetuum solvendorum, herbagiis, venacione, iure dohane sue comitali Curie reservatis, suo cum patenti comitali scripto, dato Cathanie VI Augusti V^o Inditionis 1397, concessit. Quam concessionem Serenissimus Rex Martinus eidem Fortugno de Carioso suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus ut supra, sine tamen preiudicio militaris servicii dicti comitatus Regie Curie debiti et consueti, acceptavit et confirmavit ac de novo concessit cum clausula scilicet: Supplentes ex nostra uberiori gracia omnem sollempnitatem iuris et facti, que in concessione dictarum terrarum omnium premissorum debuisset forsitan racionabiliter observari. Volentes dictam donacionem eam vim obtinere, ac si nos donacionem eandem consensu dicti comitis fecissemus, vel si dictus nobilis comes cum nostro expresso mandato, omnibus sollempnitatibus iuris et facti servatis, donacionem eandem sollempniter peregisset. Ita tamen quod per dictam confirmacionem militare servicium, ad quod tenetur idem comes Anthonius, non intelligatur diminutum sed integrum servi-

cium nostre Curie prestare teneatur etc., prout in eius Regio privilegio dato Cathanie III^o Octobris VIII^o Inditionis 1399, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 149 notato, continetur.

A quoquidem anno 1399 usque ad presens, anno 1513 decurrente, nullum privilegium sive actus aut investitura de dicto feudo invenitur, minusque percipitur in cuius posse existat. Nihilominus de huiusmodi comitali concessione mihi visum est hoc in loco verba facere pro regalis preheminiencie observatione, cum sit necessaria Regia confirmatio cum clausula nove donationis. Et ideo in similibus pro Curie cautela, quando casus evenerit, attendendum est.

Charuba feudum.

Feudum Charuba nuncupatum, in valle Nothi et territorio terre Leontini secus feudum la Favara positum, per quondam Pinum de Schifano, de quo nullus apparet titulus, antiquitus possidebatur. Quo exinde contra Serenissimum Regem Martinum rebellato, feudum ipsum Regie Curie apertum extitit et devolutum, illudque Rex prefatus quondam Henrico Statella militi suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio, concessit.

Sed cum exinde Henricus ipse a quondam Guillelmo Raymundo de Montecatheno, tunc Meliveti marchione rebeli, ipso feudo privatus fuisset et spoliatus, ac per ipsum marchionem quondam Ioanni de Schifano, prenominati Pini de Schifano rebellis ut supra filio, feudum predictum concessum extitisset, et postmodum Ioannes ipse de Schifano rebellionem contra Regem eundem similiter patrasset, partem filiorum dicti Guillelmi Raymundi de Montecatheno in rebellionem tunc defuncti etiam rebellium insequendo, ob quod feudum ipsum iterum Regie Curie extitit devolutum, licet feudum ipsum quondam Ioanni de Taranto legum doctori alias per Regem predictum concessum extitisset, quia illud Ioannes ipse in dicti Regis manibus renunciavit; Rex idem prefato Henrico Statella suisque imperpetuum heredibus eius de corpore legitime descendentibus feudum predictum,

prout et quemadmodum dicti Pinus et Ioannes de Schifano pater et filii eorumque progenitores illud tenebant et possidebant ac tenere poterant et possidere, sub dicto consueto militari servicio, et cum clausula scilicet: Volentes quod in casu quo prefatus Ioannes remissionem aut restitutionem generalem vel specialem in posterum consequeretur a nostra Maiestate, quod ad huiusmodi feudum nullatenus restitutus intelligatur, quam ante primevam rebellionem dicti quondam patris sui fuit iam nostre Curie racionabiliter acquisitum et ipsi militi concessum et nunc confirmatum et de novo reconcessum etc. acceptavit confirmavit et de novo concessit, sicuti in eius Regio privilegio dato Cathanie primo Marcij VI^e Inditionis 1397, et in Regie Cancellarie libro annorum 1396, 1399 in cartis 111 notato, continetur. Et nihilominus per precalendatum Regis Martini privilegium clarissime demonstratur Regem ipsum predictum Charrubam feudum, tamquam rem Regie Curie, ob rebellionem prenominati quondam Pini de Schifano illius primi patroni, devolutam, prefato Henrico Statella suisque heredibus concessisse. Et sic valde miror quare in conclusione dicti Regij privilegij dicatur quod ante rebellionem dicti quondam Pini de Schifano, patris dicti Ioannis, feudum predictum erat iam Regie Curie racionabiliter devolutum et acquisitum, ac dicto Henrico Statella concessum et postmodum confirmatum; et sic in utroque verborum sermone de directo contradictio percipitur, nam feudum ipsum dicto Henrico Statella, ob rebellionem predicti Pini de Schifano, et non ante ipsius Pini primevam rebellionem ut predicatur, concessum fuit. Unde per verba ipsa maxima generatur obreptio et surreptio, et licet illa nimis importare non videantur, tamen ad veritatem denudandam, pro Curie cautela, verba ipsa exponere mihi visum est.

Donnica feudum.

Feudum Donnica nuncupatum, in valle Nothi et territorio terre Bizini existens, per quondam Manfridum de Alagona antiquitus possidebatur, quo tamen iure Regia in Cancellaria non reperitur. Quo Manfrido contra Serenissimum Regem Martinum exinde rebellato, feudum

ipsum Regie Curie apertum fuit et devolutum, illudque Rex idem Ugoni de Sanctapace militi, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, una cum omnibus et singulis bonis quorumcumque rebellium in dicta Bizini terra eiusque territorio existentibus concessit. Quiquidem Ugo de Sanctapace cum de feudo ipso Donnica, ut de illo Rex ipse quondam Ioanni Dartagne terre Butere habitatori concessionem faceret, renunciacionem fecisset, sive illa omnia iura sibi in dicto feudo competentia cessisset; Rex predictus de feudo eodem prefato Ioanni Dartagne suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum sub consueto militari servicio, renuntiatis prius Regie Curie omnibus et singulis iuribus, sibi forsitan competentibus ex gracia seu graciis sibi vel progenitoribus suis super iuribus cuiusvis Secrecie aut tractarum seu exiturarum Regni portuum et maritimarum per Regem ipsum seu alios Sicilie Reges factis, Regiis antiquis regalijis Regni Constitutionibus iuribusque Curie semper salvis, suo cum Regio privilegio dato Cathanie XXVII^o Iulij VII^o Indictionis 1399, et Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 83 notato, concessit.

Nihilominus perquisito Regie Cancellarie Regni feudorum repertorio, a dicto anno 1399 usque ad annum 1507, per quod tempus anni fere centum et octo connumerantur, nullum actum nullumque privilegium seu investituram de feudo ipso Donnica inveni. Tamen in libro anni 1506, don Ugo de Sanctapace a quondam Ioanne de Paternione Panhormitano Archiepiscopo tunc Regni Preside, tempore quo Reginalis Cammere Regio demanio ob mortem Serenissime donne Elisabeth Regine olim Vestre Regie Celsitudinis prime consortis devolutum fuerat, de ipso feudo Donnica una cum terris Lichodie, Butere, Luchula, turri Falcunarie, Bivario seu pantano Leontini et feudis Lalie, Xtri, Iulfi, Raguleti, Mangalaniti et Marineo, ob mortem quondam Poncij de Sanctapace eiusdem Ugonis nepotis sine filiis decedentis, investituram in Regie Cancellarie libro dicti anni 1507, in cartis 482 notatam, reportavit.

Mortuo deinde dicto don Ugone de Sanctapace, sibi in eodem Donnica feudo et alijs predictis successit don Poncius de Sanctapace eius filius. Qui de nonnullis ipsorum feudorum in dicta Reginali Camera coram illius gubernatore pro serenissima donna Germana Regina, in presentiarum vestri Regii Culminis uxore, se investivit. Et in presentiarum, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Donnica per dictum don Poncium de Sanctapace possidetur, et anno quolibet reddit 07. . . .

Nihilominus est diligenter attendendum quo iure feudum pre-

dictum Donnica ad istos de Sanctapace reductum fuerit, cum semel, ob renunciacionem de illo in Regis Martini manibus factam per prefatum Ugonem de Sancta pace illius primum acquirentem, appareat fuisse postmodum per dictum Regem Martinum prelibato Ioanni Dartegne et suis heredibus ut supra iure Francorum concessum, et a dicto Ugone de Sanctapace seniore primo acquirentem penitus defecisse. Ed ideo, actencto quod per annos fere centum et octo Regia in Cancellaria nullus reperitur de ipso feudo actus sive investitura, ob quod ratio dari non potest quomodo ad ipsos de Sanctapace devenit, dictus possidens ad edendum quo iure feudum ipsum possideat compelli posset.

Chiminellu, Lamia feuda.

Feuda Chiminellu et Lamia nuncupata in valle Nothi et in territoriis videlicet: Chiminellu in tenimento terre Bizini, feudum vero Lamia in tenimento terre Mineij existencia, modo infrascripto ac per infrascriptas personas possessa fuere scilicet: quod feudum Chiminellu per quondam notarium Iacobum di lu Bucheri de eadem Bizini terra antiquitus delinebatur; quo tamen iure non invenitur. Ipsoque exinde contra Serenissimum Regem Martinum nephariam exercente rebellionem et in eadem defuncto, feudum ipsum Regie Curie apertum fuit et devolutum; idque rex idem quondam Petro de notario Raynerio filio quondam iudicis Ioannis de notario Raynerio, intuitu servitorum per dictum quondam iudicem Ioannem ipsi Regi impensorum, concessit: que concessio Regia in Cancellaria non reperitur.

Deinde autem rex Martinus antedictus prefato Petro de notario Raynerio et suis heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio ac cum clausulis condicionibus et retentionibus in feudorum donationibus apponi assuetis, cum sui sacri consilii deliberacione ipsam Regiam concessionem suo cum Regio privilegio dato Cathanie XVIII^o Iunii VII^o Inditionis 1399, et in Regie Cancellarie libro anni 1388, 1392 in cartis 246 notato, acceptavit et confirmavit ac de novo concessit.

A quoquidem anno 1399 usque ad presens, anno 1513 decurrente, Regie Cancellarie codicibus diligenter recognitis, nullum alium de ipso feudo Chiminellu actum privilegium seu investituram inveni; et sic ratio dari non potest in cuius posse reperiatur, vel si illius modernus possessor recta linea in eo et iuridice successerit, et sub qua forma et titulo possideatur. Sed cum feudum ipsum Chiminellu in ipsius terre Bizini territorio ut predicatur reperiatur, que terra una cum nonnullis aliis sub Reginali iurisdictione in Cammera detinetur, possibile esset illius possessores ipsa in Reginali Camera se investivisse, a qua oporteret premissorum noticiam pro Curie cautela haberi.

Feudum Lamia.

Feudum vero Lamia per illos de Lamia cognominatos antiquis temporibus possidebatur. Sed patrata per quondam Gulielmum Raymondum de Montecatheno Meliveti marchionem contra Serenissimum Regem Martinum rebellionem, ob quam maxima Regni pars a Regia deviare non potest et signanter terre Leontini et Minei, Rex predictus prefato iudici Ioanni de notario Raynerio ac Petro de Montemagno de eadem Minei terra illorumque heredibus imperpetuum, intuitu servitorum sibi per eos in eiusdem terre Minei per proditores et rebelles occupate reductione ad Regium dominium prestitorum, omnia et singula bona feudalia et burgensatica per predictos de Lamia in ipsa Minei terra eiusque territorio possessa, ac omnes terras Regie Curie in eiusdem terre tenimento positas, quas quondam Ioannes de Lobera ex ipsius Regis concessione ad eius vite decursum tenebat et possidebat, habitis prius pro cassis et nullis omnibus et singulis donacionibus concessionibus et graciis de bonis eisdem quibuscumque personis per Sicilie Reges quomodolibet forte factis, licet ex nunc in Magna Regia Curia notarius Philippus de Viperano officii magistri rationalatus Regni magister notarius comparuisset seque donacione huiusmodi opposuisset, asserens illam in eius manifestum preiudicium factam fuisse, feudumque Lamie predictum vigore donacionis sibi per Regem ipsum de eo facte ad illum legitime spectare et pertinere, concessit et donavit, et signanter cum idem nota-

rius Philippus dicto Iudici Ioanni de notario Raynerio et suis heredibus omnia iura sibi eodem in feudo contigentia puplico mediante iurium cessionis instrumento, manu notarii Laurencii de Notho Cathanie celebrato, sponte renunciaverit; que Regia donacio et concessio in Cancellaria non reperitur.

Mortuo exinde dicto Petro de Montemagno, prefatus iudex Ioannes de notario Raynerio et Matheus de Montemagno filius et legitimus heres predicti Petri de Montemagno ab ipsomet Rege Martino ac sui sacri Regij consilii deliberacione, pro eis eorumque heredibus ipsorum de corpore legitime descendentibus, de omnibus et singulis bonis feudalibus et burgensaticis per prefatos de Lamia in ipsa Minei terra eiusque territorio possessa, nec non de omnibus Regie Curie terris quas ab ipsa Regia Curia dictus Ioannes de Lobera ad eius vite decursum habuerat videlicet: burgensaticis absque alicuius prestacione servicij feudalibus vero sive feudis sub consueto militari servicio, acceptacionem ratificacionem et de novo donacionem reportarunt cum clausulis conditionibus et retentionibus in feudorum donationibus apponi assuetis; ac non obstantibus quibuscumque donacionibus de dictis bonis aut aliqua eorum parte quibusvis personis quomodolibet forte factis et signanter dicto notario Philippo de Viperano, actencta renunciacione per ipsum notarium Philippum eis ut predicatur facta, quas donaciones Rex ipse de eius certa Regia scientia legibus non submissa cassavit et annullavit. Ita quod in iudicio vel extra nullam obtinerent roboris firmitatem sed pro cassis et nullis haberentur et impetitoribus contra eosdem super dictis bonis aut aliqua illorum parte quandocumque et quomodocumque iudiciorum limina penitus precluderentur, cum clausulis etiam quod si dictum iudicem Ioannem de notario Raynerio absque filiis et heredibus legitimis mori contigisset, in bonis predictis dictus Matheus de Montemagno filius prenominati Petri de Montemagno succederet. Et si dictum Matheum de Montemagno sine filiis mori accidisset, illi eisdem in bonis ipse iudex Ioannes eiusque filii et heredes succederent, sicuti in eius precalendato Regio privilegio dato Cathanie XVIII^o Iunii VII^e Inditionis 1399, et in dicto Regie Cancellarie libro anni 1398 in cartis 246 notato, premissa et alia diffusius exarantur.

Deinde autem quondam Ioannes de Taranto eidem Regi Martino asserens, quod dictus notarius Ioannes de notario Raynerio et Damma de Montemagno mulier ipsum Lamie feudum totum et integrum cum suis iuribus et pertinencijs universis, nec non quoddam aliud feudum quod olim fuerat Ioannis de Lobera, consistens in diversis terrarum tenementis sitis et positis in territorio dicte terre

Minei ipsi Ioanni de Taranto et suis heredibus et successoribus vendiderant, nec non cum eodem Ioanne de Taranto quinque partes de sex partibus omnium bonorum burgensaticorum illorum de Lamia in eadem Minei terra eiusque territorio existencia vigore contractuum permutarant, Ioannes ipse de Taranto pro se suisque heredibus et successoribus de ipsis donacionibus et permutacionibus ab ipso Rege Martino cum omnium Regie Curie iurium translatione ac cum clausula et secundum redditus et proventus dictorum bonorum feudaliū nostre Curie servire teneantur, iuxta usum et consuetudinem dicti nostri Regni fidelitate nostra et iuribus alterius semper salvis etc. acceptacionem ratificacionem et de novo donacionem obtinuit; quemadmodum in eius Regio privilegio dato Cathanie primo maii VIII^o Inditionis 1400, et in Regie Cancellarie libro anni 1399 in cartis 173 notato, continetur.

Et nihilominus eodem in privilegio non exponitur precium pro quo ipsum Lamie feudum venditum extitit, unde est recte attendendum quo iure feudum ipsum Lamie ac bona, ut predicatur, vendita et permutata ad dictam Dammam de Montemagno devenerint; et si legitime in illis tamquam legitime descendens a prenominato Petro de Montemagno primo acquiretore cum dicto iudice Ioanne successit cum dictus Petrus de Montemagno Matheum de Montemagno prelibatum ut predicatur habuerit filium. Qui Matheus una cum dicto iudice Ioanne de bonis ipsis confirmacionem ut pretangitur reportavit. Preterea considerandum est quod ipsum Lamie feudum et bona dictis primis acquiretoribus pro se eorumque heredibus illorum de corpore legitime descendentibus concessa fuere. Et nihilominus dictus notarius Ioannes de notario Raynerio ac prefata Damma de Montemagno bona ipsa prefato Ioanni de Taranto et suis heredibus et successoribus contra formam tituli vendiderunt.

Sed cum de ipso Lamie feudo a dicto anno 1400 usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, nullum aliud privilegium sive investitura reperiatur, ratio dari non potest in cuius posse existat; verum quia in dicta Reginali Camera consitum est cum dicto Chiminelli feudo pari passu deambulat.

Graneri feudum.

Feudum Graneri nuncupatum in valle Nothi positum per Rogerium Sclarium militem, de quo nullus in Regia Cancellaria titulus apparet, antiquitus possidebatur. Tandem Serenissimo Rege Federico regnante de feudo ipso Graneri prelibatus Rogerius monasterio et conventui sancti Nicholai de Harenis apud Cathaniam in monte Ethneo consito donacionem fecit. Quam donacionem quatenus iuste rite et rationaliter facta est predicto conventui Rex predictus acceptavit et confirmavit feudumque ipsum a militari servicio Regie Curie prestando, non obstantibus Constitutionibus et Capitulis Serenissimi Regis Iacobi aliorumque Sicilie Regum in contrarium disponentibus, et illis precipue quam feudorum alienaciones in ecclesias et ecclesiasticas personas prohibent, exemit exemptumque et immunem fecit. Itaque si ipso in feudo et eius pertinencijs et territorio aliqui essent barones et feudatarii, qui pro baronjjs et feudis eorum Regie Curie in capite servire tenerentur eidem Curie proinde servire penitus obnoxii essent eorumque iura bona et possessiones per eos in pertinencijs dicti feudi concessas prout illis concessae fuerunt possiderent, antiquis tamen Regijs regaljjs reservari assuetis semper salvis, sicuti in ipsius Regis Federici privilegio dato Cathanie VII^o Iulij III^e Indictionis 1365 continetur, in quo ipsius donacionis instrumentum insertum est. Tamen privilegium ipsum in Cancellaria registratum non apparet, verum demonstratur per notarium Ioannem de Grecucio Cathaniensi fuisse in publicam formam redactum, ipsumque feudum a longissimis temporibus citra predictum sancti Nicholai monasterium, prefate confirmacionis vigore, tenuit et possedit.

Postmodum autem monasterium predictum sive conventus feudum li Graneri precontentum quondam Francisco de Paternione Cathaniensi pro certo precio vendidit. Qui Franciscus pro se suisque heredibus sub consueto militari servicio de feudo predicto Graneri a tunc Panhormitano Archiepiscopo Regni Preside VI^o Februarii II^e Indictionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 845 notatam, reportavit cum insertione privilegij et donacionis.

Mortuo deinde dicto Francisco de Paternione, sibi in dicto Graneri feudo successit Petrus de Paternione eius filius. Qui tam eius nomine quam procuratorio Leonecte uxoris predicti quondam Francisci illius proprio et tutricio nomine filiorum minorum suorum Anthonij scilicet et Therij de Paternione a tunc Regni Prorege investituram obtinuit. Qua in investitura exponitur feudum predictum tanquam à militari servicio Regie Curie, vigore privilegii antedicti per prelibatum Regem Federicum prenominato monasterio sancti Nicholay de Harenis concessi, exemptum per ipsos de Paternione possideri; prout in ipsa investitura data Panhormi XII^o Octobris V^o Inditionis 1471, et in Regie Cancellarie libro anni 1470, in cartis 88 notata, late patet.

Defuncto demum dicto Petro de Paternione, iam sunt tempora et anni, feudum ipsum Graneri in posse de quo Regia in Cancellaria non reperitur investitura devenit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Graneri in posse . . . invenitur, quod anno quolibet reddit. 07.

Notissimum est Serenissimum Regem Federicum ad dive Virginis Marie domini nostri Iesu Christi gloriosissime et intemerate Matris laudem et honorem, sua cum Regia confirmacione, donacionis feudi eiusdem per predictum Rogerium Scolariū ipsi monasterio Sancti Nicholay de Harenis facte, feudum ipsum a militari servicio exemisse et liberasse non tamen cum facultate vendendi illud cum eadem militaris servicii exemptione; et hac de causa per investituram per prelibatum Franciscum de Paternione emptorem feudi ipsius a dicto Archiepiscopo Panhormitano Regni Preside de eodem feudo obtentam, cum inserto tenore dicti privilegii Regis Federici, Franciscus ipse ad debitum et consuetum militare servicium se obligavit. Qua propter mirari contingit quare tunc Regni Prorex, qui pro Serenissimo Rege Ioanne vestri Regii culminis genitore Regno preerat, prenominato Petro de Paternione prefati Francisci filio et socijs investituram dicti feudi cum exemptione dicti militaris Regii servicij in tam grande Regii demanij preiudicium et lesionem concesserit. Nihilominus qui talem habere curavit investituram in penam incidisse non dubium est, cum veritatem non expressisset dictum militare servicium occultando: et sic istos de Paternione pro dicto Graneri feudo ad ipsum Regium militare servicium obligatos esse non dubium est. Quod feudum pro Regie Curie comodo esset propterea in novo rollo conficiendo apponendum.

Pigadachi, Bandachinu, Chilomu alias Xirumi feuda.

Feuda Pigadachi Randachino et Chilomo, in valle Nothi et tenimento terre Leontini existencia, per quondam Henricum Rubeum Senioremem Aydoni comitatus Comitem, de quo in Cancellaria titulus non apparet aliquis, antiquitus possidebatur; cujus obitu successit illiusque heres dictus est comes Henricus Rubeus iunior ejus filius. Qui tempore Serenissimi Regis Martini tamquam heres et ipsorum feudorum possessor quo supra nomine, per Comitissam Beatricem ejus sororem tunc uxorem Comitis Thome de Spatafora, pro ejus dote de paragio, inquietatus fuit et molestatus. Commissa tandem per dictum Regem Martinum causa quibusdam delegatis iudicibus ac promulgata per iudices ipsos sententia, dictus comes Henricus Rubeus iunior ad dandum et assignandum ratione dicte dotis et pro dote de paragio eidem comitisse Beatrici sextam partem omnium bonorum iurium et actionum hereditariorum quondam Henrici Russi militis patris comitis Russi ac ipsius comitis Russi, proventorum vigore testamentorum eorum dicto quondam comiti Henrico Rubeo seniori patri ipsorum comitis Henrici Rubei iunioris et comitisse Beatricis attricis et conventi, cujus dictus conventus dicebatur heres, condemnatus fuit: ob quod idem comes Henricus Rubeus iunior conventus agnoscens se eidem comitisse Beatrici eius sorori, ratione dotis ipsius de paragio vigore dicte sentencie inter alia ad cessionem omnium iurium et actionum competencium dicto quondam comiti Henrico Rubeo seniori, vigore testamentorum quondam Henrici Russi militis patris dicti comitis Russi et ipsius Comitis Russi patris predicti comitis Henrici Rubei senioris genitoris eiusdem Henrici Rubei iunioris et comitisse Beatricis, et ad eum spectancium tamquam filium et successorem in eisdem iuribus et actionibus contra Mianum Russum detentorem bonorum et iurium ipsorum tam feudaliu[m] quam burgensaticorum et signanter dictorum feudorum Pagadachi Randachino et Chilomo teneri, eidem comitisse Beatrici pro sexta parte ipsorum bonorum omnia iura omnesque actiones sibi contra dictum Mianum Russo suosque heredes et successores ex causis predictis competencia et competentes cessit et tradidit, reservato tamen eidem comitisse Beatrici omni iure quod super

omnibus aliis bonis contra quascumque personas haberet iuxta ipsius sententie tenorem; quemadmodum de ipsa iurium cessione tenore cuiusdam puplici contractus XXVII^o Septembris X^e Indictionis 1401, manu notarii Anthonii Scamacca celebrati, clare liquet. Quem contractum iuriumque cessionem dicte sexte partis in dictis tribus feudis et alijs bonis tam feudalibus quam burgensaticis, tunc per dictum Mianum Russum possessis, eidem comitisse Beatrici suisque heredibus, Serenissimus Rex Martinus eius cum Regio privilegio dato Cathanie II^o Novembris X^e Indictionis 1401, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 3 registrato, iuribus Curie et alterius ac dicti Damiani semper salvis, ratificavit et confirmavit.

In Regie Cancellarie autem libro anni 1416, in cartis 77, quedam reperitur investiture nota a tunc proregibus concessa, per quam apparet Damianum Rubeum pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum sub consueto militari servicio, de duobus ex dictis feudis, scilicet de Pigadachi et Randachino sub nomine unius feudi, et non duorum prout semper fuerant et sunt, XXVII^o Ianuarij X^e Indictionis 1416 tamquam filium et heredem quondam Riccardi Rubei eius patris se investivisse, cum asseruisset dicta duo feuda sub nomine unius feudi diu possedisse, iurassetque in ipsorum Proregum manibus ob bellorum turbines privilegium dicti feudi amisisse.

Stante exinde dicta Leontini terra sub Reginalis Camere iurisdictione, dictus Damianus Russu eius cum testamento de ipsis duobus feudis in Aloysium de Barresio militem et Ioannem de Barresio tunc pupillum fratres, filios quondam Anthonii de Barresio, disposuit; prout in ipso testamento manu notarii Nicolai de Francavilla Cathaniensis celebrato continetur. Cujus virtute predicti Aloysius et Ioannes de Barresio, prestito prius per eos iuramento et homagio debite fidelitatis observande cum solutione iuris relevi in posse Locumtenentis dicte Reginalis Camere, Reginali nomine ab ipso locumtenenti qui Anthonius de Bellomo appellabatur, de dicto capitulo testamenti et institutionis pro se eorumque imperpetuum heredibus et successoribus acceptacionem et investituram ac confirmacionem reportarunt; sicuti in ipsius Locumtenentis provisione data Siracensis II^o Augusti XIII^o Indictionis 1436 continetur. Ipsamque provisionem Serenissimus Rex Alfonsus eisdem Aloysio et Ioanni de Barresio et utriusque ipsorum heredibus et successoribus, ac quibus voluissent, perpetuo sua cum Regia provisione data Caiete VII^o Iunii prime Indictionis 1438 acceptavit et confirmavit. Que Regia provisio in predicti anni registro Regia in Cancellaria reposito

non reperitur. Verum in publicum transumptum manu Notharii Anthonii de Apreha Panhormite XV^o Maij prime Indictionis 1453 redacta invenitur. Viventibus nichilominus eisdem Aloysio et Ioanne de Barresio ipsa duo feuda Pagadachi et Randachino in eorum posse permanserunt. Quibus exinde defunctis, in eisdem feudis illis successit Blascus de Baresio ipsorum frater cui eiusque heredibus, iuxta formam dicti sui privilegii, Serenissimus Rex Alfonsus feuda ipsa, sub consueto militari servicio Regiis antiquis Regalijs Regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, suo cum Regio privilegio dato Neapoli XI^o Augusti prime Inditionis 1453 accepit et confirmavit. De quo Regio privilegio a quondam Simone Archiepiscopo Panhormitano, tunc Regni Preside, debita executoria, data Panormi VI^o Februarii II^e Inditionis 1453 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 705 notata, emanavit. Ipseque Blascus de Baresio infra terminum per dictum Regem Alfonsum sibi prefixum cum dicto Regio privilegio iuramentum et homagium prestitit.

A quoquidem anno 1453 usque ad presens, anno 1513 decurrente. ipsa in Cancellaria de ipsis duobus feudis nullus reperitur actus sive investitura; tamen presumendum est investituras ipsas per successores predicti Blasci de Barresio in Reginali Camera predicta fuisse captas, de quibus in presentiarum informacionem habere nequivi. Tamen quando de feudis in ipsa Reginali Camera existentibus pertractabatur, Vestra C. Maiestas de illorum possessoribus ac possessorum ipsorum recta et legitima linea iuxta formam tituli feudorum predictorum claram habebit noticiam et informacionem.

Chilomu feudum.

De feudo autem Chilomo, a tempore primi tituli superius annotati citra, nulla dari potest ratio. Nam perquisitis Regie Cancellarie codicibus, ab ipso prelibato tempore quo Serenissimus Rex Martinus regnabat usque ad dictum presentem annum 1513, nullum alium actum sive investituram de ipso feudo inveni; unde dicendum est

illud fuisse et esse occupatum et propterea Regiam Curiam suas regalias ius relevi militare servitium aliaque iura deperdidisse; quo casu eidem Regie Curie feudum ipsum Chilomo esset merito devolutum.

Ipsa vero tria feuda, ut percepi, anno quolibet reddunt. 07...

Nihilominus attendendum est prenominatos de Rubeo a quondam Comite Henrico Rubeo seniore Comite Aidoni, patre Comitum Henrici Rubei Iunioris et Comitisse Beatricis Spatafora fratris et sororis, descendisse: qui frater et soror in dictis feudis prelibati comitis Henrici Rubei senioris heredes dicti sunt. Qui comes Henricus Rubeus senior, ut pluries hoc in volumine dictum est, fuit rebellis et in ipsa rebellione defecit; ob quod cuncta illius bona Regie Curie fuere devoluta, exclusis filiis agnatis cognatis affinibus et aliis quibuscumque consanguineis. Quo casu videndum est pro Curie cautela quo jure dictus Comes Henricus Rubeus iunior et comitissa Beatrix illius filii, mortuo dicto Comite Henrico Rubeo seniore in ipsa rebellione ut supra, nec non prefatus Riccardus Russus et Damianus Russus pater et filius post dictam patratam rebellionem, in predictis tribus feudis Pigadachi, Randachino et Chilomo de iure et de facto succedere potuerunt, cum feuda ipsa una cum aliis bonis dicti Comitum Henrici Rubei senioris rebellis fuissent Regie Curie, ut predicatur, devoluta. Et licet in illis succedere potuissent, videndum est quo iure dictus Damianus Russus feuda predicta prenominatis Aloysio et Ioanni de Barresio, de quibus nulla fit mentio quod de recta linea primi acquiritoris ipsorum feudorum venerint, legare potuit et donare. Et ideo possidens ad edendum antiqua privilegia et titulos ipsorum feudorum ad veritatem inspiciendam cogi posset.

Cumque Regie Cancellarie codices melius perquisivissem, ne pheudum Chilomo nomine corrupto Xiruni feudum fuisset dubitavi. Nihilominus, presupposito quod dictum Chilomi feudum sit feudum Xiruni, dico quod feudum ipsum per quondam Henricum Rubeum Aydoni Comitem, qui rebellis fuit et in rebellione defunctus, antiquitus possidebatur. Deinde feudum predictum ad quondam Henricum Rubeum iuniorem, dicti Henrici comitis senioris filium, et postremo ad prefatam comitissam Beatricem ipsius Comitum Henrici iunioris sororem pro dote sua de paragio ut predicatur pervenit. Demum autem feudum antedictum quondam Damiano Rubeo cessit; qui Damianus, cum tunc Regni Proregibus exposuisset quondam Riccardum Rubeum ejus patrem suosque progenitores feudum ipsum tenuisse et possedisse et ob bellorum turbines privilegia et scripturas dicti feudi deperdidisse, Vicereges ipsi eidem Damiano Rubeo suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus,

iure Francorum sub consueto militari servicio, de feudo predicto investituram, data Cathanie in anno 1416 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 144 notatam, concesserunt.

Tandem feudum predictum in posse Gulielmo Rubei, de quo nullus apparet titulus neque investitura, pervenit. Qui illud quondam Adde de Asmundo legum doctori eius sororio pro certo precio carta gracie reddimendi mediante vendidit. Qui Adam de feudo ipso tunc Regni Prorege iuramentum et homagium fidelitatis in forma solita, in libro anni 1444 in cartis 26 notatum, prestitit.

Mortuo denique dicto Adde de Asmundo, feudum ipsum, ut percepi, ad illos de Rubeo reversum fuit, tamen quo iure nullus apparet actus neque scriptura a dicto anno 1444 usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente; tamen in libro dicte Regie Cancellarie anni 1507 in cartis 680 quedam reperitur investiture nota, que Ieronimo Rubeo suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure Francorum, ob mortem quondam Henrici Rubei baronis terre Cerami et Militelli vallis nemorum eius patris, concessa fuit.

In presentiarum autem, dicto anno 1513 decurrente, feudum ipsum Xiriuni per dictum Ieronimum Rubeum possidetur, quod feudum anno quolibet reddit 07....

Unde pro Curie cautela videndum est, an ipsum Xiriuni feudum sit illud feudum quod antiquitus Chilomu nuncupabatur. Et nihilo minus illius possessor edere teneretur quo iure ad eius manus pervenerit, ac actendatur quod feudum predictum per ipsum Comitem Henricum Rubeum seniore possidebatur. Quodque ob illius rebellionem sacro Regio Demanio devolutum extitit, et tam de eo nulla apparet remissio et in integrum restitucio. Preterea est videndum quo iure feudum ipsum defecerit a dicto Adde de Asmundo et ad eodem de Rubeo pervenerit.

Rachalmisuri feudum.

Feudum Rachalmisuri vulgo appellatum, in valle Nothi et territorio terre Placee consitum, per quondam Raymundum Manganelum de terra eadem, de quo titulus non apparet aliquis, antiquitus

possidebatur. Qui exinde, prout asseruit licencia Regia preeunte, feudum ipsum quondam Pascali Suriano Cathalano, tunc terre eiusdem habitatori, suisque in perpetuum heredibus sub consueto militari servicio pro precio unciarum LXX, puplico mediante instrumento manu notarii Bernardi de Columba XXVIII^o Ianuarii VIII^e Inditionis 1400 celebrato, vendidit; quem vendicionis contractum Serenissimus Rex Martinus eidem Pascali Suriano suisque heredibus et successoribus, iuribus Curie et alterius servicijsque eiusdem Curie semper salvis, eius cum Regio privilegio dato Leocate XX^o Marcij VIII^e Inditionis 1400, et in Regie Cancellarie libro anni 1401 in cartis 68 notato, acceptavit et confirmavit.

In anno autem 1423, constante matrimonio inter eundem Pascalem Surianum et Flordelisiam iugales celebrato, Pascalis ipse ex quadam muliere Cesarea nuncupata duos cum procreasset filios, Ioannem scilicet et Anthonium, ac ex aliqua quadam muliere nomine Contissa aliam generasset filiam Madalenam nuncupatam; idem Pascalis postmodum mortuus fuisset eiusque cum testamento notarium Guillelmum de Iuliano, notarium Iacobum de Leta, notarium Federicum de Imperatore, notarium Dionisium de Parisio et Andream Matrachia de terra Castri Ioannis super omnibus bonis suis mobilibus et stabilibus et signanter super dicto feudo Rachalmisuri, quod dictus Pascalis eius vita durante virtute dicti privilegii confirmacionis vendicionis predictae ut predicatur tenuerat et possiderat, suos instituisset universales heredes, heredes ipsi predictam adeuntes hereditatem bona ipsa hereditaria tenuerunt et possiderunt. Quibus heredibus hereditatem predictam tenentibus et possidentibus, cum fiscus Regius sive Regii fisci procurator pretenderet hereditatem predictam ad Regiam Curiam spectare, ex eo quia prefatus Pascalis dictos quinque heredes gravasset per tacitum fidei commissum, ut proinde eadem hereditaria bona heredes ipsi prefatis eius filiis dare debuissent, heredes eosdem ad Magne Regie Curie licteras, super petitione omnium ipsius Pascalis bonorum post eius mortem remanentium et signanter dicti feudi, citare fecit. Contra quos eadem in Magna Regia Curia fisci procurator ipse quoddam presentavit interrogatorium; super quo duo ex ipsis heredibus suas cum dedissent interrogationes, et per illas de ipsius Regii fisci intencione non constitisset, et ex adverso per ipsos heredes allegatum fuisset se simpliciter, sine aliquo tacito fidei commissio, per dictum Pascalem illius cum testamento heredes institutos extitisse, ac per prefatum fisci procuratorem ex alio capite pretensum fuisset, quod cum omnes ipsi heredes sive illorum maior pars per tacitum fidei commissum gravati fuissent, quia dicta bona hereditaria

ipsis filiis spuriis restituere debebant; tamen heredes ipsi (licet allegata per nos essent quod Regius fiscus suam non potuisset probare intencionem, quia eorum intencionis et propositi fuerat et erat dicta hereditaria bona eisdem filiis dicti quondam Pascalis dare et traddere ac nihil de ipsa hereditate penes se retinere, quod non potuissent heredes predicti tute agere, ne forte prefatus fisci procurator ad ipsa bona suas iniceret manus, et ab ipsorum filiorum spuriorum posse bona ipsa et signanter dictum feudum caperentur, quia spurii erant ut supra, nisi Regni prorex Regio nomine ad hoc consensum tribuisset) ad bonum ipsorum heredum animadvertentes, viceregia mediante licencia, cum dicto fisci Regii procuratore ad quandam concordiam et conventionem sive compositionem devenerunt, scilicet: quod ipsi heredes dare promiserunt, ac Regie Curie uncias LXX dederunt et assignarunt, dummodo omnes questiones seu demande tunc propositae, seu in futurum proponende per ipsum Regium fiscum contra eosdem heredes seu dictos filios spurios prefati Pascalis, super petitione predictorum honorum hereditariorum seu quote partis illorum et maxime super dicto feudo, licet fuissent bona feudalia et burgensatica, per ipsum Pascalem dictis filiis suis spuriis per tacitum fidei commissum dimissa, cessarent, et heredes ipsi dicta hereditaria bona eisdem filiis spuriis dare traddere et assignare possent et valerent, ac precipue dictum feudum Rachalmasuri filio majori dicti Pascalis, qui si deficeret feudum ipsum ad alios ipsius Pascalis filios predictos eorumque filios eorum de corpore legitime descendentes (*sic*). Et sic huiusmodi transactionis et compositionis pretextu Regia Curia ipsa, sive dictus fisci Regii procurator de viceregio mandato et licencia premissa, omnia et singula dictis heredibus et filiis eiusdem concessit, videlicet: quod heredes predicti ipsis filiis bona prefata et signanter dictum feudum prelibato filio maiori dare valerent, qui maior filius si deficeret, ad alios filios et eorum filiorum filios deveniret. Et ex nunc in antea contra dictos heredes seu filios spurios super petitione dictorum honorum hereditariorum et maxime super eodem feudo omnes questiones et demande cessarent, sive bona ipsa feudalia fuissent sive burgensatica, et eisdem filiis spuriis per tacitum fidei commissum dimissa sive non. Quamquidem compositionem et conventionem quondam Nicholaus de Speciali tunc Regni Prorex eisdem filiis spuriis illorumque heredibus ipsorum de corpore legitime descendentibus, iure Francorum sub consueto militari servicio regiis antiquis regalijs Regni Constitutionibus iuribusque Curie et alterius semper salvis, acceptavit et confirmavit, ipsosque filios spurios habilitavit et legitimavit et ad predicta obti-

nenda habiles et capaces ac si de legitimo matrimonio procreati essent reddidit; sicuti in eius viceregio privilegio, dato Panhormi X^o Augusti 1423 et in Regie Cancellarie libro anni 1422 in cartis 447 notato, continetur.

A quo quidem anno 1423 usque ad annum 1479, per quod tempus anni fere 56 connumerantur, Regie Cancellarie codicibus diligenter recognitis, nullum alium de ipso feudo Rachalmisuri actum sive investituram inveni. Verum in libro dicti anni 1479 in cartis 192 quedam reperitur investiture nota per tunc Proregem concessa, per quam demonstratur Andream Surianum, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus iure Francorum, ob mortem Serenissimi Regis Ioannis Vestre C. Maiestatis genitoris et felicissimam vestri Regii culminis successionem, de ipso feudo se investivisse. Tamen in illa non exprimitur quo iure in feudo ipso successerit; et sic ratio dari non potest in cuius posse ad presens existat cum de illo nullam invenerim aliam scripturam; quod feudum anno quolibet reddit 07. XXV.

Nihilominus videndum est, an dictus Prorex absque regio consensu et mandato filios spurios prefati Pascalis Suriani ad prenotatam compositionem unciarum LXX admictere, illosque ad dicti feudi successionem legitimare et habiles ac capaces reddere potuerit, actenta tam grande collusionione et fraude Regie Curie per testamentariam dispositionem eiusdem Pascalis prelibatis quinque personis extraneis factam illata, que quinque persone per tacitum fidei commissum dicti sunt gravati. Que quidem testamentaria dispositio prout clarissime demonstratur ad dictum effectum, ut dicti filii spurii prelibati Pascalis tunc coniugati in damnato coytu procreati in dicto feudo succedere possent, facta extitit. Nam non natis ex dicto Pascali primo feudi ipsius acquiretore filiis, Regia Curia eodem in feudo iuxta Regni capitula succedere poterat et debebat, minusque reor Regni Proregem absque Regia licencia dictos filios spurios ad compositionem predictam unciarum LXX pro dicto feudo admictere illosque, ut predictur, legitimare potuisse. Tamen ad iuris dispositionem me remicto. Videatur ergo quid iuris sit, ac etiam attendatur si satisfactis per Regiam Curiam moderno dicti feudi possessori dictis unciis LXX pro dicta compositione sive precio, quo prius feudum ipsum venditum fuerat, in vim Regie pragmatice POST BELLA Regia Curia ipsa feudum Rachalmisuri predictum recuperare posset, licet propter non captas investituras ab ipsis filiis spurijis dicti Pascalis, exinde per Proregem ut predictur legitimatis, feudum ipsum Regie Curie apertum et devolutum esset.

In anno vero 1516 Ioannes Pascalis Suriana, baro dicti feudi, de feudo huiusmodi cepit investituram, don Ioanne de Luna Presidente ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis, pro se suisque heredibus de suo corpore legitime descendantibus iure Francorum die XXX^o Decembris V^o Inditionis 1516, notatam in libro Cancellarie dicti anni f.^o 304, et iuravit tactis scripturis reddere tantundem.

Nuchifora, Granvilla feuda

Feudum Nuchifora nuncupatum ac medietas feudi Granvilla appellati, in tenimento terre Bizini positum, per quondam Comitem Henricum Rubeum iuniorem, reliqua vero medietas eiusdem feudi de Granvilla per quemdam Ioannellum de Stulto tunc terre Lichodie habitatorem, de quibus nullus in Cancellaria titulus apparet, antiquitus possidebatur. Tandem dictus Comes Henricus Rubeus dictum feudum Nuchifora ac ipsam suam feudi predicti Granvilla medietatem quondam Nicholao Castagna, tunc Regio Tesaulario, pro se suisque heredibus imperpetuum sub consueto militari servicio Regie Curie prestando, scilicet cum illius onere servicii quod forte Regie Curie deberetur, pro unciis viginti tarenis XX puplico mediante contractu, manu notarii Laurencii de Notho XXI^o Maii VIII^o inditionis 1401 celebrato, vendidit. Quem contractum Serenissimus Rex Martinus dicto Nicholao Castagno suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, aut in illorum defectu uni alteri quem in heredem duxerit statuendum, suisque heredibus illius de corpore legitime descendantibus iure Francorum, et sub illis modo et forma et servicio quibus idem Comes aut sui progenitores dicta feuda possederant, iuribus Curie et alterius semper salvis, eius cum Regio privilegio dato Cathanie XIII^o Septembris XI^o Inditionis 1402, et in Regie Cancellarie libro anni 1401 in cartis 175 notato, acceptavit et confirmavit.

A quoquidem tempore usque ad presens, anno 1513 decurrente, de ipsis feudis nullum aliud privilegium sive investitura Regia in Cancellaria reperitur. Tamen, quia feuda ipsa in Reginali Camera existunt, esse posset quod in Reginali Camere predictae archivo investiture feudorum ipsorum reperirentur, que nullatenus recuperare pos-

sunt, quousque per me Vestre C. Maiestati fuerit semel de omnibus data veridica informacio. Nihilominus quia feuda ipsa pro dictis uncijs viginti semel vendita fuere ut predicatur, mihi persuadeo in vim Regie pragmatice Post BELLA feuda ipsa pro dictis uncijs XX recuperare possent et Regio demanio agregari. Preterea videndum est si feuda ipsa fuerunt quondam Comitis Henrici Rubei senioris, patris dicti quondam Comitis Henrici Rubei iunioris, et si Comes ipse iunior in illis tamquam filius dicti Comitis senioris successerit. Nam cum dictus Comes senior semel rebellis fuerit et in ipsa rebellione defunctus ut pluries hoc in volumine dictum est, merito bona sua omnia tam feudalialia quam alia Regie Curie, exclusis illius agnatis, confiscata fuere; ob quod dictum feudum fuisset Regie Curie devolutum nisi appareret ipsum Comitem seniore a dicta rebellione fuisse remissum et in integrum restitutum; et ideo veritas videatur pro Curie cautela.

Casale Feudum

Feudum Casale appellatum, in valle et maritima tenimenti terre Nothi iuxta feuda Destafeuda di lu Magrantu di li Savini di Bumuscuro di Biliscari et alios confines positum, per Ioannem quondam Bartholomei de Landolina tunc civitatis Calatagirone habitorem, de quo non apparet titulus, antiquis temporibus possidebatur. Qui Ioannes exinde quondam Gulielmo Boyra tunc terre Palacioli habitatori, suisque in perpetuum heredibus et successoribus sub onere Regii consueti militaris servicii, pro unciis ducentis puplico mediante instrumento, XVI^o Februarii XI^e Inditionis 1402 manu notarii Nisii de Melio Cataniensis, vendidit. Quem contractum Serenissimus Rex Martinus cum illius inserto tenore eidem Gulielmo Boyra suisque heredibus eatenus quatenus iuste rite et racionabiliter vendicio ipsa facta extitit, sub consueto militari servicii iure Francorum Regii antiquis regalijs et iuribus Regie Curie semper salvis, eius cum Regio privilegio, dato Cathanie XXVI^o Maij XI^e Inditionis 1403 et in Regie

Cancellarie libro anni 1402 in cartis 64 notato, acceptavit et confirmavit.

Mortuo postmodum dicto Gulielmo Boyra, sibi in dicto Casali feudo successit Actardus Boyra eius filius, de quo nulla reperitur investitura.

Defuncto demum predicto Actardo Boyra, sibi eodem in feudo successit Raynaldus Boyra eius filius. Qui pro se suisque heredibus iure Francorum, sub consueto militari servicio, de ipso Casali feudo a don Lupo Ximenen Durrea tunc Regni Prorege, Regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie semper salvis, XV^o Iulii prime Inditionis 1453 confirmationem et investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 554 notatam, obtinuit.

Deinde autem feudum Casale predictum ad Ioannem Boyra pervenit qui, ut asseritur, quemdam Actardum habuit in filium. Qui Actardus etiam quemdam Nicholaum Boyra habuit filium, hic vero Actardus eidem Ioanni eius patri ac prefato Nicholao eius filio premortuus extitit, tamen de ipsis Ioanne et Actardo patre et filio nulla reperitur in Cancellaria investitura.

Tandem ipsis Ioanne et Actardo Boyra patre et filio defunctis, prefatus Nicholaus Boyra dicti Ioannis nepos et predicti Actardi filius, pro se suisque heredibus iure Francorum, de ipso Casali feudo a Ioanne de Lanuça tunc Regni Prorege penultimo Decembris VII^o Inditionis 1504 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1503 in cartis 253 notatam, reportavit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Casale per predictum Nicholaum Boyra possidetur, quod reddit anno quolibet 07. .

Nihilominus quia feudum predictum lu Casale precio unciarum CC venditum fuit ut predicatur, videndum est, an Regia Curia in vim Regie pragmatice Post BELLA feudum ipsum pro eodem precio revocare posset.

Dictus vero Nicholaus Boyra de dicto feudo lu Casali, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a Don Ioanne de Luna Preside investituram impetravit die XXII^o Ianuarii V^o Inditionis, notata in libro anni 1516 f.º 482, qui iuravit reddere 07. XXX

Chariatu feudum

Feudum Chariatu appellatum, in valle Nothi et tenimento terre Minei positum, per quondam Anthonium de Fonte, de quo titulus non apparet aliquis in Cancellarie, ut asseritur antiquitus possidebatur. Exinde autem feudum predictum Chariatu ad Aloysium de Mantua et Perrellum de Fonte comuniter pro indiviso pervenit, tamen ipsa in Cancellaria non apparet quo iure illis cesserit. Tandem Serenissimo Rege Martino regnante, quondam Martinus de Sulbano Regni Navarre, in cuiusdam concessionis vim sibi per Serenissimam Reginam Blancam antea facte, contra eosdem Aloysium et Perrellum superdicti feudi petitione litem movit. Nihilominus facta inter ipsos conventionione et concordia, et per eum habitis a predictis Aloysio de Mantua et Perrello de Fonte unciis tribus, videlicet, ab eorum utroque, Martinus de Sulbano predictus prefatis Aloysio de Mantua et Perrello de Fonte omnia iura que, vigore dicte Reginalis concessionis in dicto Chariatu feudo tenebat, dedit et cessit. Nihilominus Martinus ipse sibi reservavit, quod si aliqua pars dicti feudi per eosdem Aloysium et Perrellum non possideretur, pars ipsa a dicta iurium cessione excepta et exclusa haberetur; prout in huiusmodi concordie et cessionis, publico instrumento manu notarii Ioannis de Mina Cathaniensis primo Marcij XIII^o Inditionis 1405 celebrato, late patet. Quem contractum dicta Regina Blanca cum illius inserto tenore suo cum reginali privilegio dato Cathanie III^o dicti mensis Marcij acceptavit et confirmavit

Deinde autem Serenissimus Rex Martinus contractum eundem ac Reginale privilegium precontentum suo cum Regio privilegio, dato Cathanie VIII Marcij XIII^o Inditionis 1505 et in Regie Cancellarie libro anni 1406 in cartis 13 notato, eisdem Aloysio de Mantua et Perrello de Fonte, sub consueto militari servicio Regie Curie iuribus semper salvis, acceptavit et confirmavit.

A quoquidem tempore usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, de ipso Chariatu feudo Regia in Cancellaria nullum aliud privilegium sive investituram scripturamve inveni. Sed quia in tenimento terre Minei feudum ipsum consitum est, que terra una ex

terris Reginali Camere submissis habetur, ab archivario ipsius Reginalis camere relacio habenda esset, an forte ipsa in Camera investiture capte essent, pro Curie cautela.

Preterea attendendum est, quod concordia facta inter dictos Aloisium de Mantua, Perrellum de Fonte et Martinum de Sulbano, ut ipsi Aloisius et Perrellus a prefato Martino iurium cessionem antedictam haberent, facta fuit pro uncijs sex, quo casu credendum est feudum ipsum non fuisse maioris valoris. Et ideo videndum est si pro eisdem uncijs sex posset per Regiam Curiam recuperari.

Rapsi, Galteri Baruni feuda

Feuda Rapsi et Galteri, Baruni vulgo nuncupatum, in valle Nothi et tenimentis terrarum Leontini et Chadere posita, per quondam Andream de Guerchijs prima facie, et postmodum per Anthonium de Guerchijs eius filium, ac postremo per Andream de Guerchijs, ipsius Anthonij fratrem ac prefati Andree filium, successive succedentes, de quibus in Cancellaria nullus apparet titulus sive scriptura, antiquitus possessa fuere. Permanentibus tamen ipsis duobus feudis in posse dicti Anthonii de Guerchijs, ipsoque Anthonio, nullis alijs relictis filijs nisi quadam Ioanna uxore quondam (*sic*) Petri de Porco Messanensis, exinde decedente, Ioanna ipsa tanquam eiusdem Anthonij de Guerchijs filia legitima et naturalis eisdem in feudis Rapsi et Galterii Baruni successit. Dicitur vero Petrus de Porco tamquam maritus et legitimus administrator dicte Ioanne eius uxoris, prius per eum prestito in tunc Proregum manibus sollempni iuramento, quod nullum suas ad manus de feudis ipsis privilegium sive alia scriptura pervenerat, ab eisdem Regni Proregibus pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militare servicio Regijs antiquis regalijs Regni Constitutionibus et Regie Curie ac alterius iuribus semper salvis, de feudis ipsis Rapsi et Galteri Baruni XV^o Februarii X^e Inditionis 1416 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 147 notatam, reportavit. Deinde autem feuda predicta Rapsi et Galteri Baruni ad quondam

Thomam de Marchisio Messanensem, de quo ipsa in Cancellaria nullus reperitur titulus sive scriptura, pervenerunt. Et sic nulla dari potest ratio quo iure suas ad manus devenerint, minusque qua ex causa a dicto Petro Porco, tamquam marito prelibate Ioanne asserte descendentes ex linea primi acquiritoris, defecerunt. Unde possidens ad dandum de predictis rationem, pro Curie cautela, cogi posset et compelli. Tandem Thomas ipse, ut asseritur, in anno 1428 a Serenissimo Rege Alfonso quoddam legitimacionis privilegiū, datum in castro Averse in anno 1422, in personam Anthonii de Marchisio ab ipso Thoma, tunc coniugato, ex quadam Dominica muliere soluta procreati et nati, celebratum obtinuit.

Deinde vero Thomas de Marchisio predictus et Iacobus de Marchisio etiam, pater et filius, tam eorum propriis nominibus quam nomine et pro parte dicti Anthonii de Marchisio ipsius Thome filii, ut predictur legitimati, ex una, et Sallimbenius de Marchisio miles, tunc Regni protonotarius, tam eius proprio nomine quam nomine et pro parte Ioannis de Marchisio militis, predicti Thome de Marchisio fratris, pro quo idem Sallimbenius de rato promisit parte ex altera, puplico mediante contractu in anno 1426 manu notarij Anthonii de Andreolo celebrato, de quo confirmacionem a dicto Rege Alfonso in vim sui Regii privilegii dato Valencie X Ianuarii 1427 habuisse dicti sunt, ad quandam conventionem sive transactionem devenerunt. In qua transactione et privilegiis contineri asseritur, quod dictus Thomas de Marchisio de feudo ipso ad suum velle disponere, aut illud dicto Iacobo de Marchisio eius maiori filio, sive dicto Anthonio de Marchisio eius minori genito, legitimato ut supra, vel ambobus dare relinquere vel legare valeret. Demum Thomas predictus de Marchisio, de feudis ipsis Rapsi et Galteri Baruni eidem Anthonio de Marchisio eius minori filio legitimato, pro se suisque in perpetuum heredibus et successoribus, sub consueto Regio sive Reginali militari servicio, donacionem fecit inter vivos irrevocabilem, ac tamen previa conditione et reservatione, quod si dictum Anthonium quandocumque sine filijs masculis decedere contigisset, et dictus Iacobus de Marchisio, ipsius Thome filius maior natu, filios masculos eius de corpore legitime descendentes reliquisset, eisdem liceret, soluto prius per eos et semel satisfacto precio quo tunc feudum ipsum per comunes amicos hinc inde eligendos extimatum fuisset, deductis tamen ex eo sive relaxatis uncijs quinquaginta, feudum predictum pro se ipsis cum omnibus iuribus oneribus solucionibus et servicijs, Regie seu Reginali Curie debitis et prestandis, habere et licite retinere. Ita tamen quod nisi semel et uno ictu precium predictum solverint, feudum ipsum ante dictam solucionem et integram et completam

satisfactionem nullo modo petere in iudicio vel extra et habere possent, ac etiam cum nonnullis alijs pactis et conditionibus in huiusmodi donacionis instrumento, manu notarii Ioannis de Grecucio Cathaniensis II° Ianuarii VI° Inditionis 1427 celebrato, expressis et declaratis; prout in ipsa continetur. Quamquidem donacionem Guilielmus de Montanynas, tunc Regni Prorex, Regio nomine cum illius inserto tenore eidem Anthonio de Marchisio et suis heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio iuribus Curie et alterius semper salvis, sua cum Viceregia provisione data Cathanie XX° Iulii VI° Inditionis 1428 et in Regie Cancellarie libro anni 1427 in cartis 81 notata, acceptavit et confirmavit. Nihilominus, quia vera privilegia dicti Regis Alfonsi et predictae Regine Marie apposita, que in eiusdem donacionis ipsorum feudorum contractu denominantur, Regia in Cancellaria non apparent; ius reddi non potest si dicta legitimacio et gracia, in personam dicti Anthonij de Marchisio facta, se extendit quod posset ipse sui que heredes in eisdem feudis Rapsi et Galteri Baruni succedere. Et ideo oporteret ipsa privilegia edi ad effectum predictum, sive ut percipiatur an ex illis opportuna viceregia executoria pro Curie cautela emanaverit.

A quoquidem tempore usque ad presens, anno 1513 decurrente, nullus alius actus sive investitura de ipsis feudis Rapsi et Galteri Baruni Regia in Cancellaria, illius perquisitis registris, reperitur. Tamen in presentiarum feuda ipsa per Sallimbenium de Marchisio Scalecte baronem, tamquam filium et successorem quondam Ioannis Sallimbenii de Marchisio, possidentur. Qui Sallimbenius de Marchisio modernus possidens de illis sub nomine unius feudi pro se suisque heredibus et successoribus imperpetuum iuxta formam sui privilegii a quondam Ioanne de Paternione Panhormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, stante Reginali Camera in posse sacri Regii demanii Vestre C. Maiestatis ob mortem quondam Serenissime Regine Elisabeth prime tui Regii culminis consortis, mortuo dicto quondam Ioanne Sallimbenio de Marchisio eius patre, XV° Decembris X° Inditionis 1506 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 293 notatam, obtinuit et ipsum possidetur. Quod anno quolibet reddit. 07.... Sed quia feuda ipsa in Reginalis Camere territorio extare dicuntur, licet dicatur similiter in territorio Casalis Chadere esse, possibile est quod qui post dictum Anthonium de Marchisio, filium prefati Thome legitimum ut supra, successit, coram dicte Reginalis Camere gubernatore de feudis ipsis se investiverit, et in Reginali archivo illorum investiture reperiantur. Et ideo ab archivario dicte Reginalis Camere, pro Curie cautela, de his esset habenda relacio.

Est nihilominus preterea attendendum, quod dictus Sallimbe-

nus de Marchisio feudorum predictorum modernus possidens a dicto Anthonio de Marchisio legitimo recta linea non descendit, sed a quondam Sallimbenio de Marchisio milite seniore, tunc Regni prothonotario, qui fuit domus moderni possidentis primus acquisitor, et sic ratio dari non potest, quo iure feuda ipsa a dicto Anthonio legitimo, ut supra, sive a suis legitimis heredibus defecerint. Preterea est attendendum, quod verus et antiquus dictorum feudorum titulus in forma stricta iure Francorum concessus extitit, minusque reperitur in Cancellaria quod huiusmodi forma stricta per aliquem ex Sicilie Regibus ampliata fuerit. Quod cum ita sit, quo iure dictus Sallimbenius de Marchisio, modernus possidens, de ipsis feudis a dicto Regni Preside, ob mortem dicti Ioannis Sallimbenii de Marchisio eius patris, in ampla forma, puta pro se et suis in perpetuum heredibus et successoribus sine clausula iuris Francorum, dictam investituram habere procuravit. unum tantum feudum, scilicet Rapsi et Galteri Baruni, et non duo feuda prout dictum antiquum privilegium dictat invocando? Hec enim invocatio unius feudi, cum duo sint, regijs regalij et directibus, tam pro iure relevi quam pro alijs iuribus, valde prejudicat. Et ideo ad premissa pro Curie cautela est valde attendendum.

Targia magna, Targia parva, Solacia Regia

Regia Solacia, Targia magna et Targia parva nuncupata, prope tenimenta civitatis Siracusarum et terre Auguste existentia, de mero et antiquo Regio demanio semper fuerunt, et alias serenissimus Rex Federicus Tercius Uberto de Mustiola de Placentia, tunc dicte terre Auguste habitatori, ad eius tantum vitam solaciorum ipsorum procuracionem et iurium perceptionem concessit. Ipsaque Regia Solacia ab alijs Sicilie Regibus dicti Regis Federici successoribus, certo modo iure Francorum, in feudum sub certo militari servicio ad heredes ampliata et confirmata extiterunt; quemadmodum per infra inserta privilegia videri potest, que sunt tenoris sequentis videlicet.

Federicus Dei gracia Rex Sicilie ac Athenarum et Neopatrie Dux. Presentis itaque privilegii serie notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris, quod Vannes Valcarinus civis civitatis Sira-

cusarum nuncius et procurator ad hec, ut constitit, Thomasię mulieris uxoris sue filie quondam Dominici Mustiole, fidelis noster, nomine et pro parte dicte Thomasię uxoris sue, ostendit et presentavit Curie nostre quoddam privilegium, factum olim sub sigillo pendenti Serenissimi Principis domini Regis Lodovici fratris nostri dicti Regni Regis bone memorie, dum vite commodis et regali preheminentia fungeretur, de confirmacione hereditarie institucionis procuracionis et perceptionis iurium omnium et reddituum Solacii nostri Targie magne, posite infra tenimenta dicte civitatis Siracusarum et terre Auguste, cum iuribus rationibus et pertinencijs suis, facta quondam Francisco Mustiola, filio dicti quondam Dominici, continencie subsequentis.

Ludovicus dei gracia Rex Sicilie. Presentis privilegii serie notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris, quod pro parte Francisci Mustiole de Siracusa, primogeniti et heredis legitimi quondam Dominici Mustiole fidelis nostri, fuit ostensum et presentatum nuper Curie nostre quoddam privilegium dudum factum per Curiam Oberto Mustiole et eidem quondam Dominico, sub titulo et sigillo pendenti gloriosi principis domini Regis Federici felicis memorie, reverendissimi domini Avi nostri, continencie subsequentis. Federicus Dei gratia Rex Sicilie. Presentis privilegii serie notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris, quod Obertus Mustiola de Placentia fidelis noster ostendit et presentavit nostro Culmini quoddam privilegium sub magno consueto sigillo nostro pendenti subscripti tenoris videlicet. Federicus Dei gracia Rex Sicilie. Per presens privilegium notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris, quod Obertus Mustiola de Placentia et Francischinus eius filius fidelis noster ostendit et presentavit nostro Culmini quoddam privilegium, sub magno consueto sigillo nostro pendenti, de commissione et concessione procuracionis et perceptionis iurium omnium reddituum Solacii nostri Targie magne, positi infra tenimenta civitatis Siracusarum et territorii Auguste, cum iuribus rationibus et pertinencijs suis, quod semper fuit et est de antiquo et mero demanio nostro, factum pridem per excellentiam nostram predictis Oberto et Franceschino, in vita eorum tantum, continencie infrascripte videlicet.

Federicus Dei gracia Rex Sicilie. Per (presens) privilegium notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris, quod Obertus Mustiola de Placentia habitator civitatis Siracusarum fidelis noster ostendit et presentavit Culmini nostro quoddam privilegium sub parvo sigillo nostro pendenti secreto, quo tunc generaliter utebatur, continencie infrascripte.

Federicus Tertius Dei gracia Rex Sicilie. Per presens privilegium

notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris, quod nos actendentes sincere devotionis affectum, quem Obertus Mustiola de Placentia habitator terre Auguste fidelis noster erga nos gerere noscitur, prompto zelo quave ipse sive (*sic*) de Placentia et predicta terra Auguste transtulit incolatum, ac nonnullos placentinos atque lombardos ad habitandum in eadem terra de Placie et (*sic*) Lombardie partibus secum traxit, eidem Oberto in tota vita sua, ad supplicationem eius proinde celsitudinis nostre factam, procuracionem et perceptionem iurium omnium proventuum et reddituum solaciorum nostrorum utriusque Targie, Magne scilicet et Parve, positorum infra tenimenta civitatis Siracusarum et predictae terre Auguste, que solacia semper fuerunt et sunt de mero et antiquo demanio nostro, nec non iurium tenimentorum et pertinentiarum solaciorum ipsorum (super quibus proventibus iuribus et redditibus, ad opus et pro parte nostre Curie procurandis et percipiendis, eundem Obertum sub certa forma pridie nostra statuerat celsitudo) committimus et concedimus graciosè; ita tamen quod iura proventus et redditus ipsorum solaciorum utriusque Targie supradicte, iurium, tenimentorum et pertinentiarum suarum commodis eiusdem Oberti, quam diu ipsi ea in vita sua procuraverint et perceperint, applicentur; ac ipse teneatur et debeat, donec procuracionem huiusmodi gesserit, viridaria solaciorum ipsorum excoli, laborari et in eis novellas arbores fructiferas, congruis et opportunis temporibus, ac domos omniaque alia edificia in eisdem solaciis existentia reparacionibus necessariis reparari, fulciri et custodiri facere, suis propriis sumptibus et expensis, ac manutenere eadem; illamque de his gerere et habere curam et diligentiam efficacem, quam bonus et studiosus paterfamilias de re propria sua gerit et habet; adeo quod sub sua protectione in aliquo non depereant nec labantur, quin immo continue melioracionis suscipiant incrementa, ac viridaria ipsa fructificent sicut decet, quodque nulla de iuribus et tenimentis solaciorum ipsorum vel eorum alterius, nullo umquam tempore, aliquo locationis vel alienacionis titulo in aliquos transferat, sub debita pena in eum, si secus inde fecerit, per nostram Curiam infligenda; et quod translatio sive alienacio ipsa sit et esse debeat ex nunc inanis et irrita ac nullius efficacie vel valoris, quorum quidem solaciorum utriusque Targie omniumque iurium tenimentorum et pertinentiarum suarum procuratio suorumque iurium proventuum et reddituum perceptio statim et immediate, post dicti Oberti obitum, ad manus nostre Curie devolvantur et redeant, ab inde in antea per tunc officiales nostre Curie, ad quorum hoc spectabit officium, ad opus et pro parte ipsius Curie, exercende; nulla

super hoc per heredes et successores dicti Oberti eidem Curie vel officialibus ipsis inspectione, contradictione sive molestia quomodolibet facienda, fidelitate nostra nec non Constitutionibus Serenissimi domini Iacobi Aragonum olim et Sicilie Regis, Illustris reverendissimi et carissimi fratris nostri semper salvis. In cuius rei testimonium certitudinem et cautelam iussimus exinde presens privilegium sibi fieri et parvo sigillo nostro secreto pendenti munitum. Datum Messane per nobilem Federicum de Incisa militem, cancellarium nostrum, anno Dominice Incarnacionis 1312 mense Iunii XIII^o eiusdem X^o Inditionis. Et supplicavit ut procuracionem et perceptionem iurium omnium provenctuum et reddituum predicti solacii Targie Magne, nec non iurium tenimenti et pertinenciarum ipsius, in vita sua, et Franceschino filio suo, in vita ipsius Franceschini, in predictis modo et forma et alia infrascripta confirmare, commictere et de novo concedere dignaremur. Nos suis supplicationibus inclinati, considerantes fidem puram et devocionem sinceram, quam dictus Obertus erga Maiestatem nostram gessit et gerit, sibi et dicto Francischino filio suo, in vita eorum tantum, predictam procuracionem et perceptionem predictorum iurium omnium provenctuum et reddituum predicti solacij Targie Magne Curie nostre, nec non iurium tenimenti et pertinenciarum suarum de benignitate Regia et ex certa nostra scientia confirmamus et de novo committimus et concedimus gratiose, sub predictis modo et forma, in predicto privilegio contentis, et alia infrascripta, videlicet: Quod nostra Curia predicta procuracionem et perceptionem dictorum iurium reddituum et provenctuum dicti solacii Targie Magne Curie nostre ac iurium tenimenti et pertinenciarum suarum post obitum eorum ad manus suas revocare non possit, nisi prius satisfiat per eandem Curiam heredibus eorum de tota quantitate pecunie, quam idem Obertus vel dictus filius eius de sua pecunia propria expenderit, tam in reparandis plantandis domibus eiusdem solacij, quam in costruendis molendinis plantandis vineis et arboribus in predicto solacio et tenimento suo et aliis beneficiis faciendis in eisdem, quibus arbitrio et extimacione proborum virorum Curie nostre constiterit, fidelitate nostra nec non Constitutionibus dicti domini fratris nostri et nostris ac Curie et cuiuslibet alterius iuribus semper salvis. In cuius rei testimonium certitudinem et cautelam, presens privilegium exinde fieri et sigillo Maiestatis nostre pendenti iussimus communiri. Datum Mazarie per nobilem Federicum de Incisa de Xacca militem, Regni Sicilie cancellarium, anno Dominice Incarnacionis 1317, mense Marcij, VIII^o eiusdem, prime Inditionis. Et humiliter supplicarunt ut predictam

commissionem et concessionem procurationis et perceptionis iurium omnium provenctuum et reddituum predicti solacij Targie Magne cum iuribus rationibus tenimentis et pertinencijs suis, facta eis in vita eorum, ratificare, confirmare et acceptare, ac deinde heredibus utriusque ipsorum de eorum corporibus legitime descendentibus, in perpetuum graciose de novo commictere atque concedere dignaremur. Nos autem, eorum supplicatione benigne admissa, considerantes fidem puram, quam predicti Obertus et Francischinus erga Maiestatem nostram prompto zelo congesserunt, nec minus fidelia et grata servicia per eos culmini nostro prestita et que prestare poterunt in futurum, auctore Domino graciona, eisdem Oberto et Francischino commissionem et concessionem procurationis et perceptionis iurium provenctuum et reddituum predicti solacij Targie Magne, nec non iurium rationum tenimenti et pertinenciarum suarum, factam eis per excellentiam nostram ut supra, sub servicio dimidii militis per eos et heredes eorum ex nunc in antea proinde Curie nostre prestando, ratificamus, acceptamus et tenore presentis privilegij confirmamus; ac deinde eorum heredibus de eorum corporibus legitime descendentibus in perpetuum, sub predicto servicio dimidii militis quolibet anno Curie nostre prestando, quod servicium iidem Obertus et Francischinus, in nostri presentia constituti, pro se suisque heredibus, nobis heredibus et successoribus nostris iuxta usum et consuetudinem Regni nostri Sicilie gratanter et voluntarie facere anno quolibet obtulerunt et presenterunt, ex habundantiore munificencie nostre gracia et ex certa nostra sciencia de novo commitimus, concedimus et donamus. Ita tamen quod liceat nostre Curie post decessum ipsorum Oberti et Francischini, quociens et quando elegerit et voluerit, predictum solacium dicte Targie Magne cum vineis, iardinis, molendinis, et alijs edificijs in eodem solacio plantatis et constructis, ac plantandis et construendis et edificandis per eosdem Obertum et Francischinum vel eorum heredes, pro quibus Curia nostra eis satisfacere aliquid nullatenus teneatur, sed libere ad manus Curie revertatur, predicto militari privilegio non obstante, quod in casu predicto cassum esse volumus et inane cum etiam iuribus rationibus tenimentis et pertinencijs suis, pro eo quod est de antiquo et mero demanio Curie nostre, prestito et assignato prius per Curiam nostram predictis eorum heredibus in perpetuum excambio annui redditus unciarum auri quindecim in terra de morticijs et excadencijs nostre Curie predictae, ad manus eiusdem Curie revocare vel facere revocari, et per officiales ipsius Curie, ad quorum hoc spectabit officium, facere ad opus et pro parte ipsius Curie procurare, et alias dictum solacium ab eorum mani-

bus revocari non possit. Et quod predicti Obertus et Francischinus et eorum heredes sint incole Regni nostri Sicilie et eodem Regno sub nostro et heredum nostrorum dominio habitent et morentur. Et quod predictam Targiam seu bona annui redditus dictarum unciarum quindecim assignandam eis, in casu revocationis predictæ, in capite a nostra Curia teneant et cognoscant, et proinde servire nostre Curie predicto servicio teneantur et vivant inde iure Francorum videlicet: Quod maior natu minoribus fratribus et coheredibus suis, et feminis masculus preferatur; fidelitate nostra nec non predictis Constitutionibus dicti domini Regis Aragonum reverendi et carissimi fratris nostri ac nostris, predicto servicio Curie et cuiuslibet alterius iuribus semper salvis. Ad huius autem nostre concessionis et confirmationis memoriam et robor imposterum valiturum, presens privilegium sibi ex inde fieri et sigillo Maiestatis nostre pendenti iussimus communiri. Datum Messane per nobilem Federicum de Incisa militem, Regni Sicilie Cancellarium, anno Dominice Incarnacionis 1322, mense Novembris penultimo eiusdem VI^e Inditionis. Et Maiestati nostre humiliter supplicavit, ut cum predictus Franciscus absque liberis viam fuerit universe carnis ingressus, sitque ei alius filius nomine Dominicus, commissionem et concessionem procurationis et perceptionis iurium proventuum et reddituum predicti solacij Targie Magne, nec non iurium et rationum tenimenti et pertinenciarum suarum, factam dictis Uberto et quondam Francisco eius filio per Maiestatem nostram ut supra, ipsis Oberto et Dominico et deinde eorum heredibus de ipsorum corporibus legitime descendentibus imperpetuum, sub predicto servicio dimidii militis quolibet anno Curie nostre prestando, quod servicium iidem Obertus et Dominicus in Curia nostra presentes pro se suisque heredibus, nobis heredibus et successoribus nostris, iuxta usum et consuetudinem Regni nostri Sicilie gratanter et voluntarie facere anno quolibet obtulerunt et promiserunt, ac sub predictis modo et forma et clausulis, acceptare, ratificare et de novo committere, concedere, et confirmare nostra Serenitas deinde dignaretur. Cuius supplicatione audita, consideratione devocionis et fidei quam iidem Obertus et Dominicus eius filius erga Maiestatem nostram gesserunt et gerunt, ac obsequiorum gratorum per eundem Obertum gratanter hactenus prestitorum, et que ipse dictusque Dominicus eius filius nobis prestare poterunt in futurum, concessionem et commissionem procurationis et perceptionis iurium proventuum et reddituum predictorum solacii Targie Magne iurium et rationum tenimenti et pertinenciarum suarum, eisdem Oberto et Dominico ac deinde ipsorum heredibus de ipsorum corporibus legitime descendentibus, in perpetuum sub predicto

servicio, ut supra, et sub predictis modo et forma et clausulis ratificamus, acceptamus et de novo concedimus et donamus, ac pleno favore regio confirmamus. Ita tamen quod quicquid ex forma dicti privilegii dicebat in premissis dicte nostre Curie post obitum Oberti et Dominici predictorum, quodque omnes clausulas et condiciones appositas in privilegio predicto in personas dictorum Oberti et Francischini, iidem Obertus et Dominicus adimplere et servare tenaciter teneantur, fidelitate nostra heredum et successorum nostrorum ac predictis Constitutionibus servicio nostre Curie et cuiuslibet alterius iuribus semper salvis. Ad huius autem rei testimonium et robur perpetuo valiturum presens privilegium sibi exinde fieri et sigillo Maiestatis nostre pendenti iussimus communiri. Datum Messane per nobilem Petrum de Antiochia militem, Regni Sicilie cancellarium, anno Dominice Incarnacionis 1328 mense Iunii, XV^o eiusdem, XI^e Inditionis. Et maiestati nostre humiliter supplicatum, ut cum dictus Dominicus pridem obierit et per testamentum in eius ultimis conditum instituerit sibi heredem in dictis procuracione et perceptione iurium omnium provenctuum et reddituum dicti Solacii nostre Targie Magne iurium rationum tenimenti et pertinenciarum suarum, prefatum Franciscum; ipsas procuracionem et perceptionem iurium et provenctuum et reddituum predictorum dicto Uberto et eidem Francisco et eorum heredibus de ipsorum corporibus legitime descendentibus imperpetuum confirmare de benignitate Regia dignaremur. Itaque supplicatione per nos benigne admissa, quia ex tenore dicti testamenti, pro parte dicti Francisci Curie nostre ostensi, quod propterea inspicimus atque legi, de predicta hereditaria institutione Curie nostre constat, eandem hereditariam institutionem acceptamus; dictisque Oberto et Francisco ac eorum heredibus prelibatis dictas procuracionem et perceptionem iurium provenctuum et reddituum predictorum, sub forma modo servicio clausulis et condicionibus quibuscumque dicto privilegio contentis, de liberalitate mera et speciali gracia ac certis expressis scientia et assensu nostris ac incliti et spectabilis domini Infantis Ioannis ducatum Athenarum et Neopatrie ducis marchionis Randacii etc. et nobilis civitatis Messane gubernatoris et Regni Sicilie Vicarii Generalis, patrum, huius et tutoris nostri carissimi, confirmamus; fidelitate nostra heredum et successorum nostrorum nec non predictis Constitutionibus Serenissimi principis domini Regis Petri Secundi illustris Regis Sicilie felicis memorie, reverendi et carissimi domini genitoris nostri, ac predicto servicio Curie et cuiuslibet alterius iuribus semper salvis. Ad huius autem confirmacionis memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium exinde fieri,

et sigillo Maiestatis nostre pendenti iussimus communiri. Datum Cathanie per nobilem Raymundum de Peralta Comitem Calatabillocte, Regni Sicilie cancellarium maiorem camerarium et regni Aragonum admiratum, anno Dominice Incarnacionis 1343 mense Aprilis XXVIII eiusdem XI^o Inditionis. Quequidem privilegia in quodam privilegio Serenissimi Regis Martini non completo in Regie cancellarie libro anni 1306, in cartis 275 notata, inserta reperiuntur.

Et licet pro Regni statutorum observacione ipsa regia solacia et regalie ab ipso sacro Regio demanio segregari non potuissent, et Regia Curia eidem Regio demanio illa aggregare et iterum restituere posset; tamen per preinserta privilegia Regia Curia ipsa, pro equivalenti excambio annui redditus unciarum quindecim in terra de morticijs et excandencijs Curie predictae, dicta Regia solacia quando-cumque etiam recuperare valeret.

Preterea attendendum est, quod ipsa solacia duo sunt, Magna scilicet Targia et Parva, que ambo in vim primi privilegii dicti Regis Federici prefato Uberto Mustiole ad eius vitam tantum, ut supra, concessa fuere. Reliqua vero sequencia privilegia concessionum et ampliacionum ipsorum solaciorum ad heredes solacium Targie Magne tantum denotant, et in illis de Targia Parva nulla fit mentio. Et ideo cum in ipsis confirmacionum privilegiis non exprimitur, quod ipsa solacia sunt duo et non unum, et utrumque est de per se, ipsum solacium Parve Targie videtur vocare et ad Regiam Curiam devolutum esse, illiusque detentorem illud usurpativo modo absque titulo detinere.

Exinde vero solacium ipsum Targie Magne pervenit ad manus condam Thomasie mulieris, filie et heredis dicti condam Dominici Mustiole tunc condam Vannis de Valcarino uxoris. Qui Vannes, dicte Thomasie uxoris sue nomine, cum inserto tenore omnium predictorum privilegiorum de dicto Magne Targie solacio ab ultimo Rege Federico, ut asseritur, confirmacionem et investituram reportavit sub his verbis, inter alia, scilicet: Et prefatus Vannes, uxoris sue nomine, Maiestati nostre humiliter supplicavit, ut cum predicto Francisco decedente in minori etate, nullis ex eis ac dicti Dominici condam corpore legitimis derelictis filijs, Ioannella mulier maior natu dicti quondam Dominici successerit in procuracione et perceptione iurium supra-dictis, dictaque Ioannella decedente, superstite sibi Magnella filia ipsius et Micaelis de Baudo, et post ipsius Ioannelle obitum dicta Magnella, tamquam filia eiusdem Ioannelle, successerit in eisdem. Et deinde dicta Magnella decedente in minori etate, dictus Vannes, pro parte uxoris sue predictae, contra prefatum Michaelem tenentem et possidentem predic-

tam procuracionem et perceptionem iurium et asserentem ex persona dicte filie sue posse succedere in procuracione et perceptione iurium predictorum, in iudicio magne nostre Curie moveret questionem; dictasque procuracionem et perceptionem dictorum iurium per decessionem dictorum Dominici Francisci Ioannelle et Mannelle, liberis de eorum corporibus minime relictis, ad manus nostre Curie iuste et rationabiliter devolutis: ad supplicationem culmini nostro factam per nobilem Matheum de Monte Catheno, Comitatus Auguste dominum consanguineum consiliarium familiarem et fidelem nostrum, sibi et heredibus suis de suo corpore legitime descendentibus imperpetuum procuracionem et perceptionem predictas gracie nostra contulerit celsitudo; cui concessioni prefatus Vannes asserit dictum nobilem renunciasse, procuracionem ac perceptionem iurium predictorum predictae Thomasie uxori sue, filie dicti quondam Dominici, non obstante predicta concessione eidem nobili facta, acceptare ratificare et confirmare de benignitate Regia nostra Serenitas dignaretur. Qua supplicatione clementer admissa, quia dictus Michael de Baudo, ex persona dicte quondam Magnelle filie sue, considerans et attendens dictas procuracionem et perceptionem.

Quequidem confirmacio seu investitura ipso in registro non amplius extenditur, sed incompleta, ut prenarratur, remansit; confirmacioque exinde per Serenissimum Regem Martinum facta eodem in registro non reperitur. Tamen ex verbis preinsertis a predicto condam Vanne Valcarino, nomine dicte Thomasie uxoris sue, ut supra narratis, comprehenditur et apparet dictum Targie Magne solacium ad prefatum Vannem, nomine eiusdem Thomasie eius coniugis, dicto Rege Federico ultimo reguante, pervenisse; et postmodum, dicto Rege Martino imperante, dicto Regio privilegio, quod est incompletum, invenitur mediante Ioanni Valcarino filio predictae Thomasie et dicti Vannis iugalium, ad cuius Ioannis instanciam privilegium ipsum dicti Regis Martini cum inserto tenore omnium predictorum privilegiorum emanavit, cessisse.

Tandem predictum Targie Magne solacium ad condam Leonoram, tunc quondam Guillelmi Russu baronis terrarum Cerami et Militelli vallis Nemorum uxorem, et dicti Ioannis de Valcarino filiam, de qua non apparet investitura, pervenit. Qui Guillelmus Russus et Leonora iugales solacium ipsum Targie Magne, una cum alijs terris Sancti Anthonij nuncupatis et nonnullis domibus terraneis Siracusana in civitate existentibus, quondam Nicholao Anthonio de Asmundo, filio quondam Ade de Asmundo legum doctori, pro se et suis imperpetuum heredibus, pro precio unciarum CLXXX, cum pacto de retrovendendo

infra terminum annorum quinque et non alias, puplico mediante contractu manu notarii Iuliani de Platamone XIII^o Maii XIII^o Inditionis 1451 celebrato, vendiderunt. Qui Nicholaus Anthonius de Asmundo cum iurasset in posse panhormitani Archiepiscopi, tunc Regni Presidis, nullum de dicto Targie solacio suas ad manus devenisse privilegium, ab ipso Preside, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum sub consueto militari servicio Regie Curie iuxta annuos redditus dicti solacij prestando, de solacio ipso Regni Constitutionibus Regieque Curie iuribus et alterius semper salvis, XXII^o Februarii II^o Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 263 notatam, nactus extitit.

Quoquidem tempore quondam Anthonius de Galgana Siracusanus legum doctor per annos quinque, conducti nomine, solacium predictum ad rationem unciarum decem et septem anno quolibet tenebat et possidebat, puplico mediante contractu vendicionis dicti solacij per dictos Guillelmum Russu et Leonoram iugales prefato Anthonio de Asmundo facte.

Mortuo demum dicto Anthonio Galgana, cum quondam Franciscus Galgana eius filius in ipsius solacii Targie possessione, nomine dicti eius patris, in vim dicte conductionis reperiretur; Franciscus ipse ad effectum perduxit quod pro certo precio ipsum Targie solacium habuit; de quo tamen nullus in Cancellaria apparet actus, minusque Franciscus ipse de eo investituram reportare curavit, licet dici posset illam a gubernatore Camere Reginalis forte obtinuisse, sub pretexto quod allegari posset solacium ipsum in territorio Siracusanum positum esse; quod non est verum, cum existat in demaniali solo apud Siracusanum territorium posito. Et sic a Regni Preside investitura ipsa habenda erat, licet sim opinionis huiusmodi investitura nullo fuisse captam, unde per utrumque modum in commissum incidisset.

Decedente postremo dicto Francisco Galgana, sibi eodem in Targie Magne solacio successit Franciscus Galgana iunior eius nepos, filius quondam Anthonij Galgana filij dicti Francisci senioris; qui Anthonius Galgana dicto Francisco seniori eius patri premortuus fuerit; de quo Francisco Galgana iuniore nulla in Cancellaria reperitur investitura.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, solacium Targie Magne predictum per prefatum Franciscum de Galgana iuniorem possidetur; quod anno quolibet reddit uncias

Nihilominus actencto quod solacium predictum alienari non po-

terat, nec non quod militare servitium dicti dimidii militis annis singulis Regie Curie, prout tenebatur, prestitum non fuit; ac etiam ob clausulam equivalentis excambii prelibatarum unciarum XV, Regia Curia predicta prefatum solacium recuperare posset, ac servitium annuale non prestitum repetere. Et si ipsa Regia Curia dictum ius redditus unciarum XV pro equivalenti excambio persolvere non vellet, posset utique illud in vim Regie Pragmaticæ Post BELLA pro illis uncijs C.LXXX, pro quibus venditum fuit, etiam revocare.

Chipulla feudum

Feudum Chipulla nuncupatum in valle et maritima terre Nothi positum, per quondam notarium Raynaldum de Capello, ex asserto privilegio confirmationis dicti feudi sibi per Serenissimum Regem Federicum facte, quod in Cancellaria non reperitur, antiquitus, ut asseritur, possidebatur.

Deinde vero in vim cuiusdam iudicialis decreti a Magna Curia processu, feudum ipsum Chipulla Anthonio Flocta, dicto Schimichi, de terra Nothi adiudicatum fuit.

Preterea asseritur tunc temporis quoddam de dicto Chipulla feudo apparuisse concessionis instrumentum, factum per dictum Anthonium Flocta, confitentem et dicentem se dictum feudum, nomine Henrici Grasso et Anthonie iugalium de Siracusa, emisse.

Nec minus dicatur quoddam aliud tunc emanasse instrumentum refutacionis seu renunciacionis feudi eiusdem Chipulle per condam Raynaldum Cappellum iuniorem, nepotem dicti quondam notarii Raynaldi Cappelli senioris, eisdem Henrico Grasso et Anthonie iugalibus factum; ac aliud iudiciale decretum de feudo eodem a Magna Reginali Curia processum in se continens; quod, non obstante Siracusana consuetudine super dotibus mulierum edita, feudum ipsum vendi posset, non obstante etiam quod bonum esset dotale, inopia sive indigentia dictorum Henrici Grasso et Anthonie iugalium considerata; que instrumenta et scripture in Cancellaria non apparent,

tandem feudum ipsum ad dictos Henricum et Anthoniam iugales, de quibus non invenitur titulus, devenit. Qui iugales exinde una cum Agnete de Capite Albo muliere, matre dicte Anthonie, ac Perrello de Capite Albo, dicte Agnetis filio de Siracusi, feudum Chipulle predictum quondam Nicholao de Speciali de terra Nothi suisque in perpetuum heredibus, pro precio unciarum XXXVI publico mediante contractu, manu Notarii Nicholai de Anghesa Siracusani XI^o Marci XIII^o Indictionis 1404 celebrato, vendiderunt. Quem quidem vendicionis contractum eidem Nicholao de Speciali suisque heredibus predictis, iure Francorum sub consueto militari servicio, dictus Rex Martinus cum inserto tenore dicti contractus, Regiis antiquis regalijis iuribusque Regie Curie semper salvis, eius cum Regio privilegio VIII^o Augusti XV^o Indictionis 1407, in Regie Cancellarie libro anni 1406 in cartis 311 notato, acceptavit et confirmavit.

Sed quia ipsa Regia confirmacio per annos fere duos post celebrationem dicti contractus vendicionis facta extitit; ignoro an dicta confirmacio post tantum temporis, absque temporis ipsius et dispensacionis expressione, concedi potuisset.

Mortuo tandem dicto Nicholao de Speciali, sibi in dicto Chipulle feudo successit Petrus de Speciali, tunc Regni magister rationalis, eius filius legitimus et naturalis. Qui pro se suisque heredibus, iure Francorum sub consueto militari servicio, de feudo ipso a quondam don Lupo Ximenes Durrea, tunc Regni Vicerege, Regiis antiquis regalijis Regni Constitutionibus et Regie Curie iuribus semper salvis, XXV^o Iunii prime indictionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 193 registratam, reportavit.

Defuncto postmodum dicto Petro de Speciali, ut asseritur, sine liberis, sibi in toto eius statu successit Ioannes Matheus de Speciali eius nepos, filius Vassalli de Speciali fratris dicti Petri; de quo non apparet investitura.

Decedente deinde dicto Ioanne Matheo de Speciali, sibi in dicto Chipulle feudo successit Nicholaus de Speciali eius filius legitimus et naturalis, de quo etiam non reperitur investitura.

Quo Nicholao de Speciali deficiente, sibi in dicto Chipulle feudo successit Catherina eius filia eiusdem Leonore eius uxoris, filie condam Anthonij de Platamone legum doctoris Siracusani et sororis Baptiste et Lodovici de Platamone. Que Catherina pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, de dicto feudo, tamquam in eo succedens ob mortem dicti Baptiste de Platamone, velut heredis et ex descendentibus a linea condam Nicholai de Speciali, a don Raymundo de Cardona, tunc Regni Prorege, pe-

nultimo Marcij XI^o Inditionis 1508 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1507 in cartis 534 notatam, habuit.

Nihilominus mirandum est, quo iure huiusmodi investitura sub tali forma et narrativa concessa extiterit, videlicet: Eidem Catherine ob mortem dicti Baptiste de Platamone veluti heredis et ex descendantibus a linea dicti condam Nicholai de Speciali patris, ut asseritur, dicte Catherine. Nam Catherina ipsa realiter a recta linea dicti Nicholay de Speciali senioris, primi emptoris et acquisitoris dicti feudi, et non a prefato Baptista de Platamone legum doctore descendit; licet nulla appareat investitura capta per dictos Ioannem Matheum de Speciali et Nicholaum de Speciali patrem et filium, ut melius veritas innotesceret; et ideo propter non captas investituras dicti feudi videatur quid iuris sit.

In presentiarum autem, anno 1513 currente, dictum Chipulle feudum per dictam Catherinam, filiam dicti condam Nicholay de Speciali Iunioris et nunc.... de Barresio filii baronis Militelli vallis Nothi uxorem, possidetur; quod feudum anno quolibet reddit uncias . . .

Caranchino alias Belvidiri feudum

Feudum Caranchinum, alias Belvidiri nuncupatum, in valle Nothi et, ut asseritur, prope tenimentum Civitatis Siracusanum existens, per condam Nicholaum Marrasi Siracusanum, de quo non apparet in Cancellaria titulus, antiquitus possidebatur. Qui cum exinde in extremis laboraret suum condidit testamentum, in quo suum instituit heredem Nicholectam de Marrasio eius filium cum hoc tamen, quod, si dictum Nicholectam sine filijs legitimis seu in minori etate expirare contigisset, illi succederet in eodem feudo Bartholomia ipsius Nicholai testatoris filia et predicti Nicholecte soror, tunc Thomei de Bisocto uxor; voluit preterea dictus testator quod si predictam Bartholomiam sine liberis eius de corpore legitime descendantibus mori evenisset, sibi eodem in feudo succederet Philippus de

Fazino nepos ipsius condam Nicholai testatoris, prout in dicto testamento contineri dicitur.

Mortuo demum dicto Nicholao testatore, et exinde prefato Nicholecta in minori etate sine filiis defuncto, eis in dicto feudo prelibata Bartholomia successit. Que cum dicti feudi possessionem consecuta extitisset, Serenissimo Rege Martino regnante, per Regiam Curiam Sacre Regie Conscientie ad petitionem condam Frazone mulieris, uxoris condam Andreoli Possu tanquam sororis et heredis condam Barsalone mulieris uxoris prenominati condam Nicholai de Marrasio testatoris, pro debito et satisfactione dotis ipsius Barsalone, pro qua dote feudum ipsum illi obligatum et ypotecatum extiterat, fuit super dicto feudo interpositum primum et secundum decretum, quorum virtute feudum ipsum eidem Frazone pro uncijs ducentis venditum fuit et adiudicatum. Qua facta adiudicatione in vim iurium, que Regia Curia tenebat in recuperandis feudis quomodocumque venditis, feudum ipsum pro uncijs centum nonaginta quatuor per Regiam et Reginalem Curiam recuperatum; et deinde per eandem Regiam et Reginalem Curiam, pro eodem precio, Iacobo de Aricio venditum extitit, cuius vendicionis virtute Iacobus ipse dicti feudi possessionem nactus fuit; orta postmodum inter dictum Iacobum de Aricio et prefatum Philippum Fazinum lite seu questione: in qua per dictum Iacobum asserbatur, se in vim dicte vendicionis eodem in feudo ius habere; per dictum autem Philippum dicebatur, vigore testamentarie dispositionis sibi facte per dictum Nicholaum de Marrasio testatorem super dicto feudo, vel saltem super uncijs LXVI sibi ad solvendum restantibus usque ad summam unciarum ducentarum, ius etiam haberi; partes ipse ad concordiam devenerunt et transactionem videlicet: quod dictus Iacobus de Aricio, pro sue conscientie levamine, prefato Philippo Fazino dedit et solvit dictas uncias LXVI ad complimentum dictarum unciarum CC, dictus vero Philippus eidem Iacobo de Aricio suisque in perpetuum heredibus et successoribus omnia iura, que Philippus ipse eodem in feudo tenebat, puplico mediante contractu manu notarii Laurencii de Notho Cathaniensis XXII^o Aprilis XIII^o Inditionis 1406 celebrato, cessit. Quem cessionis iurium huiusmodi contractum dictus Rex Martinus prefato Iacobo de Aricio suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, quatenus ipsa iurium cessio rite processit et rationabiliter facta extitit etc; acceptavit et confirmavit; nec non eidem Iacobo dictisque suis heredibus, sub consueto militari servicio, Regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie semper salvis, omnia iura et actiones que Rex ipse eiusque Regius fiscus quo ad utile domi-

nium tenebat, eius cum Regio privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1406 in cartis 81 notato, cessit et concessit.

Perquisitis itaque per me Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1406 usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, nullum aliud de ipso feudo Caranchino privilegium inveni. Tamen evenire potuisset quod illius possessores per ipsum tempus de illo se in dicta Reginali Camera investissent, cum in dicto Siracusano tenimento constitutum sit: que Siracusarum civitas aliquando Sicilie Reginarum fuit prout ad presens est. Unde de his a gubernatore ipsius Reginalis Camere esset habenda relacio, ut presens informacio plene perfici posset pro Curie cautela; nihilominus, per verba dicti contractus in prelibato privilegio Regis Martini inserti, narratur feudum ipsum prope Siracusanum territorium esse positum, et non infra dictum territorium, quo casu esse posset illud in tenimento sacri Regii demanii extare; quod si ita esset ipsius feudi investiture a Regni Prorege, Regio nomine, et non a dicto Reginali gubernatore obtineri debebant. Et sic ratio per me dari non potest, si ipsius feudi modernus possessor recta linea a primo acquiretore descendit. Et propterea feudum ipsum in rollo noviter conficiendo ponendum esset pro Curie cautela.

Preterea est attendendum, quod ipsum feudum pro uncijs ducentis venditum fuit, pro quibus in vim pragmatice Post BELLA Regia Curia feudum ipsum recuperare posset et Regio demanio agregare. Quod feudum in presentiarum per possidetur; quod anno quolibet reddit uncias

Nihilominus de ipso Caranchino feudo, sub nomine Bilvidiri, fuit alias per me superius in cartis 230 non nihil dictum, ob quod utrumque privilegium est videndum.

Guffora alias Gulfora feudum.

Feudum Guffora, alias Gulfora nuncupatum, in valle Nothi existens per condam Gulielmum de Truxellis de terra Nothi, de quo titulus non apparet aliquis, antiquitus possidebatur. Tandem Guillel-

mus ipse feudum predictum condam Henrico de Vigintimiliis, tunc terre Buxeme baroni, pro se suisque heredibus imperpetuum, sub consueto militari servicio, pro precio unciarum sexaginta, cum consensu condam Alamane et Palafini de Truxello iugalium parentum ac Blance, uxoris Raynaldi de Curritore, sororis ipsius Gulielmi, puplico mediante contractu, manu notharii Raymundi de Cappello de Notho V° Aprilis VIII° Inditionis 1370 celebrato, vendidit. Quam venditionem et instrumentum feudi predicti Serenissimus Rex Federicus ullimus, eatenus quatenus vendicio ipsa iuste rite et rationabiliter facta extitit, eidem Henrico de Vigintimilijs suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum sub consueto militari servicio, Regijs antiquis Regalijs iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, suo cum Regio privilegio, in quo dictum vendicionis instrumentum insertum est, dato Messane ultimo Maij VIII. Inditionis 1370, acceptavit et confirmavit.

Quo Henrico defuncto, sibi in dicto Guffora feudo successit Gulielmus de Vigintimiliis eius filius. Qui, tamquam filius et ultimus heres testamentarius dicti condam Henrici de Vigintimilijs et Philippe iugalium eius parentum, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, de dicto feudo, sub eodem militari servicio ac sub illis modo et forma in prenominato privilegio dicti Regis Federici contentis, Regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, a Serenissimo Rege Martino suo cum Regio privilegio, in quo ipsum privilegium Regis Federici ac vendicionis contractus insertus est, datum Cathanie III° Aprilis XI° Inditionis 1408 confirmationem et investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1407 in cartis 226 notatam, obtinuit.

Mortuo deinde dicto Guillelmo de Vigintimilijs, nullis per eum filijs derelictis, ac etiam condam Francisco de Vigintimilijs (filio condam Anthonij de Vigintimilijs fratris dicti Gulielmi, qui Anthonius dicto Gulielmo eius fratri premortuus fuit) deinde defuncto, qui Franciscus dum vixit feudum predictum Guffora tenuit et possedit, sibi in dicto feudo successit Gaspar de Vigintimilijs, eiusdem Francisci filius legitimus et naturalis ac maior natu. Qui Gaspar pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum sub consueto militari servicio, cum inserto tenore dictorum Regionum privilegiorum et contractus vendicionis predictae, de feudo ipso Guffora sive Gulfora a don Lupo Ximenen Durrea, tunc Regni Prorege, Regijs antiquis Regalijs iuribusque Regie Curie semper salvis, ultimo Iulij prime Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 566 notatam, reportavit.

Decedente postmodum dicto Gaspare de Vigintimilijs, sibi in dicto Guffora feudo successit Ioannes de Vigintimilijs, eius filius legitimus et naturalis ac maior natus; de quo non apparet investitura.

Sed deficiente exinde predicto Ioanne de Vigintimilijs absque filiis, sibi in dicto Guffora feudo successit Franciscus de Vigintimilijs eius frater, filius dicti quondam Gasparis. Qui Franciscus pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, de dicto feudo Guffora una cum terra Buxeme VIII^o Iulii VIII^o Indictionis 1490 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1489 in cartis 597 notatam, nactus fuit.

Defuncto demum dicto Francisco de Vigintimilijs, sibi in dicta Buxeme terra successit Gaspar de Vigintimilijs, eius filius legitimus et naturalis ac primogenitus. Qui Gaspar a don Ugone de Montecatheno, Regni moderno Prorege, de ipsa Buxema tantum terra XXVII^o Maii XIII^o Indictionis 1511 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1510 in cartis 584 notatam, reportavit. In qua non exponitur neque in aliquo nominatur dictum feudum Guffora, minusque alia reperitur investitura de ipso eodem feudo Guffora per quempiam capta. Et sic cum de huiusmodi feudo non reperiatur alia investitura, Regia Curia in iuribus suis lesa et fraudata reperitur, unde ratio dari non potest in cuius posse in presentiarum, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Guffora sive Gulfora inveniat. Inquirendum ergo esset penes quem feudum ipsum existat pro Curie cautela. Et quia postpositum fuit de illo investituram capere, quod iuris sit videatur; quod feudum anno quolibet reddit uncias. . . .

**Franca feudum, Cardonecto territorium alias Plana,
Montagna territorium, hospicium et apotheca
in terra Minei**

Feudum Franca et territoria Cardunectu, alias la Plana, et Montagna nuncupata, in valle Nothi ac in terra et territorio Minei sita et posita, per condam Federicum de Parisio militem et Riccardam iugales, de quibus nullus apparet in Cancellaria titulus, antiquitus pos-

sidebantur. Tandem tempore quo Minei terra per regios rebelles, Serenissimo Rege Martino regnante, vi detinebatur, condam Guillelmus Raymundus de Montecatheno, tunc Auguste Comes, etiam rebellis predicta feudum territoria et bona ad dictorum Federici et Riccarde de Parisio iugalium posse violenter abstulit, illaque hoc modo dispensando concessit videlicet: quod dictum Franca feudum Petro de Montemagno, territorium prelibatum di la Plana seu Cardonecto presbitero Anthonio de Focco et hospicium ac apothecam antedictam Tranquide de Mallio dedit; sibi vero territorium di la Montagna penitus reservavit.

Reducta postmodum dicta Minei terra Regie fidelitati, dictus Rex Martinus feudum predictum territoria et bona prelibatis Petro de Montemagno presbitero Anthonio et Tranquide confirmavit; territorium autem di la Montagna dicto Guillelmo Raymundo de Montecatheno, reservatum ut supra, Guillelmo de Landolina concessit: quoniam reductioni dicte Minei terre ad Regiam fidelitatem nimium insudarunt.

Comparentibus deinde coram eodem Rege Aloysia et Agata filia et nepte dictorum Federici et Riccarde de Parisio iugalium, nec non Martino Lopez Deliori, predictae Agathe marito, ad eorum supplicationem Rex predictus eidem Martino Lopez, suisque in perpetuum heredibus et successoribus, predicta feudum territoria hospicium et apothecam, cum omnibus eorum iuribus sub onere et servicio Regie Curie debitae et consuetis, concessit. In quorum excambium Rex idem heredibus dicti Petri de Montemagno uncias quatuor, et prefatis presbitero Antonio de Foco uncias sex, ac Guillelmo Landolina uncias quinque annualis redditus super iuribus tractarum et exiturarum Regni concessit; sicut in eius Regio privilegio, dato Cathanie XV^o Aprilis VII Indictionis 1399 et in Regie Cancellarie, libro anni 1407 in cartis 239 notato, continetur.

A quoquidem anno 1399 usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, de predictis feudo territorijs et bonis nullus reperitur in Regia Cancellaria titulus aliave scriptura; et ideo inquiratur quinam sint ipsorum bonorum possessores, ut ad edendum quo iure ad eos pervenerint, et ad dandum rationem de non captis investituris, pro Curie cautela, cogi et compelli possint.

Rasabia, Chaffo del Mastro alias Zaffudu feuda.

Feuda Rasabia et Chaffu del Mastro alias Zaffudu nuncupata, in valle Nothi et territorio terre Ragusie existencia, per condam Anthonium de Iandarrigo terre Nothi, de quo non reperitur in Cancellaria titulus, antiquitus possidebantur. Qui cum filios non habuisset et in senectute et infirmitate reductus esset, non valens laboribus insudare, feuda ipsa et eorum quodlibet Margarite eius sorori, tunc Mathei de Barberis legum doctoris uxori, ob deficientiam filiorum ipsius Anthonij, sibi legitime descendenti tamquam maiori natu aliarum suarum sororum renunciavit; sicuti in quodam huiusmodi renunciacionis contractu, manu notharii Mathei de Panhormo Siracusani primo Iulii XI^o Inditionis 1478 celebrato, contineri asseritur. Qui Matheus de Barberiis tamquam maritus et procurator dicte Margarite eius uxoris ob dictam renunciacionem de feudis ipsis pro se suisque heredibus et successoribus de suo corpore legitime descendentibus, iure Francorum, a comite de Cardona et de Prades, tunc Regni Prorege, sub consueto militari servicio, VIII^o Augusti XI^o Inditionis 1478, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 172 notatam, reportavit.

Defunctis exinde Margarita et Matheo de Barberiis iugalibus, predictis sibi in ipsis Rasabia et Chaffo del Mastro sive Zaffudu feudis successit Bernardus de Barberiis eorum filius. Qui pro se dictisque suis heredibus, iure Francorum, de ipsis feudis a condam Ioanne de Lanuça, tunc Regni Vicerege, XX^o Iulii II^o Inditionis 1499, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1498 in cartis 358 notatam, obtinuit.

Mortuo tandem dicto Bernardo de Barberiis, cum eius tempore mortis Ioannes Matheus de Barberiis eius filius primogenitus legitimus et naturalis banno subpositus reperiretur ob accusationem sibi propositam de nece cuiusdam hominis, dictusque Bernardus Angelam de Barberiis eius filiam in capillo existentem sibi heredem in dictis feudis elegisset; Angela ipsa a tunc Regni Prorege de feudis predictis investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1510 in cartis 282 notatam, consequutus fuit.

Demum autem cum dictus Ioannes Matheus de Barberiis de delicto predicto a Serenissima Regina Germana vestri Regii culminis moderna consorte, tamquam tenente et possidente Siracusanam Civitatem et alias quam plures terras huius Sicilie Regni in Cameram, in cuius iurisdictione asseritur fuisse perpetratum dictum delictum et etiam propositam extitisse accusationem, remissus fuisset, Angela predicta eius soror feuda ipsa Rasabiam et Chaffu del Mastro alias Zaffudi eidem Ioanni Matheo de Barberiis eius fratri tamquam masculo et primogenito, cui de iure feuda ipsa cedere debebant, publico mediante contractu, manu notarii Sebastiani de Panhormo, XXVI^o Octobris prime Indictionis 1512 celebrato, renunciavit; ob quod ipse Ioannes Matheus de Barberiis pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, de feudis ipsis a don Ugone de Montecatheno, moderno Regni Prorege, XXI^o Maii prime Indictionis 1513 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1512 in cartis . . . notatam, nactus fuit.

In presentiarum autem, anno predicto 1513 decurrente, feuda ipsa Rasabia et lu Chaffu del Mastro alias Zaffudi per dictum Ioannem Matheum de Barberiis possidentur; quod reddit anno quolibet 07...

Sed quia de feudis predictis nullus alius titulus sive privilegium aliave scriptura Regia in Cancellaria reperitur, ratio dari non potest qui illorum primus fuerit acquisite et sub qua forma illi concessa extiterint, et si forma talis erat, quod de illis disponere potuisset prout disposuit; minusque apparet prefatum Anthonium de Iandarrigo, qui feuda ipsa, ut predictur, prefate Margarite eius sorori renunciavit, fuisse illorum primum acquirentem; et ideo pro Curie cautela oporteret quod omnino verus et antiquus titulus ipsorum feudorum ederetur, ut videri possit an iuridice iuxta formam ipsius tituli illa possidentes in eis successerint et si dictus Antonius Iandarrigo potuit illa dicte Margarite eius sorori renunciare, ut supra.

Postmodum vero dictus Ioannes Matheus de Barberiis de eisdem feudis resignacionem et refutationem fecit donne Elisabeth de Barberiis eius uxori in partem satisfactionis eius docium per ipsam apportatarum; que cepit investituram die V^o Februarii X^e Indictionis 1522, notatam in libro dicti anni f.º 391.

Montagna di Marzo feudum.

Feudum Montagna di Marzo nuncupatum, in valle Nothi et territorio terre Placie existens, per condam Riccardum de Aydono, de quo seu de alio quovis nullus apparet in Cancellaria titulus, antiquitus possidebatur. Quo Riccardo tandem defuncto, sibi eodem in feudo successit notarius Bernardus de Aydono illius filius. Qui tunc temporis coram condam Archiepiscopo Panhormitano, tunc Regni Preside, comparens exposuit: eius progenitores dum vixerunt successive feudum predictum tenuisse et possedisse, ac legitime et successive ad dictum condam Riccardum eius patrem devenisse; ac per hoc ob illius obitum ad ipsum Bernardum exponentem pervenisse, iure iurando affirmans de ipso Montagna de Marzo feudo nullum privilegium habuisse preter quamdam regiam licteram huiusmodi tenoris scilicet: Rex Aragonum Sicilie etc. familiares et fideles nostri: perochi Iacobo di Iunta et Riccardo de Ayduni di quissa terra di Plaza, nostri fideli, su tenuti serviri a la nostra Curti comu feudatarii per accaxuni di dui loro segui siti in lo territorio di la dicta terra vocati Aliano et la Montagna de Marzo, li quali tenino sub servizio militari, secundo ia a la nostra Curti consta satis clare per lo tenuri di loro privilegii, vi comandamo expressamenti a li predicti Iacobo et Riccardo digiati tractari et favoriri comu a li altri nostri feudatarii di Plaza. Datum Cathanie XVIII^o die Marcii VIII^o Inditionis. Fernando de Vega. Vidit Fernandus cancellarius. Vidit Martinus. Vidit Sallimbeni. In dorso scripti: vicesecreto et iuratis terre Placie familiaribus et fidelibus nostris. Registrata in Cancellaria. Registrata penes rationales. Et sic dictus Bernardus de Aydono cum dixisset nullum aliud privilegium sive titulum preter dictam Regiam licteram habuisse, a dicto Regni Preside de ipso feudo la Montagna di Marzo pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum Regiis antiquis regaliis ac Regie Curie iuribus semper salvis, XXIII^o Octobris II^o Inditionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro prime Inditionis in cartis 825 notatam, reportavit.

Unde clarissime demonstratur dictum notarium Bernardum de

ipso feudo nullum habuisse titulum nisi dictam secretam Regiam licteram, per quam licteram ratio dari non potest de ipsius feudi forma.

Mortuo exinde dicto notario Bernardo de Aydono, sibi in dicto feudo la Montagna di Marzo successit Ioannes de Aydono, legum doctor, eius filius legitimus et naturalis ac primogenitus. Qui pro se suisque hereditus eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum sub consueto militari servicio, de ipso feudo a don Lupo Ximenes Durrea, tunc Regni Prorege, VI^o Maij VIII^o Inditionis 1475 investituram, in Regie Cancellarie libro rationum anni 1474 in cartis 191 notatam, obtinuit.

Et postmodum idem Ioannes de Aydono de ipso feudo, ob mortem Serenissimi Regis Ioannis, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1479 in cartis 38 registratam, consequutus fuit.

Decedente tandem dicto Ioanne de Aydono, sibi in dicto feudo successit Elisabet eius filia legitima et naturalis ac universalis heres. Que in vim testamenti dicti eius patris pro se et suis heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum sub consueto militari servicio, de feudo ipso la Montagna de Marzo a Ioanne de Lanuça, tunc Regni Vicerege, IIII^o Novembris prime Inditionis 1497 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 103 notatam, nacta fuit.

Exinde vero dictum feudum pervenit in posse Catherinelle et Vincencie, ut asseritur, filiarum dicte Elisabethe; que mulieres quomodo in dicto feudo successerunt in Cancellaria non apparet investitura.

Tamen dicte Catherinella et Vincentia per Petrum de Gafforo, eorum tutorem et avum paternum, a don Ioanne de Luna Preside, ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi, de dicto feudo la Muntagna di Marzo cepit (*sic*) investituram die XVIII^o Ianuarii V^o Indictionis, notatam in libro anni 1516 f.º 427; et iuravit (*sic*) illud reddere O7. XV.

Fridano, Consorto feuda.

Feuda Fridano et Consorto nuncupata, in valle Nothi apud territoria Civitatis Calatagironi et terre Placie existencia, per condam Raynerium de Modica, de quo nullus apparet in Cancellaria titulus, antiquitus possidebantur. Eo tandem defuncto, feuda ipsa ad quondam Petrum de Modica eius filium pervenerunt. Sed prestito per eum iuramento, quod eius ad manus nullum de feudo ipso privilegium pervenerat, sed tantummodo constito quod per annos ultra triginta dictus eius pater ac ipse feuda predicta possederant, de ipsis pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum sub consueto militari servicio, antiquis regalijis sacro Regio demanio contingentibus, Regni Constitutionibus ac iuribus Regie Curie semper salvis, VIII^o Iulii prime Inditionis 1453, a don Lupo Ximenes Durrea, tunc Regni Prorege, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 339 notatam, obtinuit.

Mortuo exinde dicto Petro de Modica sibi in ipsis duobus feudis successit Perrellus de Modica eius filius. Qui de eisdem a quondam Bernardo de Requesens, tunc Regni Prorege, XVI^o Februarii XIII^o Indictionis 1464 simplicem investiture notam, in Regie Cancellarie libro anni 1463 in cartis 257 notatam, reportavit.

Deficiente postmodum dicto Perrello de Modica, sibi in dictis feudis Fridanu et Consorto successit Agathucia de Modica eius filia. Que de feudis eisdem iuxta formam suorum privilegiorum a tunc magistro iusticiario Regni Preside, ob mortem Serenissimi Regis Ioannis, XXI^o Octobris XIII^o Indictionis 1479 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 73 notatam, consequuta fuit.

Hec vero Agatucia Lupo de Sancto Martino prima facie fuit matrimonio iuncta, quo defuncto, ad secunda vota convolans Vassallo de Gravina nupsit; cui feuda ipsa aliaque feudalia bona in dotem apportavit. Qui iugales alterum ex dictis feudis, videlicet Fridanum, cuidam Cesari de Bonanno de Calatagirono pro certo precio, carta tamen gracie reddimendi mediante, vendiderunt; prout in quodam publico contractu manu notarii Raymundi de Iangrosso, in anno 1504 VIII^o Inditionis celebrato, contineri asseritur. Unde Cesar predictus

emptor pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, iuxta formam sui privilegii, de feudo ipso Fridano a Ioanne de Lanuça, tunc Regni Prorege, VII^o Iunii VIII^o Inditionis 1505 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1504 in cartis 525 notatam, habuit.

In presentiarum autem anno 1513 decurrente, feudum ipsum Fridano per prefatum Cesarem de Bonanno possidetur; quod anno quolibet reddit 07. LXV.

Exinde dictus Cesar de Bonanno, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram de dicto feudo, die XVIII^o Ianuarii V^o Inditionis, notatam in libro anni 1516 f.º 506, et iuravit reddere tantumdem.

Est nihilominus attendendum, quod ipsius feudi forma est stricta: iure Francorum; et hec postrema investitura formam ipsam ampliavit et ampliat videlicet: pro heredibus et successoribus; quod in preiudicium Regie Curie valde tendit.

Consorto feudum

Feudum vero Consorto ad presens, dicto anno 1513 decurrente, per prefatos Vassallum de Gravina et Agathuciam iugales possidentur; quod annis singulis reddit uncias XXXX et pro totidem solvit iura Regiis officialibus sive 07. XXXX.

Mortua deinde dicta donna Agathucia, sibi in dicto Consorto feudo successit Antonius de Gravina ipsorum iugalium filius primogenitus legitimus et naturalis. Qui de feudo ipso Consorto a don Ugone de MontheCATENO, moderno Regni Prorege, die . . . mensis III^o Inditionis 1515 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 170 notatam, reportavit. Et per eum in presentiarum, dicto anno 1515 decurrente, possidetur.

Montagna feudum sive Marcatum

Feudum sive Marcatum la Montagna, in valle Nothi existens, de membris et pertinenciis feudi di la Chanzaria fuisse et esse asseritur, de quo Chanzaria feudo superius in cartis . . . verba facta sunt; exponitur enim ibi ipsum Chanzarie feudum in posse Agathucie filie condam Perrelli de Modica, et nunc uxoris Vassalli de Gravina pervenisse. Tandem prefati Vassallus de Gravina et Agathucia iugales feudum ipsum sive Marcatum di la Montagna quondam Matheo Spinello de terra Placie pro unciis mille, carta tamen gracie reddimendi mediante, licencia viceregia preeunte, vendiderunt; prout vigore publici contractus manu notarii Gregorii Cathalani, X^o Aprilis VI. Inditionis 1503 celebrati, contineri asseritur; ob quod dictus Matheus Spinellu pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, de feudo ipso sive Marcato la Montagna a quondam Ioanne de Lanuça, tunc Regni Prorege, VII^o Octobris VII^e Inditionis 1503 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 56 notatam, reportavit.

Postmodum autem dictus Matheus Spinellu de feudo ipso sive Marcato di la Montagna Ioanni Andree de Calaxibecta et de Landolina eius nepoti, contemplacione matrimonij, donacionem fecit; prout in quodam publico contractu manu notarii Bartholomei de Bucherio, XXII^o Novembris VIII^e Inditionis 1504 celebrato, apparere dicitur; cuius virtute dictus Ioannes Andreas pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, de ipso feudo sive Marcato di la Montagna a dicto Ioanne de Lanuça Prorege XXIII^o Octobris VIII^e Inditionis 1505 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 73 notatam, obtinuit.

Mortuo demum dicto Ioanne Andrea de Calaxibecta alias de Landolina, sibi in dicto feudo successit Franciscus de Calaxibecta eius frater minor, filius Andree de Calaxibecta. Qui Franciscus pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, de dicto Muntagna feudo sive Marcato a don Raymundo de Cardona, tunc Regni Prorege, XVI^o Decembris XII^e Inditionis 1508 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 215 notatam, habuit.

Hodie autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum sive Marcatum di la Muntagna per dictum Franciscum de Calaxibecta possidetur; quod anno quolibet reddit 07. XXXX

Qui quidem Franciscus Calaxibecta de dicto Marcato sive feudo di la Montagna Chanzerie pro se et suis heredibus de suo corpore legitime descendentibus, iure Francorum, cepit investituram a don Ioanne de Luna Preside, ob mortem Catholici domini nostri Ferdinandi Regis, die XXX^o Decembris V^o Inditionis 1516, notatam in libro dicti anni f.^o 306; et Philippus Cuniglo eius procurator iuravit reddere tantundem.

Scordia Subtana feudum

Feudum Scordia Inferior, in valle Nothi prope tenimenta terrarum Militelli et Scordie Superioris positum, per condam comitem Henricum Rubeum seniore Aydoni comitem eiusque progenitores, de quibus Regia in Cancellaria nullus invenitur titulus, antiquitus possessum fuit. Successive vero feudum ipsum ad comitem Henricum Rubeum iuniorem, dicti condam comitis Henrici Rubei senioris filium, pervenit. Tamen mirandum est quo iure ad eum devenerit, cum dictus Henricus Rubeus senior eius pater rebellis fuerit et ipsa in rebellionem defunctus, ac dictam ob rebellionem omnia eius bona, et signanter dictus Aydoni Comitatus Regie Curie, devoluta fuerint, nullaque de eo remissio sive in integrum restitutio appareat. Nihilominus quomodocunque sit, Serenissimo Rege Martino regnante, comitissa Beatrix, ipsius comitis Henrici Rubei iunioris soror, condam comitis Thomasii de Spatafora comitatus Scelafani comitis uxor, pro iure sue dotis de paragio unciarum 648 et tarenorum quatuor una cum expensis sibi debitis super hereditariis bonis dicti eorum patris, ac nonnullis aliis rationibus, per Regiam Curiam Sacre Regie Conscientie medietatem pro indiviso dicti Scordie Inferioris feudi, servatis servandis, sibi adjudicari fecit: reliqua vero medietas penes dictum comitem Henricum Rubeum iuniorem, illius

fratrem, remansit. Et sic dictus Rex Martinus eidem comitisse Beatrici concessit, quod dictam feudi ipsius medietatem ab alia per communes amicos segregaret; adeo quod illarum quelibet feudum de se denominaretur distinctum, et ab alio segregatum tenereturque ad consuetum militare servicium, quodque ipsa comitissa illud habitare posset et in eo popullaciones facere cum potestate eandem feudi medietatem sive feudum ipsum vendendi et alienandi, quemadmodum in ipsius Regis Martini privilegio, dato Cathanie ultimo Februarii VIII^o Indictionis 1400, et in Regie Cancellarie libro anni 1399, 1400 VIII Inditionis in cartis 151 notato, late patet.

Deinde vero cum dictus comes Henricus Rubeus iunior prefate comitisse Beatrici eius sorori uncias ducentas deberet, pro illis sive in earum solutum eidem comitisse comes ipse eius feudi ipsius Scordie Inferioris medietatem dedit; prout vigore puplici contractus manu notarii Petri de Armato messanensis, XXI^o Octobris XIII^o Inditionis 1404 celebrati, contineri asseritur; unde ipsum Scordie Inferioris feudum totum et integrum eidem comitisse Beatrici remansit. Et sic dictus Rex Martinus insolutum dationem dicte medietatis feudi prefate comitisse Beatrici suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure Francorum sub consueto militari servicio, iuxta Regni statuta, suo cum Regio privilegio dato XXI^o Augusti prime Inditionis 1408, et in Regie Cancellarie libro anni 1407 in cartis 349 notato, acceptavit et confirmavit. Et nihilominus quamvis dicta comitissa Beatrix modo predicto totum dictum integrum feudum Scordie Inferioris habuisset; tamen, Serenissimo Rege Alfonso regnante, eadem comitissa Beatrix a tunc Regni Proregibus de dicta eius feudi medietate, sibi ut predicatur adiudicata, per dictum primum et secundum decretum pro dicta sua dote de paragio, pro se suisque heredibus et successoribus imperpetuum, iure Francorum, XVI^o Maii XI^o Inditionis 1418 investituram reportavit.

Mortua deinde prefata comitissa Beatrice, sibi in dicta feudi Scordie Inferioris medietate successit comes Anthonius Russus Spatafora, Sclafani comes, eius filius legitimus et naturalis ac maior natus. Qui pro se suisque heredibus et successoribus imperpetuum, iure Francorum sub consueto militari servicio, de ipsa feudi medietate, ob mortem dicte eius matris, a don Lupo Ximenes Durrea, tunc Regni Prorege, cum inserto tenore omnium predictorum privilegiorum et decretorum X^o Iulii 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 460 notatam, obtinuit.

Preterea ipse comes Antonius Rubeus Spatafora de alia dicti feudi medietate per dictum comitem Henricum Rubeum iuniorem,

prefate comitisse Beatrici eius sorori in solutum data pro dictis unciis CC, ut predicatur, ab ipsomet Prorege pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, cum inserto tenore privilegiorum dicti Regis Martini, sub consueto militari servicio antiquis Regiis regaliis Regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, aliam investituram datam Panhormi V^o Iulii prime Inditionis 1453, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 391 notatam, consequutus fuit. Tamen a dicto anno 1453 usque ad annum 1504 de ipso Scordie Inferioris feudo Regia in Cancellaria nulla alia reperitur investitura. Tandem feudum ipsum ad quondam Galeoctum de Bardaxi filium Bernardi de Bardaxi, de quibus patre et filio nullus in Cancellaria apparet titulus neque investitura, pervenit; et sic ratio dari non potest quo iure ad illos pervenerit et a dicto comite Antonio Russo Spatafora defecerit.

Defuncto demum dicto Galeocto Bardaxi, sibi eodem in feudo Scordie Inferioris successit Alfonsus Bardaxi eius frater. Qui ob mortem dicti eius fratris de feudo ipso pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, a quondam Ioanne de Lanuça, Regni Prorege, XVII^o Septembris VIII^o Inditionis 1504 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 30 notatam, nactus fuit. Nec non Alfonsus predictus a Vestra Catholica Maiestate XXII Ianuarii X^o Inditionis 1507 obtinuit privilegium observatorium illius privilegii dicti Regis Martini, ut possit feudum predictum populare, de quo Viceregia emanavit executoria, in Regie Cancellarie libro dicti anni 1507 in cartis 321 notata; in quo privilegio exponitur ipsum Alfonsum in dicto feudo successisse, et tamen non assignatur ratio aliqua quo iure in eo successerit; asseruit tamen dictus Alfonsus se prefate comitisse Beatricis fuisse nepotem.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Scordie Inferioris per prefatum Alfonsum Barbaxi possidetur, quod annis singulis reddit 07. CXXX.

Unde pro Curie cautela dictus possidens ad edendum quo iure in dicto feudo successerit cogi deberet, ac ad dandum rationem de non captis investituris; inquiratur ergo illud, quod pro Regie Curie indemnitatem oportere dignoscitur, actencto quod comes Henricus Rubeus senior fuit rebellis et in ipsa rebellionem defunctus, ob quam rebellionem totus eius status Regie Curie devolutus extitit et alijs exinde concessus, prout apparet in presentiarum; nam dictum Scordie Inferioris feudum per dictum comitem Henricum Rubeum seniore tunc possessum dicto comiti Henrico Rubeo iuniori eius filio cessit alijsque suis successoribus. Qui de iure a dicti comitis

Henrici Rubei senioris rebellis eorum progenitoris successione omnino excludendi erant.

Dictusque Alfonsus Bardaxi de dicto feudo Scordie Subtane a comite de Monteleone, Locumtenente generali in Regno, ob mortem domini Regis Ferdinandi cepit investituram die XXVI Maij V^e Inditionis 1517, notatam in libro anni 1516 f. 585.

Scordia Suprana Feudum.

Feudum Scordia Superior appellatum in valle Nothi positum per quondam Ioannem de Cruylles baronem Francifontis, de quo non apparet in Cancellaria titulus, ut asseritur antiquitus possidebatur. Tandem eo defuncto, eius testamenti vigore nec non in vim cuiusdam transactionis per quondam Franciscum de Biverio tamquam tutorem filie condam Ysabelle facte, feudum ipsum Scordie Superioris ad Beatricem aliam filiam dicti condam Ioannis de Cruylles, tunc uxorem Iheronimi de Gravina baronis Palagonie, pervenit. Qui Ieronymus, veluti maritus et legitimus administrator dicte Beatricis eius uxoris, de ipso Scordia superiori feudo pro se et eius heredibus iure Francorum, cum dixisset de illo nullum repperisse privilegium, a quondam Ioanne de Lanuça, tunc Regni Vicerege, VII^o Ianuarii II^o Inditionis 1499 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1498 in cartis 424 notatam, reportavit.

In presentiarum autem, anno 1513 currente, feudum Scordia Superior predictum per Ieronimum de Gravina possidetur, quod feudum anno quolibet reddit 07. XXXX.

Habeatur ergo a dicto possidente antiquus dicti feudi Scordie Superioris titulus, ut videatur quo iure ad dictum Ioannem de Cruylles pervenerit pro Curie cautela.

Exinde vero donna Beatrix uxor dicti don Ieronymi mortua extitit, et ex eius testamentaria dispositione successit in dicto feudo don Ioannes de Gravina eius filius, qui tam ob successionem et mortem dicte eius matris quam ob mortem domini Regis Ferdinandi

cepit investituram die XVI Februarii V^o Inditionis, notata in libro anni 1516 f. 503, et tactis scripturis iuravit dictum Feudum Scordie Suprane reddere tantumdem.

Rataglusu Feudum.

Feudum Rataglusu nominatum, in valle Nothi et tenimento terre Leontini positum, per progenitores quondam Riccardi Rubei messanensis de quibus in Cancellaria titulus non apparet aliquis, antiquitus possidebatur; mortuo tandem dicto Riccardo, sibi eodem in feudo successit Damianus Rubeus eius filius. Qui coram Illerdensi Episcopo et Anthonio de Cardona, tunc Regni Proregibus, comparens, cum allegaret dictum feudum per predictum Riccardum eiusque progenitores possessum extitisse, privilegiaque et scripturas feudi eiusdem, ut suo firmavit iuramento, deperdidisse, ab ipsis Proregibus pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, constituto tamen de antiqua possessione si et pro ut dictus Damianus eo hucusque melius usus fuit, XV^o Februarii X^o Inditionis 1416 de feudo ipso investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 140 notatam, reportavit.

Perquisitis tamen per me Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1416 usque ad presens, anno 1513 decurrente, de feudo ipso nullum aliud privilegium sive scripturam actumve inveni, preter quamdam investituram VII^o Marcij VIII^o Inditionis 1506 per quondam Bernardum de Grimaldo a Ioanne de Lanuça, tunc Regni Prorege, obtentam, et in Regie Cancellarie libro anni 1505 in cartis 334 notatam; per quam apparet dictum Bernardum de Grimaldis tunc feudi ipsius possessione ob mortem Serenissime domine Regine Ysabelle, vestri Regii culminis primeve consortis, que Siracusanam Civitatem et terram ipsam Leontini ac alias terras in Reginalem cameram tenebat, de feudo ipso se investivisse, ob quod cum nil aliud Regia in Cancellaria de ipso feudo reperiatur, est a dicte Reginalis camere gubernatore de his habenda noticia.

Dictum vero feudum nunc possidetur per don Ioannem Baptistam de Barresio baronem Militelli. Eddat quia nunquam cepit de dicto feudo investituram, nec ob mortem Catholici domini nostri Ferdinandi Regis; et maxime quia in presentiarum dicta terra Leontini est in posse Sacri Regii demanii ex privilegio viceregio.

Callura et Lamia Feuda.

Feuda Callura et Lamia nuncupata, in valle Nothi et tenimento terre Leontini posita, prout asseritur, per progenitores quondam Riccardi Rubei messanensis antiquitus possidebantur; quo tamen iure nullus reperitur in Regia Cancellaria titulus. Tandem dicto Riccardo Rubeo defuncto, sibi que eodem in feudo Callura Damiano Rubeo succedente, data per eundem Damianum quondam Illerdensi Episcopo et Antonio de Cardona tunc Regni Proregibus informacione, quod ob Regni bellorum turbines privilegia et scripture dicti feudi Callura deperdita fuerant, constituto tamen de possessione, Vicereges ipsi eidem Damiano Rubeo pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum sub consueto militari servicio, ac prout dictus Damianus illo usus melius fuerat, XV^o Februarii X^o Inditionis 1416, de feudo ipso Callura investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 141 notatam, concesserunt.

Nihilominus in Regie Cancellarie Registris plures antiqui Codices, in quibus privilegia feudorum et baroniarum Regni denotata sunt, reperiuntur: et tamen de ipso Callura feudo in eis nullum apparet registratum privilegium.

Deinde autem, ut percepi, mortuo dicto Damiano Rubeo, sibi eodem in feudo successit Gulielmus Rubeus, qui de illo hac Regia in Cancellaria non cepit investituram. Et ideo ratio dari non potest, si dictus Gulielmus Rubeus filius fuit seu ex descendencia dicti Damiani. Tandem dictus Gulielmus Rubeus, carta gracie reddimendi mediante, feudum ipsum quondam Ade de Asmundo legum doctori tunc Regni magistro rationali eius sororio vendidit. Qui Adam pro feudo

ipso Callura in posse don Lupi Ximenes Durrea, tunc Regni Proregis, Regie fidelitatis et vassallagii iuramentum et homagium, in Regie Cancellarie libro anni 1441 in cartis 26 notatum, prestitit.

Postmodum autem ipsum Callura feudum ad Nicholaum Antonium de Asmundo, prefati Ade filium, pervenit.

Per cuius obitum deinde ad Ysabellam eius sororem, uxorem Nicholai de Carioso baronis Spaccafurni, devenit.

Decedente demum dicto Nicholao de Carioso, feudum ipsum Callura Vincencio de Carioso eius filio successit.

Deficiente autem dicto Vincentio de Carioso absque filijs, in feudo predicto successit Antonellus de Carioso eius frater, dicti condam Nicholai de Carioso Spaccafurni baronis filius.

Nihilominus a tempore mortis prenominati Ade de Asmundo, qui dictum feudum cum carta gracie reddimendi habuit, usque ad presens, anno 1513 decurrente, nulla reperitur in Regia Cancellaria de dicto feudo investitura. Tamen evenire potuisset quod cum dictum feudum sit in territorio Leontini positum, isti de Carioso in dicta Reginali camera de feudo ipso se investivissent, in cuius camere Reginalis archivo sint debite investiture capte. Et ideo providendum est ut habeatur de predictis a Reginali gubernatore informatio pro curie cautela.

Quiquidem Anthonellus de Carioso baro Spaccafurni ob mortem domine Serenissime Regine Ysabelle, Vestri Regii culminis diu consortis, de dicto Callura feudo nec non de dicti feudi Lamie medietate, de quo Lamia feudo superius in cartis... non nihil dixi, quod feudum Lamia in territorio Reginalis camere positum est, a quondam Ioanne de Lanuça, tunc Regni Prorege, pro se suisque heredibus iuxta formam suorum privilegiorum XIII^o Marci VIII^e Inditionis 1506 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1505 in cartis 326 notatam, consequutus fuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum Callura predictum per dictum Anthonellum de Carioso possidetur; quod anno quolibet reddit 07. . . .

Lamie Feudum.

Feudum autem Lamie, de quo superius in cartis 354, ut predictur, verba facta sunt, medietas antedicta hodie, dicto anno 1513 decurrente, per dictum Anthonellum de Carioso baronem Spaccafurni possidetur; quod anno quolibet reddit 07.. . . .

Nihilominus eadem feudi Lamie medietas processit istis de Carioso modo quo processit dictum Callura feudum videlicet: quod ultimo loco pervenit ad dictum Guillelmum Rubeum a quo eandem feudi medietatem Adam de Asmundo eius sororius habuit, carta tamen gracie reddimendi mediante, a quo Adam dictus Antonellus de Carioso modernus illius possessor, ut predictur, descendit.

Reliqua vero medietas dicti Lamie feudi non apparet in Cancellaria in cuius posse existat. Et ideo oportet ut de his a Reginali gubernatore noticia habeatur pro Curie cautela.

**Sacculinu Feudum, Rachalgibili alias Rachalbigini,
Aliano et Longarinu Feuda sive Casalla.**

De feudis sive casalibus Sacculino, Rachalgibili alias Rachalbigini, Aliano et Longarino, sitis et positis in Valle Nothi et territorijs videlicet: Sacculino in tenimento civitatis Nothi, Longarino vero in territorio civitatis Siracusarum, feudum ipsum Sacculino per quondam Galterium de Calatagirono, de quo Regia in Cancellaria titulus non apparet aliquis, antiquitus possidebatur. Quod quidem Sacculinum feudum una cum casalibus predictis Longarino, Rachalgibili alias Rachalbigini et Aliano, nec non cum nonnullis alijs territorijs, domibus, viridarijs

et alijs bonis stabilibus in infrascripto Regio privilegio denotatis, per excandenciam Regie Curie devolutum fuit. Tandem Serenissimus Rex Iacobus cum concessisset quondam Petro de Anzalono legum doctori, tunc Magne Regie Curie iudici, suisque in perpetuum heredibus uncias viginti annui redditus super Regie Curie morticijs et excandencijs in feudum sub militari servicio unius militis; et exinde per excandenciam dicta feuda et casalia ac bona nonnulla aliquarum personarum, in aliquibus Regni partibus existencia, eidem Regie Curie ut predictur devoluta fuissent, quondam Bartholomeus de Castellione, tunc secretus et magister procurator Regni Sicilie citra flumen Salsum, de provisione et mandato dicti Regis Iacobi, prefatum Petrum de Ansalone in possessionem dictorum bonorum et presertim dicti feudi Sacculini, ad ipsam Regiam Curiam devolutorum per excandenciam ut supra, induxit, sub dicto militari servicio pro annuo redditu quantitatis predictae. Que feuda et bona antedicta non reddere nisi uncias dictas viginti anno quolibet dixit, ob quod dictus Rex Iacobus eidem Petro de Ansalono suisque heredibus iure Francorum sub dicto militari servicio unius equi armati illa acceptavit et confirmavit et concessit, sicuti eodem in Regio privilegio diffusius continetur, quod est tenoris sequentis videlicet:

Iacobus Dei gratie Rex Sicilie Ducatus Apulie et Principatus Capue per presens privilegium notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris, quod iudex Petrus de Ansalone Magne Regie Curie iudex consiliarius familiaris et fidelis noster Maiestati nostre humiliter supplicavit, quod cum ei tamquam benemerito suisque heredibus imperpetuum de excandencijs et morticijs Curie nostre in annuo redditu unciarum viginti auri sub servicio unius militis de liberalitate nostra et speciali gracia nostra Serenitas providisset, et Bartholomeus de Castellione, olim in anno XIII^o Inditionis primo preterite, secretus et magister procurator Sicilie citra flumen Salsum, ad mandatum nostrum tunc per licteras ei factum, olim infra eundem annum induxerit et induci fecerit predictum iudicem Petrum et eius nuncios in corporalem possessionem subscriptorum iurium et bonorum nostre Curie sitorum in subscriptis terris et tenementis earum, que fuerunt subscriptarum personarum et per excandenciam ad manus nostre Curie rationabiliter devenerunt; sub predicto militari servicio pro annuo redditu quantitatis prescripte inductionem et assignationem possessionis bonorum ipsorum acceptare et ratificare, ac bona ipsa suisque heredibus imperpetuum de novo concedere et confirmare de benignitate Regia dignaremur; cuius supplicationibus benigne admissis, quia de premissis nec non quod pre-

dictorum bonorum provenctus predictae quantitatis pecunie valorem annum non excedunt, per scripta testimonia publica inde confecta et per eum nostre Curie assignata, que in archivo Curie conservantur, eidem Curie plene constitit, inductionem possessionis iurium et bonorum ipsorum ratificamus et acceptamus, et eas sibi suisque heredibus imperpetuum sub predicto servicio de novo concedimus et pleno favore Regio confirmamus etiam et donamus. Ita tamen quod predictus iudex Petrus eiusque heredes predicta iura et bona cum iuribus, rationibus ac pertinentijs suis sub dicto servicio a nostra Curia teneant et cognoscant, et exinde servire ipsi Curie teneantur; ita quod vivant iure Francorum videlicet: quod maior natu minoribus fratribus et coheredibus suis et feminabus masculus preferatur. Et quod si in eisdem bonis et pertinentijs suis sint aliqui barones et feudatarii, qui de baroniis et feudis eorum servire in capite nostre Curie teneantur, nobis nostrisque in dicto Regno heredibus et successoribus serviant ut tenentur. Et quod non respondeatur sibi a baronibus et feudatariis predictorum bonorum et tenimentorum suorum, nisi de his tantum que intus in eisdem bonis et territorijs eorum tenent et possident; quodque illi quibus in eisdem bonis et pertinentijs suis aliqua iura, possessiones et bona per predictos dominos parentes nostros vel nos sunt concessa ea tenere debeant, prout eis per dictos dominos parentes nostros vel nos concessa fuerunt, exceptis iuribus lignaminum, defensis antiquis, salinis, solacijs nostris et alijs bonis, massarijs Curie et castrorum nostrorum municionibus deputatis, si qua sunt in eisdem bonis et tenimentis eorum, que sunt de nostro demanio et ea velut ex antiquo ipsi demanio pertinentia. Volumus eidem Demanio reservari adque occasione presentis concessionis manus suas aliquatenus non extendant. Et si forte tenimenta seu pertinentie predictorum bonorum current usque ad mare ius, dominium et proprietas tocus lictoris et maritime predictorum bonorum et pertinentiarum ipsarum in quantum a mari infra terram per iactum baliste ipse pertinentie pretenduntur, tanquam ex antiquo ad Regiam dignitatem spectantia in nostris Demanio et dominio reserventur. Itaque animalia massariarum, araciaram et marescallarum nostrarum libere summere valeant pascua in eisdem bonis et tenimentis eorum promisso sibi suisque heredibus per nostram celsitudinem. Quod si forte processu temporis aliqua bona ex bonis predictis, tanquam ad Demanium nostrum spectantia, ad manus nostre Curie revocari vel alijs personis in eis ius habentibus contingeret, de mandato nostro restitui de eisdem bonis taliter revocandis et restituendis et sibi et suis heredibus qui tunc preerint

de alijs bonis nostre Curie sub predicta forma, equivalens ex cambium concedemus et faciemus integraliter assignari priusquam ipsa a suis manibus subtrahantur fidelitate et ordinatione nostris constitutione nostra edita in sollempni Curia nostra, celebrata in civitate Panhormi pro dicto servicio et cuiuslibet alterius iuribus semper salvis, predicta vero bona et iura sunt hec videlicet: in Leontino taberna una sita subtus hospitale eiusdem terre; census debitus annuatim pro dicto quondam Alaymo per diversas personas pro vineis earum quas tenent in tenimento terrarum, quod fuit predicti Alaymi et dicitur Sansonus de Birardo, qui consistit annuatim in uncia una et tarenis viginti quinque ponderis generalis; pecie due terrarum positarum in eodem tenimento capacitatis in semine salmarum octo; locus unus vacuus in quo fuerat ortus iuxta terras notarii Leonis; in Messana, de bonis que fuerunt Francisci de imperatore sexta pars unius vinee dicte de Paulo et sita in contrata fari, cuius relique partes sunt pro indiviso heredum quondam Marj de Afflicto; et de bonis que fuerunt quondam Mathei de Scallecta, due partes unius vinee site in contrata Lardarie prope casale Lardarie, cuius reliqua pars est uxoris predicti quondam Mathei; in Siracusia, de bonis que fuerunt quondam Galterij de Calatagirono Casale Longarini; in Notho, de bonis que fuerunt predicti quondam Galterij de Calatagirono Casale quod dicitur Sacculino; in Cathania, de bonis que fuerunt predicti quondam Alaymi de Leontino domus una sive taberna sita in contrata porte de Jacio prope Domum Guillelmi Balbu; Viridarium unum situm in contrata Santi Opuli iuxta culturam cathaniensis ecclesie; in Iacio, de bonis que fuerunt predicti quondam Alaymi Viridarium unum dictum de Calatarosata; Et In platea, de bonis que fuerunt quondam Barrasi cadell et Guillelmi Raymundi provincialium Casalia Rachalgibili et Aliani. Ad huius autem nostre concessionis, donacionis et confirmacionis memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium sibi exinde fieri et Maiestatis nostre sigillo pendenti iussimus communiri. Datum Messane anno dominice Incarnacionis 1288, mense maij ultimo eiusdem prime Indicionis, Regni nostri anno tercio.

Et licet impossibile quodam modo videatur omnia dicta feuda et bona stabilia in ipso preinserto regio privilegio regis Iacobi denotata, non nisi dictas uncias viginti annui redditus tantum reddere; tamen quomodocumque sit, per ipsum privilegium clarissime demonstratur dictum Petrum de Ansalone pro dicto reddito unciarum viginti annualium sub dicto militari servicio unius equi armati in vim dicte regie concessionis dictarum unciarum viginti super ex-

cadencijs ut supra, in omnium predictorum feudorum et bonorum et signanter prelibati feudi Sacculini possessionem fuisse semel inductum et inmissum, sub illa tamen clausula scilicet: Quod si forte processu temporis aliqua bona ex bonis predictis, tanquam ad Demanium nostrum spectantia, ad manus nostre Curie revocari vel alijs personis in eis ius habentibus contingeret de mandato nostro restitui, de eisdem bonis taliter revocandis et restituendis sibi et suis heredibus qui tunc preerint de alijs bonis nostre Curie sub predicta forma equivalens excambium concedemus et faciemus integraliter assignari, priusquam bona ipsa a suis manibus subtrahantur etc. Quamobrem Vestra Catholica Maiestas pro equivalenti excambio, modo predicto, omnia dicta feuda et bona stabilia superius annotata recuperare posset et sue regie Curie agregare. Que bona et feuda in presentiarum sunt maximi redditus et proventus, nam hodie, anno 1513 decurrente, ipsum Sacculinum feudum reddit anno quolibet uncias. . .

Nihilominus a dicto tempore Serenissimi Regis Iacobi antedicti, puta a dicto anno 1288, quo tempore fuit concessum dictum privilegium, usque ad tempus quo Serenissimus Rex Alfonsus regnabat, puta ad annum 1420, per quod tempus anni fere 132 connumerandum de dicto Sacculino feudo, et alijs predictis, ac bonis precontentis, nullum aliud privilegium sive investitura Regia in Cancellaria per successores dicti quondam Petri de Ansalone, legum doctoris, primi acquisite capta reperitur. Quo in anno 1420 quondam Iaquina tunc uxor quondam Mathei di lu re, coram tunc regni proregibus comparsens, ut de dicto Sacculino feudo se investiret, illis exposuit, quod dicto Petro de Ansalone, legum doctore, primo acquiretore defuncto, sibi in dicto Sacculino feudo successit Machalda illius filia tunc uxor Theobaldi de speciali militis, et nihilominus nullam de reliquis feudis et bonis mentionem fecit.

Quodque dicta Machalda defuncta, sibi in dicto Sacculino feudo successit Franciscus de Speciali miles eius et dicti Theobaldi iugali filius.

Et quod dicto Francisco de Speciali decedente, sibi eodem in Sacculino feudo successit ipsa Iaquina, illius filia legitima et naturalis predicti Mathei di lu re uxor, que Iaquina pro se suisque in perpetuum heredibus sub consueto militari servicio, ab ipsis proregibus de ipso Sacculino feudo XXV^o maii XIII^o Indicionis 1420, investituram in Regie Cancellarie libro anni 1418, in cartis 346 notatam obtinuit.

Quaquidem in investitura de clausula Iuris francorum, videlicet pro heredibus de corpore legitime descendentibus, iuxta formam veri tituli qui in dicta investitura insertus est nulla fit mentio.

Deinde autem predictum Sacculinum feudum ad Petrum de Fontana alias de Speciali messanensem pervenit, de quo, cum non reperitur investitura, comprehendi non potest quo iure illi cesserit.

Tandem prelibatus Petrus de Fontana alias Speciali, principis licencia mediante, feudum Sacculinum ipsum quondam Anthonio Carubeni de terra Nothi pro se suisque heredibus in perpetuum sub dicto militari servicio, pro precio unciarum CXXX, publico mediante contractu manu notari Laurencij de Notho III^o septembris III^o Indicionis 1426 celebrato, vendidit. Quem contractum cum eius inserto tenore eidem Anthonio Carubeni serenissimus Rex Alfonsus eius cum regio privilegio dato in turri octavi in anno 1451, de quo emanavit viceregia, executoria, data Panhormi XXVII Augusti XIII^o Indicionis, et in Regie Cancellarie libro anni 1450 in cartis 457 notata, servicio militari, iuribus Curie et alterius sempersalvis, simpliciter acceptavit et confirmavit.

Postmodum autem dictum Saccolino feudum quondam Raynaldo de Xurtino cessit; tamen ratio dari non potest, quo iure ad eum pervenerit. Qui Raynaldus feudum ipsum certo tempore tenuit et possedit; sed mota de inde contra eum per Ioannam de Falconibus lite, Ioanna predicta in sui favorem sententiam reportavit. Cuius virtute pro se suisque heredibus iure Francorum de feudo ipso a quondam Ioanne Lanuça tunc Regni Prorege XXIII^o iunii XIV^o Indicionis 1496 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1495 in cartis 415 notatam, reportavit. Sed quia eadem in investitura non exponitur quo iure Ioanna predicta succedere debebat in ipso feudo, ratio dari non potest si dicta Ioanna ex stirpe et linea primi acquireris recte descendit.

Exinde autem prelibatum Sacculino feudum, tam ob donacionem inrevocabilem inter vivos per dictam Ioannam Raynerio de Falconibus eius filio factam, quam ob mortem ipsius Ioanne, ad dictum Raynerium devenit.

Qui Raynerius pro se dictisque suis heredibus, iure Francorum, de ipso Sacculino Feudo a dicto Ioanne de Lanuça tunc Regni prorege, VI Aprilis V^o Indicionis 1502 investituram in Regie Cancellarie libro anni 1501, in cartis 418 notatam, reportavit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Sacculinum per dictum Raynerium de Falconibus possidetur; quod anno quolibet reddit uncias. . .

Qui Raynerius de Falconibus alias di la Fontana de dicto Sacculino feudo ob mortem domini Regis Ferdinandi a domino Hectore Pignatello, Comite Montis Leonis, in Regno locum tenenti generali, cepit investituram die XXIII Iunii V^o Indicionis 1517 notatam

in libro anni 1516 f° 789 , et iuravit esse redditus uncias XVI.

Et nature debitum solvisse dictum Raynerium, successit sibi Ioannellus de Falcono alias Fontana in dicto feudo dicti Raynerii, filius legitimus primo genitus et naturalis, qui ob mortem dicti eius patris de dicto feudo Sacculino cepit investituram a don Hectore Pignatello, in Regno Vicerege , die XXV maii VII° Indicionis 1519; notatam in libro Cancellarie anni VII° Indicionis 1518 f.° 17 et iuravit reddere tantumdem.

**Rachalgibili alias Rachalbigini Aliani Longarini
Casalia sive feuda.**

De feudis vero Rachalgibili alias Rachalbigini et Aliano ac Longarino in dicta valle Nothi existentibus tunc casalibus superius in presenti volumine in cartis . . . a primo illorum acquirentore usque ad modernum possidentem latius verba protuli: narrans de illis in Cancellaria nullum repertum esse titulum nisi aliquas investituras. Sed quia ad presens preinsertum Serenissimi Regis Iacobi privilegium repperi, in quo exponitur ipsa tria feuda Longarinum, Alianum et Rachalgibili alias Rachalbigini Regie Curie per excadenciam aperta fuisse et devoluta, una cum dictis alijs bonis stabilibus, mihi visum est de eis hoc in loco quod enarrare que feuda et bona per dictum Regem Iacobum, ut predicatur, una cum prenominate feudo Sacculino, Petro de Ansalono, legum doctore, pro reddito illarum unciarum viginti, que sibi concessa fuerant de excadencijs Regie Curie sub servicio unius equi armati concessa extiterunt; cum assertum fuisset eidem regi eadem feuda et bona stabilia non ultra dictam summam unciarum viginti annualium valere, ut ex dicto privilegio colligi potest. Credendum est dictum privilegium regis Iacobi esse verum titulum omnium predictorum feudorum tunc casalium.

Sed cum feuda ipsa in aliarum personarum posse ut superius exponitur pervenerint. Et feudorum ipsorum detentores de illis nullum demonstraverint privilegium sive titulum; sed in vim eorum

asserte antique possessionis eis investiture concessa extiterint, illeque in dies ipsis concedantur; et in presentiarum dictum regis Iacobi privilegium repertum sit, per quod apparet dicta feuda, cum dictis bonis stabilibus, pro dicto reddito unciarum viginti annualium, cum illa clausula equivalentis excambii quando illa, tamquam bona Regio Demanio contingentia revocarentur, concessa fuisse; dico, et sum opinionis eidem privilegio esse omnino standum, ipsaque feuda omnia cum dictis bonis stabilibus in ipso privilegio contentis, pro dicto equivalenti excambio dictarum unciarum XX revocari posse, et ipsi Regio Demanio agregari.

Cardinali feudum.

Feudum Cardinali nuncupatum, in valle et tenimento terre Nothi positum, per quondam Paulum Capublancum Siracusanum militem antiquitus possidebatur; quo tamen iure ad eum pervenerit, et sub qua forma illi concessum extiterit, nullus apparet in Cancellaria titulus. Tandem dictus Paulus Capublancu quondam Francisco de Aricio Siracusano pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, sub consueto militari servicio nec non sub onere census tarenorum auri quinquaginta, annuatim beneficii ecclesie Sancte Lucie maioris Civitatis Siracusanum imperpetuum solvendorum, feudi Cardinali predictum pro precio unciarum CL, publice mediante contractu manu notarij Francisci Maudala X^o Marcij, prime Indicionis 1392 celebrato, vendidit. Quo quidem in contractu regia licencia, ut decet, reservata non fuit; unde propter non habitam dictam regiam licenciam huiusmodi feudi vendicio non rite et recte processisse dicenda esset. Et sic feudum ipsum Regie Curie apertum videretur et devolutum, ad quod est recte attendendum pro curie cautela. Cuiusquidem vendicionis contractus virtute, dictus Franciscus de Aricio per longum tempus feudum ipsum tenuit et possedit et de illo nulla reperitur in Cancellaria investitura.

Mortuo exinde dicto Francisco de Aricio, sibi in dicto Cardinali feudo successit Perrellus de Aricio eius filius legitimus et natu-

ralis ac maior natu, de quo etiam in Cancellaria non reperitur investitura.

Defuncto postmodum dicto Perrello de Aricio absque filiis, sibi in eodem Cardinali feudo successit Ioannes de Aricio eius frater dicti Francisci de Aricio filius. Qui Ioannes pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, de feudo ipso ab Illerdensi Episcopo et Antonio de Cardona, tunc Regni Proregibus, quatenus dicta vendicio rite, recte et iuridice processit, Regie Curie iuribus semper salvis, in anno 1418 investituram reportavit.

Quo Ioanne de Aricio decedente, sibi in dicto Cardinali feudo successit Franciscus de Aricio eius filius. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum sub dicto et consueto militari servicio, de dicto feudo a don Lupo Ximenes Durrea, tunc Regni prorege, XXII Iulii III^e Indicionis 1456, investituram in Regie Cancellarie libro anni 1455 in cartis 498 notatam, nactus fuit.

Ipsaque Francisco de Aricio deficiente, sibi in dicto Cardinali feudo successit Ioannes de Aricio eius filius, qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, de ipso Cardinali feudo a quondam Ferdinando Dacuña tunc Regni prorege, VIII^o Decembris XI^e Indicionis 1492, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 246 notatam, consequutus fuit.

Dictoque Ioanne de Aricio exinde obeunte, sibi in dicto Cardinali feudo successit Franciscus de Aricio eius filius tunc minor. Qui pro se suisque heredibus predictis, iure Francorum, de dicto feudo a dicto Ferdinando Dacuña prorege, VI Marci XII^e Indicionis 1494 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1493 in cartis 179 notatam, habuit. In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, dictum Cardinali feudum per prefatum Franciscum de Aricio possidetur et reddit anno quolibet uncias. XX.

Qui quidem Franciscus de Aricio de huiusmodi feudo Cardinali, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna preside cepit investituram die XVIII Ianuarii V^e Indicionis notata (*sic*) in libro anni 1516 f.º 454 et iuravit reddere tantundem.

Censualia et Molendina Placie et Sancti Andree.

Censualia Regie Curie de membris et iuribus Regie Secrecie terre placie ascendunt ad summam videlicet, in pecunia unciarum duarum et tarenorum quindecim et in frumentis salmarum XXXXIII ac in ordeis salmarum XXXXI et tumminorum quatuor, sicuti per regni secreciarum capibrevium diffusius pertractatur et de modo et forma, quibus a Sacro Regio Demanio per Sicilie reges abstracta fuerunt et alijs concessa, noticia assignatur prima facie per Regiam Curiam Arnaldo Bocta militi, de quo non reperitur titulus concessa extitere et ob eius mortem exinde eidem Regie Secrecie iterum restituta fuere ac de inde per Serenissimum Regem Petrum Secundum quondam Ugoni de Lancea militi suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus in feudum, sub servicio unius equi armati Regie Curie prestando, iterum concessa cum clausula tamen, ita tamen quod dictus Ugo sui que heredes vel alius pro parte eorum nihil de dictis censualibus racione concessionis presentis in damnum seu preiudicium nostre Curie minuant seu minui paciantur, seu alicui alii forte concedantur quod si fieri forte contingerit cassum et irritum ex nunc per dictam nostram Curiam habeatur preter penam condignam in dictum militem vel eius heredes, iuxta nostrum beneplacitum inflingendam etc. nec non et cum clausula, quod si Curia nostra in futurum eligerit et voluerit censualia ipsa ad manus et teutam suam recuperare et revocare, licitum sit ei dictam revocationem facere, dum modo de equivalenti excambio dicto militi eiusque heredibus per nostram Curiam provideatur in terra de morticijs et excadencijs eiusdem Curie ad eandem spectantibus etc. quemadmodum in dicti Regis Petri Secundi privilegio, dato messane XXV Septembris X^o Indicionis 1341, hec et alia apparere dicuntur.

Mortuo deinde dicto Ugone de Lancea, sibi in dictis censualibus successit Blaschellus de Lancea eius filius qui pro se et suis heredibus eius de corpore legitime descendentibus imperpetuum, iuxta formam prefate concessionis, de censualibus predictis subdicto militare servicio unius equi a Serenissimo Rege Lodovico XXI aprilis XI^o Indicionis 1343 investituram obtinuit. Defuncto ex

inde dicto Blaschello Lancea, sibi in dictis censualibus successit Barbara mulier, eius filia legitima et naturalis, tunc Bernardi de Villardita uxor. Que cum filios non procreasset, neque procreare naturaliter sperasset, quo casu, cum ad mortem deveniret, censualia ipsa Regie Curie devolventur. Serenissimi Reges Martinus et Maria, actenta dicte Barbare sterelitate, censualia ipsa quovis modo Regie Curie contingentia eidem Bernardo de Villardita suisque in perpetuum heredibus sub dicto servicio unius equi armati eorum cum Regio privilegio, dato Cathanie XXV Octobris V^o In licionis 1396, post mortem dicte Barbare concesserunt; quod est notatum in libro Cancellarie dicti anni f.^o 2.

Nihilominus attendendum est recteque considerandum, si per dictum privilegium prefati Regis Martini preiudicatur clause reservacionis revocandi censualia predicta pro equivalenti excambio, iuxta formam primi tituli, vel ne. Nam firme essem opinionis, actento quod ipsa censualia sunt Regij Demanij regalie, que regni statutis obstantibus ab eo nullatenus alienari poterant, precipue cum per primum privilegium fuerit facta reservatio quod pro equivalenti excambio quandocumque dicte Regie Secrecie revocari et reduci possent, et in privilegio dicti Regis Martini nulla facta fuerit revocatio, neque mencio de dicta clausula reservatoria, quod utique eidem primevo privilegio standum est quodque inde sequentes concessionis iuxta formam dicti primi tituli ut supra facte fuerunt; vestraque Regia Celsitudo pro dicto equivalenti excambio censualia ipsa reddimere potest, et eidem Regie Secrecie agregare iuxta Siracusani colloquij statuta et ordinationes, tamen ad iuris dispositionem me remicto. Deficiente demum dicto Bernardo de Villardita, sibi in dictis censualibus successit Manfridus de Villardita, eius nepos, ob deficienciam seu mortem filiorum dicti Bernardi. Qui Manfridus de censualibus predictis ab infante don Petro de Aragonia quoddam obtinuit privilegium et investituram datam Calatagironi VII^o Septembris 1437, quod privilegium in Regia Cancellaria non invenitur: tamen esset valde oportuna illius inspectio pro Curie cautela, actento maxime quod omnes subsequentes investiture eidem privilegio infantis don Petri se referunt, et iuxta illius formam concesserunt extitere; nam possibile esset cum censualia ipsa sint de dicto Regio Demanio, quod in ipso privilegio aliqua fuisset apposita reservatio, que in Regie Curie favorem tendere posset, et maxime reservacio dicti equivalentis excambij.

Preterea dictus Manfridus de Villardita a quondam don Lupo Ximenes Durrea, tunc Regni Prorege, cum inserto tenore omnium

predicorum privilegiorum de censualibus ipsis, XII Iulii prime Indicionis 1453, aliam obtinuit confirmacionem.

Cumque exinde idem Manfridus de Villardita nullos ex sua coniuge procreasset filios et ex quadam Angela de Tudisco moniali in quodam monasterio existenti duos habuisset filios, Manfridum scilicet et Ioannem, Serenissimus Rex Alfonsus eius cum privilegio eosdem Manfridum et Ioannem de Villardita spurios legitimavit ac habiles et capaces et maxime in feudorum successione effecit; prout in eius regio privilegio, dato Neapoli XXVI Iulii VIII^o Indicionis 1445, continetur.

Veniens postmodum dictus Manfridus de Villardita senior ipsorum spuriorum pater ad mortem, in dictis censualibus prefatum Manfridum eius filium spurium et, ut predicatur, legitimatum heredem instituit. Deinde autem Manfridus ipse senior ante eius mortem virtute apostolice bulle date Rome in anno 1450 et sentencie inde sequute per Episcopum Cathaniensem in anno 1451 late; prefatam Angelam monialem desponsavit; et exinde obiit; ob quod prefatus Manfridus de Villardita legitimatus, ut supra, pro se suisque heredibus sub servicio unius equi, cum inserto tenore omnium predictorum privilegiorum et maxime privilegii dicte legitimacionis, ab archiepiscopo panormitano tunc Regni preside, XV Maij II^o Indicionis investituram, in Regie Cancellarie libro dicti anni 1453 in cartis 338 notatam, obtinuit.

Aliamque similiter a don Lupo Ximenes Durrea, tunc Regni Prorege, investituram, in Regie Cancellarie eiusdem anni 1451 libro in cartis 602 registratam, obtinuit.

Deficiente demum dicto Manfrido de Villardita, sibi in dictis censualibus successit Bernardus de Villardita eius filius, qui ob mortem dicti eius patris de illis investituram non apparet accepisse, nisi tantum ob mortem Serenissimi Regis Ioannis in Regie Cancellarie libro anni 1479 in cartis 144 notatam.

Obeunte similiter dicto Bernardo de Villardita alias de Mohac, sibi in eisdem censualibus successit Manfridus de Villardita et de Modica eius filius, qui de censualibus ipsis pro se suisque in perpetuum heredibus iuxta formam suorum privilegiorum a Ioanne de Lanuça, tunc Regni Prorege, XVI Ianuarii XV Indicionis 1497 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1496 in cartis 218 notatam, nactus fuit.

Decedente demum dicto ultimo Manfrido de Villardita et Mohac, sibi in ipsis censualibus successit Petrus de Villardita, eius frater secundo genitus. Qui de ipsis censualibus a dicto Ioanne de Lanuça Prorege

similiter investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1499 in cartis 498 notatam, consequutus fuit.

In presentiarum autem, anno 1507 decurrente, dicta Censualia per prefatum Petrum de Villardita possidentur; que anno quolibet reddunt, 07 LX.

Nihilominus inquirendum est, si dicta Censualia transcendunt summam frumentorum, ordeorum et pecuniarum in primo titulo taxatam. Nam, visis dicte Regie Secrecie terre placie compotis, non inveni in illis de aliquo pluri quam dicta sunt censualia aliquem fieri introytum; et esse possit quod dicta censualia maiorem redderent summam dictis frumentis, ordeis et pecunia in dicto titulo taxatis quod superfluum Regie Curie esse deberet, premaxime cum ipsi de Villardita in dictis censualibus omnia molendina et saltus aquarum terre predicte et Sancte Andree, ac eorum territoriorum et fluminum, de quibus in dictis antiquis titulis et privilegiis prenotatis nulla fit mencio incluserint; de quibus molendinis Regia in Cancellaria nullus alius invenitur titulus preter quoddam privilegium a Serenissimo Rege Martino emanatum, per quod apparet regem ipsum eidem Bernardo de Villardita suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, totum integrum ius annui census sive censualia salmarum XXX frumenti et XV ordeis, que olim Ioannis de Damiata de placia annuatim super certis molendinis ecclesie Sancti Andree de dicta terra placie percipiebat, in feudum concessisse. Que censualia Regie Curie ob rebellionem dicti Ioannis de Damiata devoluta fuerant, sicuti in eius regio privilegio dato Cathanie XVI^o Ianuarii VI^o Indicionis 1397 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 195 notato, continetur: et ideo pro Curie cautela de omnibus veritas inquiretur. Tamen silencio pretermittendum non censeo illud quod in dicto regni secreciarum capibrevio dictum est, videlicet quod prefati Manfredus et Ioannes de Villardita fratres filii spurii dicti Manfredi de Villardita, tunc coniugati, et Angele de Tudisco monialis professe legate Deo et in sacris ordinibus constitute in monasterio clauso de observantia, in feudis et regalijs regii patrimonii pacto aliquo succedere non poterant; quodque minus dictus Rex Alfonsus prefatos bastardos, ex incestu et damnatissimo coytu provenientes, legitimare ac habiles et capaces in successorum preiudicium reddere poterat, premaxime cum ex homine, ut predicatur, coniugato et non soluto ac ex muliere moniali cum deo ligata procreati fuerint.

Mortuo demum dicto Petro de Villardita, sibi in dictis censualibus successit Laurea de Villardita alias de Mohac eius amita, uxor

Bernardini de Barbarino. Que de censualibus ipsis pro se suisque heredibus et successoribus a don Raymundo de Cardona tunc Regni Vicerege VII^o Novembris XII^o Indicionis 1508 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 122 notatam, obtinuit. E per ipsum in presentiarum, anno 1513 decurrente, possidentur.

Dicta vero Laurea, relicta condam Bernardini de Barbarino, ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi de dictis censualibus a don Ioanne de Luna preside cepit investituram die XVIII^o Ianuarii V^o Indicionis 1517, notatam in libro anni 1516 f.^o 405. Et Ioannes Philippus de Assinatro eius procurator in animam constituentis iuravit reddere tantumdem.

Cachartini alias Sancti Marci Feudum.

Feudum Cachartini alias Sancti Marci nuncupatum, in valle et territorio terre Nothi existens, per quondam Actardum Barbilata de Notho, de quo non reperitur titulus, possidebatur. Tandem Actardus predictus feudum ipsum quondam Nicholao Speciali de terra eadem, tunc Regio Thesaurario, pro precio unciarum CCL puplico contractu acto manu notarii Laurencii de Notho XXVII Iunii 1418 celebrato mediante vendidit: quam vendicionem Vicereges, qui tunc in regno preerant, eidem Nicholao de Speciali suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus in perpetuum, iure Francorum, sub consueto militari servicio, regiis antiquis regalijs regni Constitutionibus Regieque Curie iuribus semper salvis, eorum cum viceregio privilegio dato Panhormi penultimo Maii XIII^o Indicionis 1420, et in Regie Cancellarie libro anni 1419 in cartis 372 notato, in quo dicti contracti tenor insertus est, acceptarunt et confirmarunt.

Mortuo exinde dicto Nicholao de Speciali (quia cum eius testamento manu notarii Philippi de Pullicino II^o Octobris VII^o Indicionis 1443 celebrato, voluit et ordinavit quod dictum feudum ad Vassallum de Speciali eius filium, ipsiusque Vassalli filios masculos eius de corpore legitime descendentes, perveniret; et casu quo ipse Vas-

sallus sine filiis masculis, vel filii sui masculi et illorum filiorum filii in minori vel in maiori etate, sine liberis ex eis legitime descendentibus decederent, feudum predictum suo universali herede constituto restituere- tur) Vassallus predictus dicto Nicholao de Speciali eius patri in dicto feudo Cachartini sive Sancti Marci successit. Qui Vassallus pro se et dictis suis heredibus legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, de dicto feudo cum inserto tenore dicti contractus et investiture a don Lupo Ximenes Durrea, tunc Regni Prorege, V^o Iulii prime Indicionis 1453 investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 243 notatam, obtinuit.

Deinde autem feudum Cachartini sive Sancti Marci antedictum in posse quondam Ioannis de Bonaiuto senioris siracusani devenit, tamen in Cancellaria nullus apparet actus sive scriptura dictans quo Iure ad eum pervenerit. Verum quedam reperitur investiture nota per eum capta ob mortem Serenissimi Regis Ioannis, data Panhormi II^o Augusti XII^o Indicionis 1478, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 563 notata.

Perquisitis tamen Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1453 usque ad presens, anno 1513 decurrente, nullam aliam investituram sive actum de feudo ipso in personam predictorum de Bonaiuto inveni. Verum in libro anni 1505 VIII^o Indicionis, in cartis 247, quedam reperitur investiture nota, per quam apparet feudum ipsum ad Nicholaum de Speciali pervenisse, et post illius obitum Blancucie eius filie legitime et naturali ac primogenite cecidisse; et ob ipsius Blancucie obitum ad Catherinellam prefate Blancucie sororem devenisse: que Catherinella pro se suisque heredibus et successoribus in perpetuum de feudo ipso Sancti Marci, ob mortem dicte eius sororis, a Ioanne de Lanuça, tunc Regni Prorege, XII^o Decembris VIII^o Indicionis 1505, dictam investituram obtinuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum, ut opinor, per dictam Catherinellam possidetur; quod feudum anno quolibet reddit. 07 LII.

Dictaque Catherinella ob mortem domini Regis Ferdinandi de dicto feudo Cachartini alias Sancti Marci a don Ioanne de Luna preside cepit investituram die XVI Ianuarii V^o Indicionis, notatam in libro Cancellarie anni 1516 in cartis 400 et don Augustinus de Constantino eius procurator iuravit reddere tantundem.

Cavalera Feudum.

Cavalera feudum, in valle Nothi et Comitatu Adernionis et tenimento feudo Centurbii ultra flumen Salsum existens, de membris et pertinencijs feudi Centurbii antiquitus fuerat. De quo feudo, sive quota feudi, Screnissimo Rege Ludovico regnante, quondam Matheus de Sclafano tunc dicti Comitatus Comes ac terre Chimine dominus quondam Corrado et Philippo de Montiliono fratribus eorumque in perpetuum heredibus, illorum servitorum intuitu, donacionem fecit inter vivos irrevocabilem. Que quota pars incipit a fundaco dicto de Centurbio versus planiciem sive planam dictam di la Cavalera ipso fundaco in dicto territorio incluso, et sic per alios terminos circum circa dictam planiciem et fundacum in quo feudo di la Cavalera, seu quota feudi tantam terrarum quantitatem certis finibus designatam interclusit: quod anno quolibet ipsis fratribus uncias quiquaginta quatuor redderet, videlicet, dicto Corrado uncias triginta, prefato vero Philippo reliquas; quod feudum seu quotam feudi dictus Comes donator a prestacione cuiuslibet servicii tam personalis quam realis exemit et liberavit, nullumque ius in eodem tenimento et ipsius iuribus dominio et proprietate sibi suisque heredibus reservavit, prout in quodam puplico contractu, acto manu quondam notarii Bernardi Scurti VIII^o Septembris VIII^o Indicionis 1354, continetur. In quo est etiam huiusmodi clausula, scilicet: quod si pro dicto tenimento donato servitium aliquod Curie debeatur speciale, aut cum alio feudo modo aliquo sit inde connexum, quod dictum servitium pro eo debitum reliquo feudo incumbat. Ita quod tam dictus donator quam successores sui ad successionem dicti reliqui feudi iure precario et civili, seu aliquo alio modo venientes, sint pro servitio dicti donati tenimenti perpetuo obligati, et pro eo Curie servire teneantur, libero remanente dictis donatarijs et heredibus, ut supra, tenimento predicto etc.

Finaliter autem feudum predictum sive terrarum tenimentum alteri ex dictis donatarijs, puta ad dictum Philippum de Montiliano (*sic*) pervenit; qui in ultimis quibus decessit quondam Disiatam eius filiam, tunc notarii Luce de Pullastra panhormitani uxorem, eius instituit

universalem heredem; unde dictus notarius Luchas Pullastra et prefata Disiata iugales una cum eorum filijs et filiabus ipsum terrarum tenimentum di la Cavallera tenuerunt et possiderunt.

Mortua exinde dicta Disiata, sibi successerunt Colina et Violans mulieres eius filie et dicti notarii Luce in dicta quota feudi seu terrarum tenimento. Defunctis postmodum successive prefatis Colina et Violante in minori etate, eadem in quota feudi illis successit prefatus Luchas Pullastra earum pater, maritus dicte quondam Disiate illarum matris. Qui notarius Luchas Pullastra pro se suisque in perpetuum heredibus et successoribus de ipsa donatione feudi prefato Philippo de Montiliano patri prelibate Disiate, eius uxoris, per pre-nominatum Adernionis Comitem facta, a Serenissimo Rege Martino confirmationem obtinuit; cum clausula tamen sorvicio militari iuxta preinserti instrumenti donacionis predicte continenciam et tenorem, nostre Curie penitus reservato etc: sicuti in quodam ipsius regis Martini privilegio, dato in eius Regia Domo de Belguard territorij Barchinone primo Maii III^e Indicionis 1410 late patet.

Deinde vero dictus notarius Luchas Pullastra et quedam Bartholomia alia eius uxor, ac Gerardus eorum filius tunc etatis fere annorum XVIII cum consensu aliorum filiorum et filiarum minorum de novem partibus dicti feudi la Cavallera quatuor partes a condam notario Bartholomeo de Bonajuto Cathaniensi suisque imperpetuum heredibus liberis et exemptas a Regio militari servicio alijsque oneribus cuiuslibet alterius servitutis pro unciis LXV, puplico mediante contractu acto manu notarii Anthonij de Candella Panhormite XXVI Julij VII. Indicionis 1428, vendiderunt. Qui notarius Bartholomeus de Bonajuto pro se suisque heredibus et successoribus, prestito per eum iuramento et homagio iuxta regni Constituciones, de ipsa vendicione dicte quote feudi cum inserto tenore privilegij dicti regis Martini a tunc Regni Proregibus XXVII Augusti VI^e Indicionis 1428 confirmationem obtinuit.

Decedente demum dicto notario Bartholomeo de Bonajuto, sibi ex eius testamentaria dispositione successit Ioannes de Bonayuto eius filius. Qui pro se suisque heredibus et successoribus, iuxta formam dictorum privilegiorum, de ipsis quatuor partibus ex prelibatis novem dicti feudi a condam Don Lupo Ximenen Durrea tunc Regni Prorege XXVI Iulij prime Indicionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 491 notatam, consequutus fuit.

Ipsoque Ioanne de Bonayuto decedente, sibi in eisdem quatuor partibus feudi successit Ioannes de Bonajuto iunior dicti condam Ioannis senioris nepos. Qui Ioannes iunior, tam ut heres particularis

quam ut donatarius dicti Ioannis senioris eius avi paterni, pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus de eisdem quatuor feudi partibus a condam Ioanne de Lanuça, tunc regni prorege, XIII maii VII^e Indicionis 1504 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1508 in cartis 378 notatam, nactus fuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, dicte quatuor partes ex novem partibus ipsius feudi la Cavalera per dictum Ioannem Bonayuto iuniorem possidentur: que anno quolibet reddunt uncias . . .

Inquiratur itaque in cuius posse dicte quinque partes feudi predicti la Cavalera restantes ex novem prenotatis existant et quo titulo possideantur, ut in rollo noviter conficiendo apponantur; nam regio militari servicio sicut relique quatuor partes tenentur. Que quinque partes anno quolibet iuxta donacionem dicti condam Comitum Adernionis donatoris reddunt uncias XXX.

Sed quia in rollo antiquo feudum la Cavalera notatum est prout in magno capibrevio in cartis 421 continetur, ideo in dicto rollo novo etiam denotetur.

Preterea attendendum est, mortuis prenominatis Colina et Violante filiabus prefate Disiate et prelibati notarii Luce Pullastra venditoris iugalium dicte quote feudi possessoribus, si idem notarius Lucas, qui de stirpe dicti Philippi de Montiliano primi acquisite non fuit, in eadem feudi quota succedere poterat; tamen in vim Regie pragmatice POST BELLA, de qua superius pluries pertractavi, Regia Curia feudum ipsum la Cavalera recuperare posset.

Perquisitis denique Regie Cancellarie codicibus, in quodam ex eis anni videlicet 1510 in cartis 598 quamdam inveni investiture notam, per quam apparet prenominatum Ioannem de Bonajuto iuniorem de reliquis quinque partibus feudi predicti la Cavalera, que penes illos de Pullastra remansisse videntur, se investivisse ob vendicionem de eis sibi factam per don Anthonium de Montecatheno, ad presens dicti Adernionis comitatus Comitem, ut procuratorem dicti don Guillelmi Raymundi de Montecatheno eius patris, ut de ipsa vendicione vigore publici contractus manu notarii Ieronymi de Collo, VIII Ianuarii XIII^e Indicionis 1509 celebrati, continetur. Et nihominus ipsa in investitura nulla fit mentio quo iure ipse quinque partes feudi eiusdem a prefato notario Luca Pullastra, cuius erant omnes dicte novem partes feudi, defecerint et ad dictum Adernionis Comitem pervenerint; et ideo possidens ad edendum iura sua compelli deberet.

In presentiarum autem, anno predicto 1513 decurrente, ipse

quinque partes feudi la Cavalera per prefatum Ioannem de Bono-ajuto iuniorem etiam possidentur.

Capudarsu Feudum

Feudum Capudarsu appellatum, in valle Nothi et territorio terre Castri Ioannis positum, quod antiquitus terrarum tenimentum de membris Regie Secrecie dicte terre fuerat, quondam Philippo de Pantosa de terra eadem suisque in perpetuum heredibus cum omnibus iuribus rationibus tenimentis et pertinencijs suis, videlicet, que sunt de demanio in demanium, et que de servicio in servicium, sub consueto militari servicio iure Francorum, Serenissimus Rex Federicus tercius concessit. In cuius possessionem de Regis predicti mandato idem Philippus Pantosa per Guillelmum de Rosello de terra eadem, tanquam procuratorem bonorum et iurium Regie Curie ad dictum secrecie officium spectancium, inmissus fuit; Regiis antiquis regolijs regni Constitutionibus et iuribus Curie semper salvis, prout in eius Regio privilegio, dato apud Castrum Ioannem XIII^o novembris XIII^o Indicionis 1299, late patet.

Cuius privilegii virtute dictus Philippus de Pantosa feudum ipsum tenuit et possedit. Quo exinde mortuo, sibi in dicto feudo successit Galterius de Pantosa miles eius filius, qui pro se eiusque heredibus de ipso feudo seu terrarum tenimento Capudarsu, iuxta formam prenotati privilegii, a dicto Rege Federico, regni Constitutionibus iuribusque Curie semper salvis, confirmationem et investituram, datas messane V^o septembris V^o Indicionis 1321, reportavit.

Ipsoque Galterio Pantosa ad mortem deveniente, in ultimis quibus decessit per eius testamentum quondam notarium Gulielmum de Panhormo alias de Pantosa eius nepotem suum instituit heredem; sub condicione tamen quod idem Gallerius deinceps de Pantosa cognominaretur. Quodque si ipsum suum heredem sine liberis maribus mori contigisset, hereditas ipsa ad partem ipsius notarii Gulielmi devolveretur, sicuti in ipso testamento contineri asseritur; sub qua tamen dispositione obiit, superstite sibi dicto notario Gulielmo eius herede et in dicto feudo successore: et sic idem notarius Gulielmus eodem in feudo successit. Quam hereditariam institutionem, quatenus iuste rite et racionabiliter facta extitit, sub lege in

dicto testamento apposita, idem Serenissimus Rex Federicus prefato notario Guillelmo iuxta formam dicti privilegii suisque imperpetuum heredibus, iuribus Curie semper salvis, eius cum Regio privilegio, dato Cathanie XXIIII Iunii V^o Indicionis 1337, confirmavit.

Defuncto tandem dicto notario Gulielmo de Pantosa, ipsum Capudarsu feudum ad quondam Philippum de Pantosa et de Lecto de terra Calaxibecte, filium quondam Elionore filie eiusdem notarii Gulielmi, pervenit.

Mortua prius dicta Leonora cui Philippus ipse de Leto eius filius legitimus et naturalis successit; qui Philippus de Leto ob mortem dicte Leonore eius inatris de ipso feudo Capudarsu pro se suisque imperpetuum heredibus, sub consueto militari servicio, a tunc regni proregibus ultimo Novembris X^o Indicionis 1416 investituram obtinuit. Et nihilominus ipsa in investitura non exponitur quinam fuerit maritus dicte Leonore et prefati Philippi pater, ad quod edendum possidens cogi posset, cum in Cancellaria de illis nulla reperiatur investitura.

Decedente exinde dicto Philippo de Leto, sibi in dicto feudo successit Letus de Leto eius filius. Qui pro se suisque imperpetuum heredibus de feudo, sub consueto militari servicio, XV Februarii XV^o Indicionis 1421 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 145 registratam, reportavit.

Mortuo postmodum dicto Leto de Leto, sibi in eodem feudo Capudarsu successit Franciscus de Leto eius filius legitimus et naturalis, qui pro se dictisque suis heredibus, iure Francorum, de prelibato feudo sub consueto militari servicio a don Lupo Ximenem Durrea, tunc regni prorege, XX^o Octobris VI^o Indicionis 1457 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 396 registratam, habuit.

Deinde autem idem Franciscus de Leto, pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, a Serenissimo Rege Ioanne Vestre Catholice Maiestatis genitore iuris dohane, arrantarie et baiulie agrestis Regie Curie contingentis, prout ceteri feudatarii dicte terre Castri Ioannis, iurata plenius et melius consequebantur, ac Regia Curia illa habebat, eius cum regio privilegio dato in villa de Fragra XXVIII Septembris VIII^o Indicionis 1460, de quo viceregia emanavit executoria cum clausula: nullo preiudicio generato salarijs Castri et aliorum officialium secrecie et assignacionibus anterioribus, que sunt in dicta secrecia, data Panhormi X^o Februarii VIII^o Indicionis 1460, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 306 notata, concessionem assequutus fuit.

Obeunte demum dicto Francisco de Leto, sibi in dicto Capudarsu feudo successit Letus de Leto eius filius et Garite eius uxoris filie Ioannis Collitorti, pro quo Leto de Leto, tunc minore annis fere quinque, dicta Garita eius mater balia et tutrix, pro se et dicti minoris heredibus, a don Lupo Ximenem Durrea, tunc regni Prorege, iure Francorum, XII^o Octobris VIII^o Indicionis 1474 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 313 notatam, nactus fuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Capudarsu per prefatum Leto de Leto possidetur; quod anno quolibet reddit 07 LX.

Advertatur tamen, quod dictum Capudarsu feudum antiquitus fuit terrarum tenimentum de membris et iuribus Regie Secrecie dicte terre Castri Ioannis, scilicet membrum Regii patrimonii, et quod pro servicijs dicti quodam Philippi Pantosa Regi Federico tercio antedicto prestitis, fuit ipsum terrarum tenimentum sive feudum a dicta Regia Secrecia segregatum, et eidem Philippo Pantosa concessum.

Dictusque Letus de Leto cepit a don Ioanne de Luna preside investituram dicti feudi ob mortem Catholici domini nostri Ferdinandi Regis die XVIII Decembris V^o Indicionis 1516, notatam in libro Cancellarie dicti anni f.º 311, et iuravit, tactis scripturis, dictum feudum reddere tantumdem.

Rachali alias Radali Feudum.

Feudum Rachali alias Radali nuncupatum, in valle Nothi et territorio terre Butere positum, per quondam Bernardum de Villardita, de quo in Cancellaria nullus apparet titulus, ut asseritur, antiquitus possidebatur, quod exinde filijs prefati Bernardi cessit. Qui filii dicti Bernardi, cum postmodum absque filijs decessissent, feudum predictum ad Manfridum de Modica prelibati Bernardi de Villardita pervenit. Qui Manfridus, Serenissimo Rege Alfonso regnante, cum in manibus don Lupi Ximenem Durrea tunc in regno Proregis iurasset,

de ipso feudo nullum habuisse privilegium, sed tantum constito de possessione citra annos XXX, ab ipso Prorege de feudo predicto, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, antiquis regalibus regni, Constitutionibus iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, VIII Iulii prime Indicionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 82 notatam, reportavit.

Ipsoque Manfrido de Modica et de Villardita ipsum feudum Rachali tenente et possidente, quedam monialis sive monacha sacrata nomine Angela de Tudiscis, in monasterio terre Placie existens, eidem Manfrido se carnaliter coniuxit, cum qua Manfridus ipse sacrilego et dannato coytu duos filios procreavit spurios. Quos exinde dictus Serenissimus Rex Alfonsus, eius cum regio privilegio, legitimavit; et ad successionem dicti eorum patris habiles et capaces effecti in censualibus et molendinis terre Placie in feudum concessis successerunt. Postmodum autem, bulla quadam apostolica et sententia per Cathaniensem Episcopum ad hec delegatum lata mediantibus, Manfrido de Modica predicto prefata Angela monialis, ut supra, matrimonio iuncta fuit; post ipsam autem dispensacionem iugales ipsi filios procrearunt. Quorum unus nomine Anthonellus de Modica de Villardita primogenitus ex institucione dicti Manfridi eius patris in dicto Rachali alias Radali feudo successit. Qui Anthonellus pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, antiquis, regalibus iuribusque Curie et alterius semper salvis, de ipso feudo a panhormitano Archiepiscopo, tunc regni preside, X^o maii II^o indicionis 1454 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1453, II^o Indicionis in cartis 344 notatam, obtinuit.

Nihilominus videndum est, si dictus Anthonellus cum fuerit filius monialis sacrate, quantumcumque desponsata fuerit, ipsa monialis dispensacione apostolica precedente, in dicto feudo succedere poterat, cum dispensacio ipsa in fraudem regii demanii facta fuerit, nullo privilegio seu dispensacione ac regio consensu in dicta successione prehabito.

Decedente postmodum dicto Anthonello de Modica et de Villardita, sibi eodem in feudo successit Baptista de Modica, eius filius, de quo in Cancelleria titulus non apparet.

Deficiente demum dicto Baptista de Modica, sibi in feudo ipso successit Joannes Petrus de Villardita alias de Modica eius filius. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum, de feudo ipso Radali alias Rachali a don Ugone

de Montecatheno, regni moderno prorege, V^o Iunii XIII^o Indicionis 1511, investituram in Regie Cancellerie libro anni 1510, in cartis 608 notatam, nactus fuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, ipsum Rachali alias Radali feudum per predictum Ioannem Petrum de Modica alias de Villardita possidetur; quod feudum annis singulis reddit 07.

Dictus vero Ioannis Petrus de Villardita alias de Modica de dicto feudo Radali, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna Preside cepit investituram die XVI^o Ianuarii V^o Indicionis notata in libro anni 1516 f. 465; et dominus Anthoninus de Biscardu, legum doctor, eius procurator in animam constituentis iuravit dictum feudum reddere uncias 07. LXX.

Petra Chanziri feudum, Castelluzo, Montagna di lu Sarachino, Calabrisi, Flumi di Marocta, Valli di Partisina, Manca di lu Grillu terrarum tenimenta.

Feudum Petra Chanziri vulgo nuncupatum, in valle Notli sive Castri Joannis et territorio terre Calaxibecte positum, septem terrarum corpora sive tenimenta contigua et in se divisa antiquitus fuerant; quorum unum Castelluzo nominabatur, reliquum Petra Chanziri, tertium Montagna di lu Sarachino, quartum Calabrisi, quintum lu Flumi di Marocta, sextum Valli di Partisina et septimum Manca di lu Grillu, et per quondam Ioannem Labruto de ipsa Calaxibecta terra possidebantur. Ad cuius supplicationem quondam Rogerius de Paruta, tunc in regno prorex, Regia auctoritate sibi sufficienter impensa eadem septem territoria infeudavit, et ad unum tantum corpus feudi plani perpetuo reduxit, illudque feudum Petra Chanziri nominavit, et ad consuetum militare regium servicium obligavit. Pro qua quidem infeudacione obtinenda, idem Ioannes Labruto Regie Curie quadam pecuniarum quantitate subvenit, sicuti quodam in privilegio per dictum proregem eidem Ioanni Labruto concesso, in quo regie antique regalie regni Constitutiones et iura Regie Curie reservantur;

dato Panhormi XV^o ianuari, II^o Indicionis 1438, et in Regie Cancellerie libro dicti anni in cartis 194 notato, hec et alia diffusius continentur.

In anno vero 1479, feudum ipsum Petra Chanziri in posse Ioannis Andree Labruto pervenit. Qui ob mortem eius progenitorum non reperitur in Cancelleria investituram cepisse, nisi ob mortem Serenissimi Regis Ioannis Vestre Catholice Maiestatis genitoris, que investitura in Regia Cancellerie libro anni 1479, in cartis 15 notata est.

A quo quidem anno 1479 usque ad presens, auno 1513 decurrente, de ipso Petre Chanziri feudo nulla alia investitura sive scriptura ipsa in Cancelleria reperitur; minusque percipere potui in cuius posse existat ipsum feudum, ac in rollo descriptum non apparet; quo casu comprehendi debet feudum ipsum fuisse occupatum regiasque regalis (*sic*) et dirictus ac militare servicium iniuste et perperam detecta esse. Et ideo ad regie Curie indemnitatem providendum est pro eiusdem Curie cautela.

Carchichira feudum.

Feudum Carchichira nuncupatum, in valle et territorio Nothi positum per quondam Muchium Landolina de Notho, de quo nullus in Cancelleria titulus reperitur, antiquitus possidebatur. Qui cum coram tunc regni proregibus comparuisset, sacramentoque firmasset: tam Ioannem Landolina eius avum quam Vassallum Landolina eius patrem ceterosque eius progenitores feudum predictum, a tanto tempore cuius hominum memoria in contrarium non existerat, tenuisse et successivis temporibus possedisse, seque ob mortem dicti Vassalli eius patris eodem in feudo successisse: quodque suas ad manus de illo nullum pervenerat privilegium pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum, sub consueto militari servicio regni Constitutionibus antiquis regaliis et iuribus Regie Curie semper salvis, de feudo ipso a dictis proregibus in anno 1418 investituram reportavit.

Mortuo deinde dicto muchio Landolina ; sibi in dicto Carchichira feudo successit Joannes Vassallus Landolina eius filius legitimus et naturalis. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, de feudo ipso a don Lupo Ximenem Durrea, tunc regni prorege, II° aprilis III° Indicionis 1456, investituram, in regie cancellarie libro anni 1455 in cartis 426 notatam, obtinuit.

Defuncto postmodum dicto Joanne Vassallo Landolina sine filiis, sibi in dicto Carchichira feudo successit Eleonora, eius soror, uxor dicti Nicholai Lulianti. Que ob mortem dicti eius fratris a Don Gaspare De Spes, tunc regni prorege, de feudo ipso pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum, XVI° decembris XIII° indicionis 1479, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 179 notatam, consequuta fuit. Mox autem ipsa Leonora Lulianti decedente, sibi in dicto Carchichira feudo successit Beatrix Landolina eius filia legitima et naturalis. Que , pro se suisque heredibus de corpore legitime descendentibus, iure francorum, de feudo ipso a don Juliano Centelles, tunc regni preside, XXIII° decembris 1488 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 55 notatam, nacta extitit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, ipsum Carchichira feudum per dictam Beatricem, que est uxor Baldassaris de Septimo, possidetur; quod anno quolibet reddit . . . 07 XVI.

Ipsaque Beatrix de feudo ipso, ob mortem domini regis Ferdinandi, a Don Ioanne de Luna preside cepit investituram, die XXII° Ianuarii V. indicionis, notatam in libro Cancellarie anni 1517 f. 435; et Blasius Bonascontro eius procurator in animam constituentis iuravit dictum feudum reddere tantumdem.

Pancica feudum.

Feudum Pancica, in valle Nothi et territorio Castri Ioannis positum, per quondam Iacobum de Matrachia terre eiusdem Castri Ioannis, pro territorio eodem nomine Pancica appellato, possidebatur. Qui cum territorium ipsum infeudare peroptasset, ad sui applica-

tionem don Lupus Ximenem Durrrea tunc regni prorex territorium ipsum infeudavit et in feudum antiquum et quaternatum cum iuribus herbagiorum, accusationibus civilibus, animalium venacionibus, piscationibus, pratis, montibus, planis, terris cultis et incultis etc. pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum, sub consueto militari servicio antiquis regaliis et Regie Curie iuribus semper salvis, eius cum Viceregio Privilegio, dato Panhormi XX^o marcij III^e indictionis 1456, et in Regie Cancellarie libro anni 1455 in cartis 442 notato, erexit.

Mortuo deinde dicto Jacobo Matrachia, sibi in dicto feudo Pancica successit Dantes Matrachia eius filius legitimus et naturalis. Qui, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum, sub consueto militari servicio, a dicto don Lupo Vicerege de feudo ipso XXI^o maii VII^e indictionis 1474 investituram, in regie cancellarie libro anni 1473, in cartis 484 notatam, habuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Pancica per prefatum Dantem possidetur; quod feudum anno quolibet reddit 07. . . .

Dictus vero Dantes exinde mortuus extitit, et successit sibi in dicto feudo..... de Matrachia eius filius et heres et hodie, currente dicto anno 1513, illud possidetur per eundem.

Nihilominus percepi quod dictum feudum fuit revocatum et reductum in demanium terre Castri Joannis.

Jorgia alias Matriona feudum.

Feudum Jorgia alias Matriona, in valle Nothi et territorio Castri Joannis positum, terrarum tenimentum antiquitus fuerat per quondam Petrum de Matriona possessum. Quo desiderante territorium ipsum infeudari, don Lupus Ximenes Durrea, tunc regni prorex, ad illius supplicationem pro eodem Petro de Matriona suisque in perpetuum heredibus et successoribus, sub servicio militari unius ba-

listarii, territorium ipsum regio nomine infeudavit, et in feudum, ac si esset quaternatum in seecra civitatis Messane, erexit; illudque a jurisdictione quorumcumque officialium dicte terre Castri Joannis et aliarum terrarum et locorum regni, super quo magna Regia Curia tantum cognoscere deberet, antiquis regalijs iuribusque Regie Curie semper salvis, liberavit et penitus exemit. Pro qua infeudacione, idem Petrus de Matrone Regie Curie uncias XXX pro succurrendo Regie Curie necessitatibus persolvit; prout in eius cum viceregio privilegio, dato Panhormi XXVII^o Augusti VIII^e indicionis 1445, et in Regie Cancellarie libro anni 1444 in cartis 593 notato, continetur.

Deinde vero idem prorex, alio cum eius regio privilegio dato Panhormi XXIII^o Januari prime indicionis 1452, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 95 notato, eidem Petro de Matrone suisque in perpetuum heredibus predictis concessit: quod eidem feudo Jorgie, alias Matrone, salmatas viginti terrarum, quas dicto feudo coniunctas possidebat, unire potuisset et incorporare, illasque sub nomine eiusdem feudi sub eodem militari servicio unius Balistarii, iuxta formam dicti primi Viceregii privilegii invocare et retinere, sicuti in ipso viceregio privilegio continetur.

Perquisitis itaque Regie Cancellarie codicibus a dicto anno 1452 usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, de ipso Jurgia feudo alias Matrone nullum aliud privilegium sive investituram repperi, minusque inveni feudum ipsum in regni feudorum rollo antiquo descriptum esse. Unde manifeste liquet Regie Curie non modicam commissam fuisse fraudem tam pro dicto Jurgia feudo quam pro quampluribus alijs feudis, que in presenti compendio leguntur. In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, ipsum Jurgia feudum per..... possidetur quod anno quolibet reddit . . . 07.

Feudum li Puzilli de territorio feudi di lo Murgjo.

Feudum vocatum li Puzilli, de membris feudi Murgj, positi in valle Nothi prope tenimentum terre Leontini, fuit, licencia viceregia preheunte, venditum per Matheum Scammacca baronem dicti feudi, carta gracie reddimendi quandocumque, Bastiano Sgalambro

pro florenis octo mille virtute contractus acti manu notarii Ioannis Anthonii Marciano de Leontino die XXI^o octobris III^e indictionis 1514, de quo dictus Bastianus pro se et suis heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub debito et consueto militari servicio, obtinuit a don Ugone de Moncada vicerege investituram die XVI^o marcii indictionis predictae, notatam in libro Cancellarie anni predicti in cartis 568; et nunc per eundem Bastianum possidetur et reddit, ut iuramento firmavit, quolibet anno uncias quinquaginta et prototidem solvit iura Regie Cancellarie.

Et ultra dictus Sebastianus Sgalambro de dicto Puzilli feudo cepit investituram, ob mortem domini regis Ferdinandi et successionem Catholicorum dominorum Regum Ioanne et Caroli filie et nepotis, a don Ioanne de Luna preside die XXVII^o novembris V^e Indictionis 1516, notata in libro Cancellarie dicti anni f. 244; et iuravit reddere tantundem.

•

Mastra feudum.

Feudum Mastra nuncupatum, in valle Nothi et territorio terre Butere positum, per progenitores quondam Riccardi de Nasello, ut asseritur, et successive per ipsum Riccardum, de quibus non apparet in Regia Cancellaria titulus, possidebatur. Qui Riccardus, cum Serenissimum Regem Alfonso de eorum antiqua possessione informasset, pro se suisque utriusque sexus heredibus eius de corpore legitime descendentibus, tunc natis et ab inde nascituris (catenus quatenus in ipsius feudi possessione persistebat) sub consueto militari servicio, ab ipso Rege de feudo predicto confirmationem et in quantum opus esset de novo obtinuit cum clausula, scilicet: dictum feudum a nobis et nostra Curia teneant et possideant, nulloque alium preter nos aut heredes et successores nostros in eorum regem et dominum recognoscant, servire propterea teneantur nobis et nostre Curie de feudali servicio seu ad alia, quociens ipsum dictum feudale servicium, seu ad alia, comitibus, baronibus et feu-

datarijs regni nostri Sicilie ultra Farum generaliter indicetur etc: sicuti in eius Regio privilegio dato Neapolis in anno 1446 VIII^o indictionis, de quo Viceregia emanavit executoria data Panhormi, V^o aprilis eiusdem anni, et in Regie Cancellarie libro anni 1445, in cartis 397 notata, diffusius continetur.

Mortuo deinde dicto Riccardo de Nassello, sibi in dicto Mastre feudo successit Periconus de Nasello eius filius legitimus et naturalis ac maior natu et regius secretarius. Qui cum a don Lupo Ximenem Durrea, tunc regni prorege, exposuisset se de dicto Mastra feudo nullum habuisse privilegium, de quo iuramentum prestitisset, ab ipso prorege cum inserto tenore dicti privilegii Regis Alfonsi de feudo ipso pro se suisque heredibus utriusque sexus eius de corpore legitime descendentibus, tunc iam natis et ab inde nascituris sub consueto militari servicio iuxta formam dicti regii privilegii, antiquis regaliis, regni Constitutionibus et iuribus Curie et alterius semper salvis, XXVIII^o marci III^e indictionis 1456 investituram in Regie Cancellarie libro anni 1455, in cartis 482 notatam, obtinuit.

Defuncto tandem dicto Pericono de Nasello secretario, feudum Mastra predictum in posse Periconi de Nasello baronis Chomisi pervenit. Qui cum ob mortem suorum progenitorum de feudo ipso se non investiverit, ratio reddi non potest cui iddem Periconus de Nasello iunior successerit, sive cuius fuerit filius, et ideo per Fiscum procuratorem pro Curie cautela quod iuris sit inquirendum est.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Mastra per prefatum Periconum de Nasello iuniorem baronem Chomisi possidetur quod anno quolibet reddit 07. XXV.

Nihilominus feudum ipsum in rollo noviter conficiendo, non obstante quod sit in territorio dicte terre Butere positum, que Butere terra per Marchionem Lichodie possidetur in baroniam, actentis verbis in privilegio dicti Regis Alfonsi preannotatis, apponendum esset.

Dictus vero Piriconus de dicto Mastre feudo, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna preside cepit investituram die..... et iuravit reddere tantumdem.

Feudum di li Servi.

Feudum di li Servi, situm et positum in valle Nothi, de membris et pertinenciis feudi et Castri di lo Monjalino tanquam segregatum et dismembratum a dicto Castro ex accordio et conventionione facta inter don Ieronymum Statella et Franciscum Statella, possidetur per eundem don Ieronymum, nam dictum Castrum et feudum Monjalino extat in posse dicti Francisci Statella; de quo feudo di li Servi ipse don Ieronymus, ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi, a don Ioanne de Luna preside cepit investituram die XVI^o februarii V^o indicionis, notatam in libro anni 1516 f. 401, et iuravit reddere 07. L.

Gisira feudum.

Feudum Gisira appellatum, in valle et territorio terre Nothi existens, per quondam Raynaldum Landolina de terra eadem, de quo non apparet in Cancellaria titulus, olim possidebatur. Cum autem Raynaldus ipse Raynaldum Landolina eius filium, tunc minorem, in anno 1403 emancipasset, de feudo ipso eidem Raynaldo emancipato publico mediante contractu, ut asseritur, manu notarii Ioannis de Pollicino eodem in anno 1403 celebrato, donacionem fecit. Que donacio cum effectum habuisset et exinde dictus Raynaldus Landolina Iunior, emancipatus, donatarius ut supra ad mortem devenisset, de bonis et rebus suis disponens, inter alia quondam Ioanni Landolina eius filio legitimo et naturali, tunc superstiti, ipsum Gisira feudum vel proprietatem et iura sibi vigore dicte donacionis

contingentia legavit; cum condicione tamen, quod si ipsum Ioannem in minori vel maiori etate sine liberis eius de corpore legitime descendentibus mori contigisset, sibi in fendo eodem sive iuribus vel proprietate predictis succederet Simon Landolina ipsius Raynaldi Iunioris donatarii et testatoris frater, sub qua dispositione obiit: ob quod, cum dictus Ioannes Landolina in maiori etate constitutus tamen non coniugatus mortuus fuisset, et eius cum testamento in anno 1407 manu notari Ioannis de Pollicino de Notho, ut dicitur, celebrato, super eius bonis et rebus, et signanter super dicto feudo Gisire vel proprietate et iuribus eius prefatum Simonem Landolina eius patrem heredem universalem instituisset et ordinasset; dictus Serenissimus Rex Martinus eidem Simoni Landolina suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio, dictam primam donacionem de feudo ipso per prenomiatum quondam Raynaldum Landolina seniore prelibato Raynaldo Landolina iuniori eius filio factam, nec non omnes alias donaciones legata et testamentarias dispositiones inde sequentes usque ad ipsum Simonem Landolina factas, eatenus quatenus rite iuste et rationabiliter hinc inde processerunt, eius cum regio privilegio dato Cathanie XXIII^o aprilis prime indictionis 1408, acceptavit et confirmavit.

Mortuo postmodum dicto Simone Landolina, sibi in dicto Gisira feudo successit Ioannes Landolina eius filius legitimus et naturalis. Qui cum inserto tenore dicti privilegii pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus de feudo ipso a don Lupo Ximenem Durrea, tunc regni prorege, sub consueto militari servicio, regis antiquis regalijs semper salvis, X^o Iulii prime indictionis 1453, investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 236 notatam, reportavit.

Defuncto deinde dicto Ioanne Landolina, feudum predictum in posse Raynaldi Landolina pervenit. Qui pro feudo ipso iuramentum et homagium fidelitatis in forma debita prestitit, ut in ipsius iuramenti nota in libro iuramentorum Cancellarie in cartis 56, registrata continetur; in qua nulla fit mentio cui sive quo iure Raynaldus ipse in eodem feudo successerit.

Decedente postmodum dicto Raynaldo Landolina, sibi in dicto Gisire feudo successit Ioannellus Landolina eius filius. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iuxta formam sui privilegii, de feudo ipso a don Gaspare de Spes, tunc regni prorege, XII Ianuarii XIII^o indictionis 1479, investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 303 notatam, obtinuit.

Deficiente demum dicto Ioannello Landolina, sibi in eodem Gisira feudo successit Raynaldus Landolina eius filius. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, de feudo predicto a Ioanne Lanuça, tunc regni vicerege, XX^o februarii XIII^o Indicionis 1495 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 219 registratam, nactus fuit. In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, ipsum Gisira feudum per prefatum Raynaldum Landolina possidetur; quod anno quolibet reddit uncias.....

Gisira di Pagano alias Zarbactar feudum

Feudum olim Zarbactar, nunc vero Gisira di Pagano appellatum, in valle et territorio Nothi iuxta feuda Pulichi, Sancti Iacobi Debel, Mineo, Lalmadara et la Gisirocta di li Graneri, ac secus flumen Ludillaru et alios confines positum; per quondam Marcum Degulfis eius filium, siracusanos, de quibus nullus apparet titulus in Cancellaria, antiquitus possidebatur. Tandem, cum dictus Bartholomeus Degulfis tunc regni proregibus expressisset, tam dictum condam Marcum eius patrem, quam suos progenitores, a tanto tempore, quo hominum memoria in contrarium non existerat, feudum predictum, scilicet ab annis LX citra, tenuisse et possedisse, de possessione tamen constituto ab ipsis proregibus, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum, de feudo ipso sub consueto militari servicio, II^o Iulii X^o Indicionis 1417, confirmationem et investituram obtinuit. Preterea idem Bartholomeus Degulfis pro se et dictis suis heredibus, iure francorum, sub consueto militari servicio, a don Lupo Ximene Durrea tunc regni prorege, VI^o Iunii VII^o Indicionis 1459, cum inserto tenore dicti vice-regii privilegii, aliam investituram in Regie Cancellarie libro annorum 1458, 1459 in cartis 347 notatam, reportavit.

Deinde autem ipsum Gisira Pagani feudum ad quondam Ioannem Degulfo, de quo non apparet investitura, pervenit. Qui ob mortem serenissimi Regis Ioannis XIII^o Ianuarii XIII^o Indicionis 1479,

de dicto feudo iuramentum, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 245 notatum, prestitit.

Defuncto postmodum dicto Ioanne Degulfo, sibi in dicto feudo successit Anthonellus Degulfis eius filius. Qui pro se et dictis suis heredibus, iure francorum, de feudo ipso a Ioanne Lanuça, tunc regni vicerege, XIII^o maii XV^e Indicionis 1497 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1496 in cartis 576 notatam, consequutus fuit.

Mortuo demum dicto Antonello Degulfis sine filiis, sibi in dicto Gisira Pagani feudo successit Iheronimus Degulfis eius frater, filius secundo genitus prenominati Ioannis Degulfis et Elisabeth iugalium. Qui Ieronymus pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure francorum, a dicto Ioanne Lanuça prorege de feudo eodem ultimo decembris V^e Indicionis 1502 investituram in Regie Cancellarie libro anni 1501, in cartis 235 notatam, nactus fuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Gisira Pagani per prefatum Ieronimum Degulfis possidetur, quod anno quolibet reddit 07 XXX.

Quiquidem Hieronimus Degulfis de huiusmodi feudo, ob mortem domini Regis Ferdinandi, a Don Ioanne de Luna preside cepit investituram die XVIII^o Ianuarii V^e Indicionis, notatam in libro anni 1516 f. 454; et iuravit reddere tantundem.

Ramiuni feudum

Feudum Ramiuni, in valle Nothi et territorio civitatis Calatagironi positum, per quondam Franciscam de Cardona, de qua non apparet in Cancellaria titulus, olim possidebatur. Qua defuncta, feudum ipsum ad Margaritam eius neptem, filiam Iaymi de Cardona filii ipsius Francisce, pervenit. Que Margarita una cum Ioanne Landolina eius marito feudum ipsum tenuit et possedit, de quibus minus apparet in Cancellaria investitura. Deinde vero dicta Margarita de feudo prelibato quondam Actardo Landolina donacionem

fecit: cedente tamen sibi omnia iura competentia Bartholomeo Landolina eius fratre. Et sic virtute dicte asserte donationis, manu notarii Ioannis de Maynardo de Calatagirono in anno 1436 celebrate, feudum Ramiuni predictum ad dictum Actardum Landolina pervenit, de quo possessionem reportavit. Et sic pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure francorum, a don Lupo Ximenem Durrea, tunc regni prorege, nulla facta mentione cuius erat filius dictus Actardus sive a quo dependebat. prestito tamen per eum iuramento quod eius ad manus de feudo ipso nullum devenerat privilegium sive aliam scripturam III^o Iulii prime indictionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 394 notatam, reportavit. Tamen possibile esset, quod in dicto donaciones contractu, si ad lucem veniret, inveniretur illius geneologia.

Mortuo tandem dicto Actardo Landolina, sibi in dicto Ramiuni feudo successit Ioannes Landolina eius filius. Qui pro feudo ipso in manibus tunc regni proregis fidelitatis iuramentum in forma, in Regie Cancellarie iuramentorum libro in cartis 163 notatum, prestitit, tamen non apparet ipsum Ioannem ob mortem dicti Actardi, eius patris, de feudo ipso se investisse.

Post vero mortem dicti Ioannis feudum ipsum Ramiuni pervenit in posse quondam Bartholomei Landolina, ad cuius petitionem in Cancellaria non apparet investitura, nec ratio dari potest cuius ipse Bartholomeus erat filius, aut quo modo in dicto feudo successerit.

Quo Bartholomeo mortuo, successit sibi in dicto feudo Elisabetha eius filia, tunc uxor quondam Ioannis Anthonii de Alexio, que tandem de feudo huiusmodi a quondam don Fernando Dacuña, tunc in regno prorege, pro se et heredibus de suo corpore legitime descendantibus, iure Francorum, investituram obtinuit, datam Panhormi XXVIII^o octobri X^o indictionis 1491, notatam in libro Cancellarie dicti anni f. 155. Et licet dicta Elisabetha, ob mortem dicti eius viri, convolaverit ad secunda vota cum Antonello Tudisco, tamen feudum ipsum Ramiuni hodie, currente anno 1513, possidetur per dictam Elisabetham, et reddit quolibet anno . . . 07. XX.

Noviter vero Antonellus de Tudisco, tamquam maritus et legitimus administrator dicte Domine Elisabethe, de dicto feudo Ramiuni ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis a don Ioanne de Luna preside cepit investituram, die VII^o Ianuari V^o Indictionis notatam in libro dicti anni 1516 f. 356, et Bernardinus de Perri-cono procurator dicti Antonelli iuravit in animam constituentis dictum feudum reddere tantumdem.

Tardellu feudum

Feudum Tardellu appellatum, in valle Nothi et territorii terre Abole positum, per quondam Galterium de Mulocca siracusanum, de quo non apparet titulus in Cancellaria, antiquitus possidebatur. Qui, cum ad mortem devenisset, eius cum asserto testamento quondam Marcum Manchinum siracusanum, eius nepotem, suum in dicto feudo instituit heredem. Quam testamentariam dispositionem Serenissimus Rex Federicus, quatenus iuste rite et racionabiliter facta extitit, ac feudum eidem Marco suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum, sub consueto militari servicio acceptavit et confirmavit, ac de novo concessit cum omni iure Regie Curie quacumque racione vel causa in dicto feudo competenti, antiquis regalijs regni Constitutionibus et iuribus Regie Curie semper salvis; sicuti in eius regio privilegio, dato Siracusi, XXVI^o augusti prime indictionis 1363, continetur.

Mortuo tandem dicto Marco Manchino, sibi in dicto Tardello feudo successit Bartholomia eius filia, uxor quondam Ioannis de Campixano. Que pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus in perpetuum, iure francorum, de feudo ipso a quondam Illerdensi Episcopo et Anthonio de Cardona, tunc regni proregibus, sub consueto militari servicio et cum inserto tenore ipsius regij privilegij, XVI^o Iulij XI^o Indictionis 1418, investituram consequuta fuit.

Defuncta exinde dicta Bartholomia, sibi in eodem Tardello feudo successit Pinus de Campixano, eius filius et Ioannis de Campixano iugalium. Qui Pinus pro se suisque imperpetuum heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum, sub dicto militari servicio, de feudo ipso a quondam don Lupo Ximene Durrea, tunc regni vicerege, antiquis regalijs et Regie Curie iuribus semper salvis, XIII^o Iulij prime indictionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 445 notatam, reportavit.

Post obitum autem dicti Pini Campixani feudum predictum ad Anthonium de Campixanu pervenit, de quo in Cancellaria titulus non apparet; et sic ratio assignari non potest cuius fuerit fi-

lius, sive quo iure in ipso feudo successerit. Verum quedam reperitur investiture nota per eum ob mortem Serenissimi Regis Ioannis capta, que in Regie Cancellarie libro anni 1479, in cartis 877 notata, invenitur.

Postmodum autem feudum Tardello prelibatum in posse Mathei de Campixano, de quo non reperitur investitura, devenit.

Quo Matheo exinde decedente sine filijs, sibi in dicto Tardello feudo successit Gaspar de Campixano eius frater. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum, de feudo eodem a quondam Ioanne Lanuça, tunc regni prorege, XXVIII octobris V^e Indicionis 1501 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro, in cartis 137 notatam, reportavit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Tardello per prefatum Gasparem Campixanum possidetur; quod anno quolibet reddit 07. XV.

Ipseque Gaspar de Campixano de dicto feudo Tardello, ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis, a don Ioanne de Luna preside cepit investituram, die XVIII^o Ianuari V^e Indicionis, notatam in libro anni 1516 f. 454; et Franciscus de Parisio eius procurator iuravit dictum feudum reddere uncias quindecim.

Chamitrichi Feudum

Feudum Chamitrichi, in valle Nothi et territorio terre Placie, iuxta territoria feudorum terre Petrepticie, Phididi et Lalbara, de quo etiam inferius in cartis 484 verba facta sunt, per quondam Mianum de Rubeo, de quo titulus in Cancellaria non apparet, ut asseritur, olim possidebatur. Qui exinde, cum ad mortem devenisset, super dicto feudo et omnibus bonis suis quondam Gulielmum Rubeum Cerami baronem, eius nepotem, suum instituit heredem. Cuius institucionis virtute, cum dictus Gulielmus feudum predictum possideret, fuit per Curiam quondam Serenissimi Infantis don Petri de Aragonia, fratris Serenissimi Regis Alfonsi, Vestre Catholice

Maiestatis patrum, ducis Nothi et baronis terre Placie, contra dictum Gulielmum Rubeum super petitione dicti feudi mota lis et questio; per cuius Infantis tutorem allegatum fuit: feudum ipsum predicto infanti, tamquam prefate terre Placie domino, contingere, et illius Curie devolvi debere et applicari, ex quo concessio prenominate Miano Rubeo de feudo predicto facta, sub stricta forma, ut asserebatur, facta extiterat; ob quod Mianus ipse post sui obitum de illo disponere non poterat. Tandem post multa, cum dictus Gulielmus Rubeus ad veniam dicti Infantis don Petri devenisset, ad ipsius Gulielmi supplicationem infans predictus eidem Gulielmo suisque imperpetuum heredibus et successoribus omnia iura, que infans ipse, tamquam dominus dicte terre Placie, suaque Curia super dicto feudo quacumque ex causa habebat, cessit; et institutionem ipsi Gulielmo Rubeo per dictum Mianum Rubeum factam ratificando et confirmando, eidem Gulielmo feudum predictum dictisque suis heredibus, ut supra, ad habendum, tenendum, vendendum, alienandum, permutandum et de eo disponendum ad sui suorumque heredum et successorum libitum voluntatis, reservato nihilominus sibi eiusque Curie consueto militari servicio, nec non sub onere solvendi eidem Infanti suisque in perpetuum heredibus et successoribus anno quolibet tarenum unum pro qualibet uncia redditus dicti feudi iure census, prout dictus Mianus etiam tempore vite sue prestare consueverat, de novo concessit; cum condicione tamen, quod si contigisset feudum ipsum per dictum Gulielmum Pasquali de Criximano vendi, Infans ipse de iure decime et tarenis sue Curie contingenti gracie relaxacionem faciebat, sicuti in ipsius Infantis privilegio, dato Placie XX^o marcij XV^o indicionis 1437, hec et alia continentur.

Demum autem dictus Gulielmus Rubeus prefato Pasquali de Criximano feudum predictum Chamitrichi pro certo precio, publico mediante contractu, XVIII^o marcij VIII^o indicionis 1406 celebrato, vendidit.

Nihilominus est recte attendendum, quod in tempore maximum reperitur error, nisi scriptoris errore processerit. Nam vendicio ipsa per multum temporis intervallum ante donacionem dicti feudi, per prefatum infantem suo cum privilegio factam, celebrata extitit; quod nullatenus stare potest. Et sic patet maximam fuisse regio demanio factam fraudem et lesionem. Tamen, quomodocumque sit, dictus Pasqualis de Criximano pro se suisque heredibus et successoribus cum inserto tenore privilegij dicti Infantis don Petri de feudo ipso Chamitrichi a don Lupo Ximene Durrea,

tunc regni prorege, sub consueto militari servicio, nec non et sub onere solvendi Regie Curie dictum ius census tarenii unius anno quolibet pro qualibet uncia redditus dicti feudi, regalibus antiquis regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie semper salvis, suo cum viceregio privilegio, dato Panhormi XXIII^o iulij prime indictionis 1453, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 537 notatam, obtinuit.

Mortuo tandem dicto Pasquali de Criximano, sibi in dicto Chamitrichi feudo successit Bartholomeus de Criximano eius filius legitimus et naturalis. Qui pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus a dicto don Lupo prorege, cum inserto tenore omnium dictorum privilegiorum, in quibus temporis predicti error super venditione dicti feudi per prelibatum Gulielmum Russu prefato Pasquali de Criximano facta, ac super dicti privilegii dicti infantis don Petri non emendatur, de feudo ipso, sub dicto consueto militari servicio ac etiam sub prefato onere census tarenii unius annualis pro qualibet uncia redditus dicti feudi, regalibus antiquis et alijs iuribus Regie Curie semper salvis, XXIII^o novembris III^e indictionis 1455, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 100 notatam, obtinuit.

Postmodum autem ipsum Chamitrichi feudum ad alium Pasqualem de Criximano pervenit. Sed quia Pasqualis ipse ob mortem sui predecessoris investituram non habuit, ratio reddi non potest cuius fuerit filius, aut cui legitime successerit; verum ob mortem Serenissimi Regis Ioannis, vestri regij Culminis genitoris, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1479, in cartis 127 notatam, nactus fuit. Verum in ipsa investitura nulla fit mentio cuius fuerit filius ac cui successerit.

Nihilominus, ut percepi, don Gaspare de Spes, pro Vestra Catholica Maiestate viceregiatus officium exercente, contra dictum Pasqualem de Criximano iuniorem ipsius feudi detentorem per quondam Nicholaum Sabia, tunc fisci regij patronum, super revocatione feudi eiusdem ad sacrum regium demanium, rationibus et causis preappositis, fuit lis et questio intemptata. Sed nondum finito processu, cum dictus Pasqualis coram vestra regia celsitudine comparuisset, a tanta Maiestate, ut percepi, graciosè obtinuit, ne amplius Pasqualis ipse in dicta lite vexaretur. Quod cum ipse (*sic*) predicta melius percipere exoptassem, ut veritas elucesceret, novavi operam, ut archivus Regie Cancellarie ac officiorum regni Conservatoris et Prothonotarij revolveretur, ut forsàn ibi aliqua executoria vestre regie provisionis super predictis concessa reperiretur; sed, ipsorum officio-

rum registris diligenter inspectis, illius vestigia aliqua invenire nequivi. Et ideo ratio dari non potest, an dictus Pasqualis remissus fuerit, sive illi facta de dicta lite cessio.

Meo nihilominus iudicio Regia Curia maximum tenet ius in sibi dictum feudum vendicando, tam rationibus preexpositis, quam propter non solutum canonem, qui ab annis XXXX supra ad rationem unius tarenii pro qualibet uncia redditus dicti feudi anno quolibet, vigore dicti regij privilegij et investiturarum precalendatarum, computandus esset. Et si vestra Catholica Maiestas, prout sue innate est clementie, cum feudi ipsius possessore humane se gerere vellet, licet feudum ipsum Regie Curie apertum et devolutum per predicta appareat, pro eodem precio, quo feudum ipsum venditum fuerat per dictum Gulielmum Rubeum prefato Pasquali de Criximano seniori, reddimere posset et suo regio demanio restituere: quod in vim regie pragmatice POST BELLA facillime fieri potest.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Chamitrichi per prefatum Pasqualem Criximano iuniorem possidetur; quod anno quolibet reddit , 07. L.

Formica feudum

Feudum Formica, in valle Nothi positum, per quondam Gulielmum Spallicta et successive per Robertum Spallicta eius filium, de quibus in Cancellaria non reperitur titulus, olim possidebatur. Quibus exinde defunctis, eis in dicto feudo successit Ioannes Spallicta ipsius Roberti filius et prefati Guillelmi nepos. Qui Ioannes coram Illerdense Episcopo et Anthonio de Carlona, tunc regni proregibus, comparens illisque exponens se de feudo ipso nullum habuisse privilegium, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum, antiquis regalibus regni Constitutionibus iuribusque Curie semper salvis, XXIII^o augusti XI^o indictionis 1418, de eo investituram reportavit.

Mortuo tandem dicto Ioanne Spallicta, sibi in dicto Formica feudo

successit Rogerius Spallicta eius filius. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum, de feudo ipso a quondam don Lupo Ximene Durrea, tunc regni prorege, antiquis regalijs regni Constitucionibus et iuribus Regie Curie semper salvis, penultimo Iulij prime indicionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 563 registratam, obtinuit.

Defuncto postmodum dicto Rogerio Spallicta, sibi defectu filiorum masculorum in dicto feudo successit Pina eius unica filia legitima et naturalis, tunc Petri de Barbulata uxor. Qui Petrus, tanquam maritus et legitimus administrator dicte Pine eius uxoris, pro se suisque heredibus predictis, iure francorum, de feudo ipso a quondam Ioanne Lanuça, tunc regni vicerege, XXI^o augusti III^o indicionis 1501, investituram in Regie Cancellarie libro anni 1500 in cartis 572 notatam, consequutus fuit.

Nuper autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Formica per prefatum Petrum Barbulatum nomine dicte Pine eius uxoris possidetur; quod anno quolibet reddit 07. XXX.

Ipseque Petrus Barbulatus mortuus fuit, et dicta Pina eius uxor nupsit Mazullo de Adinolfo, qui nomine dicte Pine eius uxoris ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis a don Ioanne de Luna preside cepit investituram, die XXVIII Ianuarii V^o Indicionis, notatam in libro anni 1516 f. 460; et iurabit reddere tantumdem.

Zulina feudum

Feudum Zulina, in valle Nothi et territorio terre Placie positum, per quondam Ioannem de Damiata, de quo titulum in Cancellaria aliquem non inveni, antiquitus possidebatur. Quo contra Serenissimum Regem Martinum rebellionem perpetrante, feudum ipsum Regie Curie apertum fuit et devolutum; illudque rex idem quondam Rogerio de Berliono legum doctori, Magne Regie Curie iudici concessit, de qua regia concessione similiter in Cancellaria non

invenitur scriptura. Demum Rogerius ipse de Berlione feudum Zulina predictum quondam Gulielmo de Aydono pro precio unciarum quinquaginta suisque imperpetuum heredibus, sub consueto militari servicio, puplico mediante contractu manu notarij Andree de Alphi penultimo maij prime indicionis 1393, celebrato vendidit. Quem contractum cum illius inserto tenore idem rex Martinus prefato Gulielmo de Aydono acceptavit et confirmavit, ac eidem feudum predictum sub consueto militari servicio, iuribus curie et alterius semper salvis, eius cum regio privilegio dato Cathanie III^o Iunij prime indicionis 1393, et in Regie Cancellarie libro anni 1392, in cartis 53 notato, de novo concessit. Ipsoque Gulielmo de Aydono exinde defuncto, sibi in dicto Zulina feudo successit Ximenius de Aydono eius filius legitimus et naturalis ac major natu. Qui pro se suisque imperpetuum heredibus sub consueto militari servicio de feudo ipso a don Lupo Ximene Durrea, tunc regni prorege, antiquis regalijs regni Constitucionibus Regie Curie iuribus et alterius semper salvis, ultimo Iunij prime Indicionis 1453 investituram, in Regie Cancellarie libro anni II^o indicionis 1453, in cartis 106 notatam, nactus fuit.

Demum dicto Ximenio de Aydono decedente, feudum ipsum ad Ioannucium de Aydono eius nepotem sui virtute testamenti asserti pervenit; pro quo Ioannucio, tunc minore, Bartholomia uxor, relicta quondam Ximenij predicti, tanquam eius balia et tutrix a tunc regni proregibus de feudo ipso primo Febrarii VIII^o Indicionis 1476 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1475 in cartis 163 registratam, reportavit.

Deinde vero dictum feudum venit in posse Pauli de Aydono, de quo in Cancellaria non apparet investitura; et ideo ratio dari non potest a quo ipse Paulus successit. Tamen ob mortem domini regis Ferdinandi a don Ioanne de Luna preside de dicto feudo investituram impetravit die XVI^o Ianuarij V^o Indicionis 1517, notatam in libro Cancellarie anni 1516, f. 380: et dominus Anthoninus de Biscardo procurator dicti Pauli de Aydono iuravit in animam constituentis dictum feudum reddere. 07. XXX.

Et est notandum quod hodie, die XXVII^o Marcii V^o Indicionis 1517, dictus Ioannes Paulus de Aydono presentavit in officio Cancellarie aliam investituram de dicto feudo per eum, tanquam nepotem quondam Anthonij de Aydono, filium quondam Ioannis de Aydono filii dicti quondam Anthonii premortui, datam Panhormi XVI^o Ianuarij 1504, quam hodie fuit registrata in libro dicti anni VII^o Indicionis 1504 f. 733.

Charamita feudum

Feudum Charamitu nuncupatum, in valle Nothi et territorio Castri Ioannis existens, quod antiquitus terrarum tenimentum fuerat capiens summam salmarum tricentarum, per maiorem ecclesiam dicte terre Castri Ioannis tunc possessarum, per tunc regni proregem in ipsum feudum, ad ipsius maioris ecclesie supplicationem et intercessu et voluntate universitatis dicte terre, erectum fuit; pro quo Regie Curie in subsidium suarum tunc occursarum necessitatum uncie decem persolite fuerunt; sicuti in ipsius viceregio privilegio, dato Panhormi XXV^o Iunii XIII^o indictionis 1451, continetur: in quo nulla fit mencio de servicio militari Regie Curie debito: verum ipso in privilegio antique regalie, Regio Demanio reservari consuete, reservantur cum dispensacione capituli VOLENTES disponentis, quod ecclesijs et ecclesiasticis personis feuda concedi non possint. Quod viceregium privilegium Serenissimus Rex Ioannes eius cum Regio Privilegio, dato Barchinone XVI^o Ianuarii VIII^o indictionis 1460, de quo Viceregia emanavit executoria data Panhormi XII^o Maji VIII^o indictionis 1460, in Regie Cancellarie libro anni 1459 in cartis 235 notata, eidem maiori ecclesie acceptavit et confirmavit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Charamitu per dictam maiorem ecclesiam dicte terre Castri Ioannis possidetur, quod anno quolibet reddit 07.

Carmitu feudum

Feudum Carmitu nuncupatum, in valle Nothi et districtu terre Leontini existens, per quondam Nicolaum de Aloysio et Iacobam iugales, tunc terre Ragusie habitatores, de quibus in Cancellaria ti-

tulus non apparet, olim possidebatur; demum iugales ipsi feudum predictum quondam Petro de Regio de Leontino suisque imperpetuum heredibus, sub consueto militari servicio, pro uncijs CCXXVIII, puplico mediante contractu manu notarii Gulielmi de Bonaiuto XXVII^o Augusti III^o Indicionis 1350, vendiderunt. Quem vendicionis contractum Serenissimus Rex Lodovicus cum illius inserto tenore prefato Petro de Regio suisque in perpetuum heredibus et successoribus, sub dicto militari servicio antiquis regalijs Regni Constitutionibus et iuribus Regie curie semper salvis, ac cum clausula: quatenus predicta vendicio iuste rite et racionabiliter facta extitit: iure francorum, suo cum Regio Privilegio dato Cathanie XIII^o Decembris VII^o indicionis 1353 acceptavit et confirmavit. Mortuo deinde dicto Petro de Regio emptore, sibi in dicto Carmitu feudo successit quondam Nicholas de Regio eius filius, de quo non apparet investitura. Defuncto postmodum prefato Nicholao de Regio, sibi in dicto feudo successit Amphilisia mulier, eius filia, uxor Nicholai de Bonfilio. Que pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, iure francorum, de feudo ipso a tunc Regni proregibus sub consueto militari servicio, solitis reservacionibus semper salvis, II^o Maii XI^o indicionis 1418 investituram obtinuit. Decedente demum dicta Amphilisia, sibi in dicto Carmitu feudo successit Petrus de Bonfilio eius filius legitimus et naturalis ac maior natu. Qui pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus, iure francorum sub consueto militari servicio, de feudo ipso a don Lupo Ximenen Durrea, tunc Regni prorege, cum inserto tenore dictorum privilegiorum et contractus vendicionis predictae cum eiusdem reservacionibus, XVII^o Iulii prime indicionis 1453, investituram, in Regie Cancellarie libro dicti anni II^o indicionis in cartis 296 notatam, reportavit.

A quoquidem anno usque ad hodiernum, anno 1413 decurrente, de feudo eodem Carmitu nullam aliam investituram sive actum inveni. Tamen quia feudum ipsum in dicto districtu terre Leontini, que de Reginali Camera habetur, positum est, reor feudi ipsius investituras per successores dicti Petri de Bonfilio coram dicte Reginalis Camere gubernatore captas fuisse.

Nihilominus quocumque sit, reperto possidentem hodiernum feudi ipsius Carmitu recta linea a dicto quondam Petro de Bonfilio primo illius acquiretore descendere, certi iuris est Vestram Catholicam Maiestatem in vim pragmatice POST BELLA pro eodem

precio recuperare posse, et suo Regio Demanio agregare. Quod feudum tunc temporis reddebat uncias....nunc vero annis singulis reddit 07. . .

Burgium feudum

Feudum Burgium appellatum, in valle Nothi et tenimento terre Butere positum, per quondam Federicum de Cardona, de quo non apparet privilegium, antiquitus possidebatur; ob cuius rebellionem exinde Regie Curie devolutum extitit, et exinde per Serenissimum Regem Martinum, una cum omnibus bonis omnium rebellium in dicta Butere terra sistentibus, quondam Ugoni de Sancta Pace concessum . Tandem feudum predictum per quondam Calcerandum de Sancta Pace, dicti quondam Ugonis filium, possessum fuit. Qui Calcerandus omnia iura sibi in eodem feudo competencia postmodum sponte renunciavit, ob quod rex ipse feudum idem quondam Ioanni lu Puglu suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum sub consueto militari servicio, antiquis regalijs regni Constitutionibus Regieque Curie iuribus semper salvis , renunciatis prius per eundem Ioannem in Regie Curie manibus omnibus et singulis concessionibus et gracijs sibi vel progenitoribus suis forte per Sicilie reges super iuribus cuiusvis secrecie Regni aut super iuribus tractarum seu exiturarum portuum et maritimarum regni eiusdem factis, eius cum regio privilegio, dato Cathanie penultimo Aprilis VII^o indictionis 1399, concessit.

Mortuo deinde dicto Ioanne lu Puglu, sibi in dicto Burgio feudo successit Aliocta de Puglu eius filius legitimus et naturalis ac maior natu. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum sub consueto militari servicio, dictis reservationibus semper salvis, primo Iulii prime indictionis 1453, a don Lupo Ximene Durrea, tunc regni prorege, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 584 notatam, obtinuit.

Deinde autem feudum ipsum ad Lioctam lu Puglu minorem,

quondam Ioannis lu Puglu et Francisce iugalium filium, devenit; de quibus ratio dari non potest: quo iure in feudo ipso successerit. aut si dictus Ioannes iunior, cuius dicitur filius prelibatus Liocta minor, filius fuerit illius Liocte senioris, qui fuit filius prefati Ioannis lu Puglu senioris: qui Liocta senior in anno 1453 investituram habuit, cum in Cancellaria de illis nulla fuerit facta mentio. Tamen ipsa Francisca lu Puglu, tanquam balia mater et tutrix dicti Liocte minoris eius filii, ob mortem dicti Ioannis lu Puglu iunioris, eius mariti et patris eiusdem Liocte minoris, de feudo ipso a quondam don Gaspare de Spes, tunc regni prorege, pro dicto Liocta minore eius filio suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum, III^o Februarii XIII^o indictionis 1480, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1479 in cartis 281 notatam, reportavit. In anno autem 1494 dictus Aliocta lu Puglu ultimus obiit, sibi superstite Ioanne Anthonio lu Puglu eius filio ex Antonella eius uxore. Et licet tempus procreandi filios breve fuisse appareat, actento quod in anno 1480 minor erat et in anno 1494, quo obiit, filium habuisse videatur: puta dictum Ioannem Anthonium, per quod tempus anni fere XIII connumerantur, quibus addendi essent illi pauci anni quibus minor fuerat; tamen quomodocumque sit prefata Anthonella, predicti Liocte iunioris uxor, tanquam mater balia et tutrix dicti Joannis Anthonij, pro dicto eius filio suisque heredibus predictis, iure francorum, de feudo ipso XVIII^o Septembris XIII^o indictionis 1494, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 85 registratam, nacta fuit. In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Burgium per prefatum Ioannem Anthonium lu Puglu possidetur; quod anno quolibet reddit 07. LX.

Rabichina feudum

Feudum Rabichina, in valle Nothi et tenimento terre Placie positum, per quondam Prandinum Capizana, de quo non apparet in Cancellaria titulus, ut asseritur, antiquitus possidebatur.

Deinde autem feudum ipsum ad Luciam eius filiam, de qua similiter non reperitur privilegium sive investitura, pervenit.

Mortua postmodum Lucia prefata, feudum predictum Rabichina quondam Ioanni Cappello eius filio cessit. Qui Ioannes, cum in posse Panhormitani Archiepiscopi, tunc regni presidis, iurasset de feudo ipso nullum privilegium sive investituram aliamve scripturam habuisse, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum sub consueto militari servicio antiquis regalijs regni Constitucionibus regieque Curie iuribus semper salvis, de feudo eodem ab ipso regni preside, ultimo novembris II^e Indicionis 1453, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 507 notatam, reportavit.

Sequuta autem ipsius Ioannis de Cappello morte, sibi in dicto Rabichina feudo successit Salvator de Cappello eius filius, qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum, de feudo eodem a quondam don Gaspare de Spes, tunc regni Vicerege, XXVIII^o Octobris II^e indicionis 1483, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 407 notatam, obtinuit.

Defuncto demum prelibato Salvatore Cappello, sibi in dicto Rabichina feudo successit Ioannellus de Cappello eius filius. Qui pro se et dictis suis heredibus iure francorum, III^o Marcii XI^e Indicionis 1508, de feudo eodem a don Raymundo de Cardona olim Regni prorege investituram, in Regie cancellarie libro anni 1507 in cartis 448 notatam, consequutus fuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, prelibatum feudum Rabichina prefatus Ioannellus Cappellus possidet, quod anno quolibet reddit 07. VI.

Ipsaque Ioannes Cappellu de dicto feudo Rabichina ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi a don Ioanne de Luna preside cepit investituram, die XXI^o Iannuarii V^e Indicionis, notatam in libro anni 1516, f. 483, et iuravit reddere tantumdem.

Sancta Rosalia feudum

Feudum Sancta Rosalia nuncupatum, in valle Nothi et Castri Ioannis positum, burgensaticum territorium antiquitus fuerat per Ioannem Terrachina possessum. Qui a tunc regni prorege privilegium infeudacionis, eius sub consueto militari servicio, obtinuit,

prout in ipso privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1466 in cartis 117 notato continetur.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Sancta Rosalia per dictum Ioannem Terrachina possidetur, quod anno quolibet reddit 07.

Nihilominus, cum a nonnullis terre Castri Ioannis probis hominibus perceperim, Vestram Catholicam Maiestatem ad instantiam universitatis terre eiusdem dictum viceregium privilegium revocasse, feudumque predictum in territorium prout ante fuerat pro demanio terre ipsius reduxisse, mihi visum est de illo nil aliud exponere.

Sanctus Philippus feudum

Feudum Sanctus Philippus in Valle Nothi positum, tempore quo Vestra Catholica Maiestas in regnis feliciter successit, per quondam Beatricem de Iurato possessum extitit.

Qua defuncta, sibi in feudo eodem successit Anthonius de Iurato, eius filius legitimus et naturalis ac primogenitus. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum, de feudo ipso a quondam Gaspare de Spes, tunc regni prorege, XXIII^o Decembris XIII^o Indicionis 1479 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 148 notatam, obtinuit.

Et nihilominus in Regie Cancellarie codicibus de feudo ipso Sancto Philippo nullus alius antiquus, sive modernus titulus, privilegium, sive investitura, aut alia scriptura invenitur. Et sic ratio assignari non potest quo iure feudum idem ad dictam Beatricem pervenerit; quamobrem illius possessor merito ad edendum iura sua compelli deberet pro curie cautela.

Mortuo exinde dicto Anthonio de Iurato, feudum Sanctus Philippus antedictum ad Iacobellum Anthonium de Iurato, tunc minorem, filium primogenitum legitimum et naturalem predicti Anthonii de Iurato et Ioannelle iugalium, pervenit. Qui pro se suisque heredibus predictis, iure francorum, de feudo ipso a Ioanne Lanuça,

tunc Regni vicerege, XXVIII^o Aprilis XIII^o Indicionis 1496, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1495 in cartis 318 registratam, consequutus fuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum predictum Sanctus Philippus per eundem Iacobellum Antoninum de Iurato possidetur; quod annis singulis reddit ultra. . 07. XXIII.

Dictus vero Iacobus Anthoninus de Iurato ob mortem domini nostri regis Ferdinandi a don Ioanne de Luna preside cepit investituram de dicto feudo Sancti Philippi die XVI^o Ianuarii V^o indicionis, notatam in libro anni 1516 in cartis 381; et iuravit dominus Anthonius de Biscardo eius procurator reddere tantumdem.

Ramursutu feudum

Feudum Ramursutu appellatum, in valle Nothi et Castri Ioannis existens, mortuo Serenissimo Rege Ioanne vestre Regie Serenitatis genitore et in regnis vestra Regia celsitudine feliciter succedente, in posse Andree de Siurana repertum fuit. Qui ob mortem dicti Regis Ioannis et vestram felicissimam successionem pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum, de feudo ipso a don Gaspare de Spes, tunc regni prorege, XII^o Ianuarii XIII^o Indicionis 1479, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 192 notatam, reportavit.

Et nihilominus in Regie Cancellarie registris tam antiquis quam modernis nullum aliud privilegium sive titulum aut investituram scripturamve feudum ipsum Ramursutu tangentem inveni; ac per hoc nulla reddi potest ratio, quo iure ad dictum Andream Siurana pervenerit, aut si per illum in presentiarum, anno 1513 decurrente, possidetur,

Et ideo illius possessor ad iura reddendum de his esset omnino compellendus pro Curie cautela; quod feudum reddit anno quolibet 07. . .

Montipillirino feudum

Feudum Montipillirino vulgo dictum, in velle Nothi et tenimento terre Buxeme positum, Serenissimo Rege Ioanne vestri Regij Culminis patre defuncto, vestraque Regia celsitudine in regnis feliciter succedente, in posse quondam Henrici de la Saguna reperiuntur extitit. Qui pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure francorum de feudo ipso a don Gaspare de Spes tunc regni prorege XII^o Ianuarij XIII^o Indicionis 1473 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 220 notatam, obtinuit.

Mortuo deinde dicto Henrico de la Saguna, sibi in dicto Muntipillirino feudo successit Antonius Federicus de la Saguna eius filius primo genitus legitimus et naturalis tunc minor. Qui de feudo eodem pro se suisque heredibus predictis iure francorum a don Gaspare de Spes vicerege prelibato, primo aprilis II^o Indicionis 1484 investituram, in Regie Cancellarie libro annorum 1483, 1484, in cartis 305 registratam, reportavit.

Perquisitis nihilominus Regie Cancellarie codicibus antiquis et modernis de feudo eodem Muntipillirino nullum alium titulum sive privilegium aut investituram inveni. Et cum in prenotatis duabus investituris ratio non assignetur aliqua quo iure feudum ipsum ad prefatum Henricum la Saguna pervenerit aut quomodo in illo successerit; et ideo illius possessor ad hec edendum compelli omnino deberet quod feudum anno quolibet reddit 07. XXXIIII

Tandem dictus Antonius Federicus de Saguna de huiusmodi feudo Montispellerini a don Ioanne de Luna preside, ob mortem domini nostri regis Ferdinandi, investituram obtinuit die XVI Ianuarij V^o indicionis 1517, notatam in libro anni 1517, f. 373; et iuravit reddere tantumdem.

Oxini feudum

Feudum Oxini nuncupatum, in valle Nothi positum, cum feudis la Favara alias Melelao ac Bauli, de quibus superius in cartis..... verba feci, paripassu deambulare mihi persuadeo. Nam feudum ipsum in posse Belledamme mulieris filie quondam Blasci de Alagona, de quibus non invenitur in Cancellaria titulus, pervenit; qui titulus pro Curie cautela a possessore esset omnino edendus. Nihilominus quondam Nicholaus Melchior de Branchifortibus, tunc Mazareni baro, tanquam maritus et legitimus administrator dicte Belledamme de ipso Oxini feudo pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure francorum a don Gaspare de Spes tunc regni prorege, ob mortem Serenissimi regis Ioannis, XII^o Ianuarij XIII^o indicionis 1479 investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 344 notatam, obtinuit. Qua in investitura exponitur, dictum Nicholaum Melchiorem in posse dicti Viceregis iurasse de feudo ipso nullum eius ad manus pervenisse privilegium sive scripturam.

Tamen reperitur feudum predictum Oxini penes dictum quondam Blascum de Alagona patrem prefate Belledamme fuisse; qui de feudo eodem in manibus tunc proregis fidelitatis iuramentum prestitit, prout in regie Cancellarie libro iuramentorum in cartis 46 continetur. Sed quia isti de Alagona in rebellionem incurrisse visi sunt, et forte illorum remissio et in integrum restitucio non invenitur aliqua ipsius feudi possessor, ad edendum iura sua compellendus esset.

Deinde autem prefatus Nicholaus Melchior de Branchifortibus predictae Belledamme maritus feudum Oxini antedictum quondam Anthonio de Bonoaiuto pro certo precio in quodam publico contractu manu notharij Ioannis de Monteaguto III^o Februarij prime Indicionis 1497 celebrato contento vendidit.

Quiquidem Anthonius de Bonaiuto pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure francorum dicte vendicionis virtute de feudo eodem a quondam Ioanne Lanuça tunc regni prorege III^o novembris II^o Indicionis 1498 investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 52 notatam, reportavit.

Mortuo deinde dicto Anthonio de Bonoaiuto Constancia mulier illius uxor pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus ob mortem dicti eius viri de ipso Oxini feudo XXVII^o Iulij VIII^o indicionis 1505 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1504 in cartis 678 notatam, obtinuit.

Nihilominus est non modice admirandum, quare ipsi Constancie huiusmodi fuerit concessa investitura in ampla forma videlicet: pro heredibus et successoribus; cum cetera investiture in stricta forma iure francorum obtente fuerint, quod contra formam principalium investiturarum factum esse demonstratur ac in sacri Regij demanij totale preiudicium. Et signanter cum in investitura per dictam Constanciam capta non exponatur, quo iure ipsa Constancia puta ex donacione sive ex testamento aut pro dotibus suis in ipso Oxini feudo successit. Et ideo est veritas omnino inquirenda pro curie cautela.

Hodie vero, anno 1513, feudum ipsum Oxini per prefatam Constanciam possidetur, quod feudum anno quolibet reddit 07. XVIII.

Deficiente postmodum predica Constancia de Bonaiuto, successit sibi in dicto Oxini feudo don Didacus de Gaytano eius frater, qui de feudo ipso a don Ugone de Montecatheno, moderno regni prorege, die . . . mensis . . . III^o Indicionis 1515 investituram, in Regie Cancellarie libro anni predicti in cartis . . . notatam, reportavit. Et per ipsum don Didacum in presentiarum, dicto anno 1513 decurrente, possidetur.

Dictus vero don Didacus Gaytano de dicto feudo Oxini a don Ioanne de Luna preside cepit investituram ob mortem domini Regis Ferdinandi die XXII^o Decembris V^o Indicionis 1516, notatam in libro dicti anni in cartis 385; et iuravit reddere tantumdem.

Scalaynum Feudum

Feudum Scalaynum appellatum, in valle Nothi positum, per quondam Gulielmum Pipi antiquitus possidebatur. Post cuius obitum ad Mazullum Pipi pervenit, deinde autem, mortuo dicto Mazullo, feudum ipsum Petro Pipi eius filio, de quibus omnibus nullus in Cancellaria reperitur titulus sive investitura, cessit.

Defuncto postmodum dicto Petro Pipi, sibi in dicto Scalayno feudo successit Raynaldus Pipi eius filius legitimus et naturalis ac primogenitus. Qui, tam virtute filiacionis et primogeniture quam testamentarie disposicionis quam etiam virtute cessionis prenominati Gulielmi Pipi eius patris, de feudo ipso a quondam Gaspare de Spes, tunc regni prorege, pro se suisque heredibus et successoribus in perpetuum XXVII^o Iulii XIII^e Indicionis 1481 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1480 in cartis 251 notatam, reportavit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum, ut opinor, per dictum Raynaldum Pipi possidetur; quod annis singulis reddit. 07. XX.

Sed quia in Regie Cancellarie registris de feudo ipso Scalayno nullus reperitur titulus sive privilegium, illius possessor ad dictum edendum titulum cogi deberet pro Curie cautela; ut percipiatur quo iure in eo successerit.

Et mortuo dicto Raynaldo Pipi, successit Petrus Pipi; qui habuit investituram die XXIII^o Ianuarij VI^e Indicionis 1487, que non apparet in repertorio. Et postmodum ipse Petrus ob mortem domini nostri Ferdinandi Regis a don Ioanne de Luna cepit investituram die XXII^o Ianuarij V^e Indicionis 1517, notatam in libro 1516 f. 428, et iuravit dictum feudum reddere tantumdem.

Spampinatu feudum

Feudum Spampinatu, in vale Nothi positum an feudum, de per se sive de membris baronie Riesi sit, cum Regia in Cancellaria non apparet, ratio reddi non potest. Tandem per quondam Ingastonum Castellar, ipsius feudi Riesi baronem, feudum ipsum Spampinato possidebatur. Qui Ingastonus de dicto Spampinato feudo quoddam marcatum donne Blance mulieri, uxori Petri de Sanso, pro certo precio puplico mediante contranctu, manu notarij Andree Fallera Panhormite XIII^o aprilis X^e Indicionis 1491 celebrato, vendidit. Que

Blanca de ipso marcato a quondam Ferdinandi Dacunna, tunc regni prorege, VI^o octobris XI^o indicionis 1492 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 86 notatam, habuit.

Sed, quia Regia in Cancellaria alius titulus sive scriptura de ipso Spampinato feudo non reperitur, inquiratur: an dictum marcatum, venditum ut supra, per dictum Ingastonum Castellar venditorem sive per eius heredes redemptum fuerit; nec non si ipsum feudum Spampinatum est feudum de per se aut si d' membris dicte baronie Riesi habetur pro Curie cautela.

Xaminacca, Vignali, Mendula feuda

Feuda Xaminacca, Vignali et Mendula vulgo nuncupata, in valle Nothi existencia, de iuribus et membris comitatus Auguste quondam Nicholaus Melchior de Branchifortibus, tunc dicti comitatus comes et feudorum ipsorum baro, quondam Nicholao de Dato medico pro certo precio, carta tamen gracie reddimendi mediante, cum publico contractu, manu notarij Ioannis de Quadro XI^o decembris XI^o Indicionis 1493 celebrato, vendidit. Qui Nicholaus de Dato de feudis ipsis a don Ferdinando Dacunna, tunc regni prorege, XXVIII^o maji XI^o Indicionis 1493 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 23 registratam, reportavit.

Sed quia de dictis tribus feudis nullum alium titulum sive investituram actumve hucusque repperi, inquirendum est; an redempta fuerint et eidem comitatui applicata pro regij militaris servicij indemnitatem, licet de feudo ipso la Mendula una cum feudo la Turrecta superius in cartis . . . non nihil dixerim, ad quod me refero.

Naccari feudum

Feudum Naccari, in valle et territorio terre Nothi positum, in vim cuiusdam sentencie olim per Petrum Speciali et Bernardinum de Caprona legum doctores iudices ad causam delegatos late, ad quondam Raymundum de Xurtino de terra eadem pervenit, cuius etiam virtute de feudo ipso a quondam Ioanne Lanuça, tunc regni prorege, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure francorum XVI^o decembris XV^e Indicionis 1496 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 176 notatam, habuit.

Et nihilominus Regie Cancellarie codicibus antiquis et modernis diligenter inspectis, de feudo ipso nullus reperitur titulus sive privilegium aliave scriptura. Et in predicta investitura per prefatum Raynaldum de Xurtino capta nulla fit mentio de titulo ipsius feudi, sive quo iure idem Raynaldus in eo successit, et qui fuerit illius primus acquisitor. Quapropter cum prefatus Raynaldus mortuus fuerit, nullaque inveniatur investitura per illius successores de feudo eodem ob eius mortem capta, inquirendus esset possessor, ut verum et antiquum titulum ederet et de non captis investituris rationem daret pro Curie cautela.

Comitatus Mohac, Ragusia, Sicii, Claramontis terre

Composito per me Catholice Princeps, tuo regio iussu comitatum terrarum et villarum regni magno Capibrevio, cuius autenticum transcriptum tua Regia in aula retines, quoddam antiquum Regie Cancellarie registrum annorum 1360, 1366 (quo tempore Serenissimus

Rex Federicus regno potiebatur) quod ab ipsius Cancellarie Regie archivo abstractum sive alio in officio inadvertenter repositum fuerat, meas devenit ad manus, in cuius 412 folio quoddam reperitur registratum privilegium ab ipso rege Federico emanatum, in quo duo inveniuntur inserta transumpta cuiusdam privilegii Serenissimi Regis Ludovici, cum minoris esset etatis et sub tutela quondam Serenissimi ducis Ioannis de Aragonia marchionis Randaci eius patrum persisteret, per quod exponitur comitatum Mohac cum terra Ragusie hoc in Sicilie regno in valle Nothi existentem per quondam Manfridum de Claramonte seniore, de quo titulus non apparet aliquis, olim possessum fuisse, et post ipsius Manfridi de Claramonte senioris obitum ex eius testamentaria dispositione et institutione ad quondam Ioannem de Claramonte illius filium devenisse. Qui Manfridus de Claramonte senior eius cum ultimo testamento disposuit, quod si dictum Ioannem de Claramonte eius filium in pupillari etate vel postea quandocumque sine liberis masculis eius de corpore legitime descendentibus mori contigisset sibi eodem in comitatu succederet Manfridus de Claramonte iunior, ipsius testatoris nepos, filius Ioannis de Claramonte fratris testatoris eiusdem, quem tali casu sibi substituit. Quam testamentariam institutionem et substitutionem Serenissimus Rex Federicus, prefati Regis Ludovici avus, acceptavit et confirmavit supplevitque: quod si idem Ioannes de Claramonte, prefati testatoris filius, infra pubertatem vel ultra quandocumque sine legitima masculina prole decederet prefatus Manfridus de Claramonte iunior, eiusdem testatoris nepos, eidem Ioanni iure directo quam iure fidei et alio quocumque iure succederet. Ob quod cum prelibatus Ioannes de Claramonte, iunior dictum Mohac comitatum possedisset, et ob hostibus Serenissimi Regis Petri pro insule Liparitane defensione captus extitisset et in carcere diu detentus pro sue captivitatis liberatione prefatum Comitatum terram et Castrum Mohac, terram Ragusie, terram Sicli et terram Claramontis quondam Henrico de Claramonte, tunc regni magistro rationali, pro precio florenorum decem milium per eius procuratores nullo tamen generato preiudicio eidem Henrico in iuribus in dicti castris, terris et locis ex prefato testamento dicti quondam comitis Manfridi senioris eius patrum sibi forte competentibus, vendidit. Qui Henricus de Claramonte easdem terras et bona pro eodem precio eidem Manfrido de Claramonte iuniori exinde vendidit. Prefatus autem comes Ioannes de Claramonte, cum interea a dicta eius captivitate liberatus fuisset et Siciliam remeasset, mortem obiit. Et sic predictus Manfridus de Claramonte iunior co-

mitatum Mohac antedictum et terras prelibatas tenuit et possedit. De quibus tandem pro se suisque imperpetuum heredibus iure francorum sub consueto militari servicio, nec non de prefato testamento per dictum comitem Manfridum de Claramonte seniore conditum ac de privilegio dicti regis Federici, ipsius regis Ludovici avi, ab eodem rege Ludovico antiquis regalijs, videlicet: iuribus lignaminum, minerum, salinarum, forestarum et defensarum antiquarum, ac iactus baliste, alijsque iuribus, regio demanio ac Regie Curie spectantibus, nec non regni constitutionibus semper salvis, confirmationem et de novo concessionem obtinuit: pro ut in ipsius Regis Ludovici privilegio, dato Cathanie XXV^o maij XI^o Indicionis 1343, continetur.

Cumque exinde dictus comes Manfridus de Claramonte senior ad mortem devenisset, suum condidit testamentum, in quo eodem in comitatu et terris quondam Simonem de Claramonte eius filium, ex se et quondam comitissa Mathia de Aragonia, eius secunda uxore, procreatum, suum instituit heredem cum hoc tamen: quod si dictum Simonem de Claramonte sine filijs masculis legitimis et naturalibus mori evenisset in dicto comitatu Mohac terris Sicli, Ragusie et Claramontis sibi succederet Federicus de Claramonte ipsius testatoris frater, quem tali casu substituit cum lege tamen et conditione, quod antequam Federicus ipse comitatus et terrarum ipsarum possessionem caperet testamentarijs fideicommissarijs testamenti ipsius comitis Manfridi de Claramonte iunioris testatoris duodecim mille florenos auri per ipsos fideicommissarios iuxta eius dispositionem distribuendos, dare et solvere tenetur; qua sub dispositione comes ipse Manfridus iunior testator decessit, sibi dicto Simone eius filio superstite et in dicto Comitatu succedente. Quiquidem comes Simon de Claramonte, dum dicto potiretur comitatu, sine filijs demum obiit; ob quod substitutionis antedictae casu adveniente, prefatus Federicus de Claramonte in eisdem comitatu et terris successit. Qui comes Federicus de Claramonte, habita prius per eum de predictis decem mille florenis a prelibatis fideicommissarijs quietacione, de institutione et substitutione comitatus et terrarum antedictarum, quatenus iuste rite et rationabiliter processerunt, nec non et de ipsis comitatu et terris a Srenissimo Rege Federico sub eodem militari servicio pro se suisque imperpetuum heredibus et successoribus iure francorum, capitulis regis Iacobi iuribusque regie Curie et alterius semper salvis, eius cum regio privilegio in Regie Cancellarie libro annorum 1360, 1366 in cartis 412 notato, confirmationem et de novo concessionem reportavit.

Unde in presentiarum cum noviter repertum fuerit antiquum privilegium prenotatum illis de Claramonte, ut predicatur, concessum Vestra Catholica Maiestas claram noticiam habere potest comitatum predictum cum terris prelibatis in forma stricta, iure francorum, et non in ampla forma: puta pro heredibus et successoribus ac quibus voluerit, concessum extitisse; iuxta quam formam strictam comitatus ipse quondam Bernardo de Capraria primo acquiritori realiter concessus fuit et non sub illa ampla forma, qua moderni possessores comitatus ipsius letari videntur, licet in privilegio concessionis comitatus eiusdem per Serenissimos Reges Martinum et Mariam prelibato Bernardo de Capraria facte videatur comitatum ipsum quasi in forma ampla concessum fuisse; cum dicat: pro se suisque heredibus et successoribus ac quibus voluerit. Nam privilegio ipso de verbo ad verbum bene et diligenter discusso et ponderato, manifeste colligitur comitatum ipsum eidem comiti Bernardo de Capraria per prefatos reges Martinum et Mariam concessum fuisse eo modo et forma, quibus alijs comitibus et baronibus predecessoribus suis comitatus ipse concessus fuerat; et sic in forma stricta, actentis verbis ipso in privilegio appositis, videlicet: cum illa iurisdictione vel simili quam tempore regalium predecessorum nostrorum habuerunt et exercuerunt predecessores vestri preteriti comites domini et barones comitatus terrarum locorum et castrorum ac feudorum etiam predictorum etc. unde inseritur cum comites et barones dictorum comitatus et terrarum predecessores dicti comitis Bernardi de Capraria comitatum ipsum in stricta forma, iure francorum, habuerint tenuerint et possiderint; prout in eorum antiquis privilegijs continetur, quod pariformiter comitatus ipse eidem Bernardo de Capraria in forma stricta iure francorum concessus fuit et non aliter, quod verum esse manifeste apparet. Princeps et enim ad hoc ut per suum privilegium possit tollere aliud prius factum, oportet ut de illo expressam et specialem faciat mencionem, forma namque stricta sive larga regali preeminencie et regni universali beneficio tantum importat ut de necessitate oporteat in privilegijs concessionum feudorum ad regiam Curiam ob rebellionem aut alias devolutorum exprimere hec vel similia verba, scilicet: concedimus tibi motu proprio et ex certa nostra regia scientia ac plenitudine regie potestatis legibus non submissee tale feudum in ampla forma pro te tuisque heredibus in perpetuum successoribus ac quibus volueris, non obstante quod feudum ipsum sit antiquum et tuis predecessoris et illius detentoribus in forma stricta iure francorum concessum; quod communiter ab omnibus tenendum est. Et

quod fortius est quod illud verbum in privilegio appositum, videlicet: in perpetuum, non semper nec in isto casu denotat tempus indiffinitum. Et tanto magis in clarum versamus, quia prefatus Bernardus de Capraria dictum privilegium sue concessionis comitatus eiusdem sibi facte per dictos reges Martinum et Mariam falsificare non erubuit. Quibus enormibus et pravis falsitatibus diligenter attentis, regie Curie intencio fundata reperitur. Que falsitates quantum importent per dictum magnum Capibrevium satis plene dictum est et sic ad illud me refero.

Mulocca, Piratu. Chimusa Feudum

Feuda Mulocca, Pirato et Chimusa vulgo nuncupata, in valle Nothi et territorijs civitatis Siracusarum et terre Leontini posita, in presentiarum, anno 1513 decurrente, per Ioannem Baptistam de Montealto possidentur, quo tamen iure ad illum pervenerint in Cancellaria nullus reperitur titulus sive privilegium aut investitura. Sed cum feuda ipsa in reginalis camere territorijs, ut predicatur, existant, cuius magistratus a sacro regio demanio separatus existit, possibile esset quod illorum privilegia et investiture in ipsius reginalis camere archivo reperirentur.

Verum tamen quondam inveni solummodo investituram a Ioanne de Lanuça tunc regni prorege concessam, et per prefatum Ioannem Baptistam de Montealto de ipsis feudis Mulocca Piratu et Chimusa, ob mortem Serenissime regine Elisabeth prime Vestri Regij Culminis consortis, captam, datam in castro Heraclie VI^o Ianuari VIII^o indicionis 1506, et in Regie Cancellarie libro anni 1505 in cartis 249 notatam, in qua non exponitur quo iure ipse Ioannes Baptista in illis successit, et ideo pro Curie cautela possidens ipse cuncta edere deberet, et ad hoc compelli oporteret; que feuda anno quolibet reddunt. 07. . . .

Rachalchachia Feudum

Medietas feudi Rachalchachia, in valle Nothi positi, pro indiviso per Anthonium de Ricca Siracusanum in presentiarum, anno 1513 decurrente, de qua medietate nullus in Cancellaria titulus sive privilegium reperitur, possidetur. Verum idem Anthonius de Ricca, ob mortem Serenissime Regine Elisabeth Vestre Catholice Maiestatis prime uxoris, de feudi ipsius Rachalchachia medietate a Ioanne de Lanuça, tunc regni Prorege, VI^o Ianuarii VIII^o Indicionis 1506 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1505 in cartis 253 notatam, obtinuit.

Cum enim huiusmodi Rachalchachia feudi nullus regia in Cancellaria reperiatur titulus sive privilegium, opinor ne forte in archivo Reginalis Cammere Siracusanum privilegia ipsa sive tituli et investiture reperiuntur. Et ideo possidens ad ipsos edendos titulos sive privilegia omnino compelli deberet, ut informacio haberi posset, quo iure dicta feudi medietas ad eum pervenit pro Curie cautela. Quod feudum anno quolibet reddit 07. . .

Machechi Feudum

Feudum Machechi vulgo appellatum, in valle Nothi et territorio Civitatis Siracusanum existens, in presentiarum, anno 1513 decurrente, per Nicolaum Descarroza, de quo Regie in Cancellarie codicibus antiquis et modernis nullus reperitur titulus sive privilegium, possidetur. Verum Nicolaus ipse de feudo ipso Machechi, ob mortem Serenissime quondam Regine Elisabeth, Vestre Catholice

Maiestatis prime consortis, a Ioanne Lanuça, tunc regni Prorege, cum siracusana Cammera Regie Curie, ob mortem predictam sive sacro regio demanio devoluta esset, XVI^o Februarii VIII^o Indicionis 1506 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1505 in cartis 310 notatam, consequutus fuit. Quod feudum anno quolibet reddit 07. .

Sed cum feudum ipsum in ipsa Reginali Camera ut predicatur existat, et illius tituli sive privilegia in reginali archivo Siracusano esse possent; possessor ad illa edendum cogi deberet, ut, visis illis, Regie Curie indemnitati provideri possit.

Grueta Pirchata Feudum

Feudum Grueta Pirchata appellatum, in valle Nothi et territorio Siracusane civitatis Reginalis Cammere positum, hodie, anno 1513 decurrente, per Guillelmum de Manescalco possidetur. Qui, XXI^o Februarij VIII^o Indicionis 1506, de feudo ipso Grueta Pirchata, ob mortem Serenissime quondam Regine Elisabeth, vestre Catholice Maiestatis prime consortis, cum Cammera ipsa regio demanio ob dictam mortem devoluta esset, investituram, in regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 313 notatam, reportavit. Et nihilominus in illa non exponitur quo iure feudum ipsum ad eundem Gulielmum de Manescalco pervenerit. Et possidens ipse pro Curie cautela ad titulum edendum cogi deberet.

Muriella Feudum

Feudum Muriella nuncupatum, in valle Nothi et territorio civitatis Siracusarum Cammere Reginalis existens, in presentiarum, anno 1513 decurrente, per Ioannem de Ribaldo, nullo tamen apparente de eo in Cancellaria titulo, possidetur. Verum Ioannes pre-

dictus de feudo ipso a quondam Ioanne Lanuça, tunc regni Prorege, cum Reginalis Cammera predicta Regio Demanio devoluta esset, ob mortem quondam serenissime Regine Elisabeth, prime uxoris vestre Catholice Maiestatis, XIII^o marcii VIII^o Indicionis 1506, investituram, in regie Cancellarie libro anni 1505 in cartis 350 notatam, habuit. Quod feudum reddit annis singulis 07. . .

Unde possessor illius pro Curie cautela ad cedendum, quo iure ad se dictum feudum pervenit, cogi deberet.

Sancti Basilii et Lu Cuccu Feuda

Feudum Sancti Basilij et feudum Lu Cuccu, in valle Nothi et territorio terre Leontini Cammere Reginalis positum (*sic*), in presentiarum, anno 1513 decurrente, in posse Francisci de Balsamo patruelis et legatarij quondam Angeli de Balsamo, olim feudi eiusdem baronis, reperiuntur: cui Angelo eius uxor, filia quondam Iacobi de Leontino alias de Sancto Basilio, feuda predicta in dotem apportavit, et ob mortem serenissime Regine Elisabeth, olim vestre regie Celsitudinis prime uxoris, cum Reginalis Cammera antedicta regio demanio devoluta esset, Angelus ipse de Balsamo de feudis eisdem Sancti Basilij et Lu Cuccu a quondam Ioanne Lanuça, tunc regni Prorege, pro se suisque in perpetuum heredibus et successoribus iuxta formam suorum privilegiorum VII^o maij VIII^o indicionis 1506 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1505 in cartis 449 notatam, obtinuit.

Mortuo postmodum dicto Angelo de Balsamo, sibi in dicto Santi Basilij feudo successit prenomminatus Franciscus de Balsamo eius patruelis ut supra. Qui de feudo ipso a Reginalis Cammere predictae gubernatore, nullo ostenso titulo, investituram reportavit; et ideo ad ipsum titulum edendum pro Curie cautela esset possidens ipse merito compellendus. Quod feudum anno quolibet reddit 07. . .

Ramacha Feudum

Feudum Ramacha nuncupatum, in valle Nothi et territorio terre Calatagironi positum, per quondam Riccardum de Passaneto, de quo nullus Regia in Cancellaria titulus non apparet, antiquitus possidebatur. Qui Riccardus, cum exinde contra Serenissimos reges Martinum et Mariam rebellionem exercuisse diceretur, et ipsam ob rebellionem feudum ipsum Regie Curie devolutum fuisset, Reges predicti quondam Iorlando de Mohac suisque in perpetuum heredibus feudum ipsum concesserunt; de qua tamen Regia concessione in Cancellaria non reperitur privilegium. Verum in ipsius regie Cancellaria libro annorum 1388, 1392, in cartis 86, quedam reperitur regum eorundem provisio terre predictae Calatagironi officialibus directa, data Leontini penultimo septembris prime indictionis 1392; per quam officialibus ipsis mandatur quod de feudo eodem Ramacha prefatum Iorlandum de Mohac investirent, ipsiusque feudi cum omnibus suis redditibus eidem Iorlando possessionem darent, quousque per ipsos reges super rebellionem dicti Riccardi de Passaneto et ipsius feudi confiscatione decideretur; sicuti in ipsa Regia provisione latius est videre.

Perquisitis tandem Regie Cancellarie predictae codicibus ab ipso anno 1392 usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, per quod tempus anni fere 121 connumerantur, de feudo ipso Ramacha nulum aliud privilegium aliamve scripturam inveni.

Nihilominus hodiernis temporibus feudum predictum Ramacha in posse Ieronimi de Gravina baronis Palagonie reperitur, cui, quo iure pervenerit, titulus non apparet. Qui Ieronimus feudum ipsum Sebastiano Sgalambro pro certo precio exinde vendidit. Quiquidem Sebastianus de feudo ipso pro se suisque successoribus iuxta formam sui privilegij a quondam Ioanne de Lanuça, tunc regni Prorege, XVII^o Iulij VIII^e indictionis 1506 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1505 in cartis 524 notatam, assecutus fuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Ramacha per prefatum Sebastianum Sgalambrum possidetur; quod anno quolibet reddit. 07 . .

Exinde dictum feudum fuit restitutum eidem Hyeronimo de

Gravina, de qua restitutione nullus in Cancellaria apparet actus nec aliqua scriptura. Tamen dictus Ieronimus dictum feudum Ramacha renunciavit ac dedit et concessit propter nuptias Ioanni de Gravina eius filio, virtute contractus acti manu notarij Benedicti de Bonfilio III^o marci VI^o indicionis 1517, cepitque dictus Ioannes de Gravina de huiusmodi renunciacione et possessione a don Hectore Pignatello Vicerege investituram ipsius feudi, die XXIII^o Februarii VII^o Indicionis 1519, notatam in libro Cancellarie anni 1518 VII^o indicionis f. 471; et iuravit dictum Ramache feudum in presentiarum reddere 07. XXV.

Sambuchi, Muni Feuda

Feudum li Sambuchi et medietas feudi di li Muni, in valle Nothi et territorio terre Leontini Reginalis Cammere posita, per Ioannem de Albio terre eiusdem Leontini hodie, anno 1513 decurrente, possidentur. Qui cum ob mortem Serenissime Regine Elisabeth, olim vestre Catholice Majestatis primeve coniugis, Reginalis Camera predicta regio demanio devoluta fuisset pro se suisque heredibus imperpetuum heredibus et successoribus iuxta formam suorum privilegiorum de feudo ipso Sambuchi et medietate prefati feudi li Muni a quondam Ioanne Lanuça, tunc Regni Vicerege, XVI^o augusti VIII^o indicionis 1506 investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 91 notatam, nactus fuit.

Nihilominus cum Regia in Cancellaria non appareat titulus aliquis sive privilegium aut investitura quibus exponatur quo iure ad eum pervenerit, ratio dari non potest quomodo ad illum pervenit. Et ideo possidens ipse ad dicta eius iura edendum, pro Curie cautela, cogi deberet.

Rigilisi feudum

Feudum Rigilisi in valle Nothi positum, per quondam Orlandum Traversa antiquitus possidebatur. Cui quo iure pervenerit nullus in Cancellaria apparet titulus sive privilegium aliave scriptura. Tandem Orlandus ipse quondam Nicholao Anthonio de Siracusi feudum predictum, publico mediante contractu manu notarij Iacobi de Amarella XX° Augusti IX° indictionis 1505 celebrato, refutavit. Cuius refutationis virtute idem Nicolaus Antonius de Siracusi pro se suisque in perpetuum heredibus et successoribus de feudo ipso, a quondam Ioanne Lanuça, tunc Regni Prorege, IIII° novembris X° indictionis 1506 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1505 in cartis 172 notatam, reportavit.

Sed quia dictus Nicholaus de Siracusi mortem obiit, relictis per eum filijs et heredibus, et nihilominus Regia in Cancellaria non apparet aliqua investitura ob mortem dicti Nicholai Anthonij de feudo ipso capta, est omnino perquirendum in cuius posse ad presens anno 1513 decurrente, existat, ut compelli et cogi possit ad edendum feudi ipsius titulum, ac quo iure capte non fuerunt investiture pro Curie cautela; quod feudum anno quolibet reddit 07.

Magrintini feudum

Feudum (*sic*) Magrintini, in valle Nothi et territorio civitatis Siracusarum Cammere Reginalis positi, medietas hodie, anno 1513 decurrente, per Petrum Barbilatum possidetur. Qui ob devolucionem Reginalis Cammere eiusdem ad regium demanium, ob Serenissime Regine Elisabeth, olim vestre Catholice Maiestatis primeve coniugis mortem, de feudo ipso a quondam Ioanne Lanuça, tunc Regni Pro-

rege, pro se suisque in perpetuum heredibus et successoribus iuxta formam sui privilegi III^o novembris X^e indictionis 1506 investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro, in cartis 160^r notatam, obtinuit. Quod feudum anno quolibet reddit 07. . .

Sed quia in eiusdem Regie Cancellarie codicibus de feudo ipso Magrintini nullum aliud privilegium sive investitura aliave scriptura reperitur, illius possessor ad antiquum titulum edendum, nec non ad docendum quo iure feudum ipsum ad eum pervenerit, compellendus esset pro Curie cautela.

Cava di la Donna Feudum

Feudum la Cava di la Donna nuncupatum, in valle Nothi et territorio Siracusarum Cammere Reginalis existens, in presentiarum, anno 1513 decurrente, per Iaymum Zumbu possidetur. Qui, devoluta ipsa Reginalis Cammera sacro Regio Demanio ob mortem quondam Serenissime Regine Elisabeth vestre Regie Maiestatis consortis, pro se suisque heredibus et successoribus in perpetuum iuxta formam sui privilegii de feudo ipso a quondam Ioanne Lanuça, tunc Regni Prorege XXII^o Februarii VIII^e indictionis 1506 investituram in regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 190 registratam, obtinuit; quod feudum anno quolibet reddit . 07. . .

Cumque Regia in Cancellaria de feudo ipso la Cava di la Donna nullus reperiatur titulus sive privilegium aliave scriptura, pro Curie cautela, illius possessorem ad edendum quo iure feudum ipsum ad eum pervenerit, cogi oporteret.

Jrodo Feudum

Jrodu feudum, in valle Nothi et territorio terre Francifontis positum, per Don Ferdinandum de Montecatheno et dominam Elienoram iugales, de quibus in Cancellaria titulus non apparet aliquis, possidebatur. Qui iugales tandem Sebastiano Sgalambro terre Leonitini feudum predictum pro certo precio pulico mediante contractu, manu notarii Ioannis Antonio de Marciano III^o decembris X^o indicionis 1506 celebrato, vendiderunt. Dictus vero Sebastianus de feudo eodem exinde a quondam panhormitano Archiepiscopo, tunc regni Preside, III^o marcii X^o indicionis 1507 investituram in Regie Cancellarie libro anni 1506 in cartis 478 notatam, habuit.

Et in presentiarum, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Girodo per prefatum Sebastianum Sgalambro possidetur, quod anno quolibet reddit 07. L.

Nihilominus pro Curie cautela verus et antiquus titulus feudi predicti esset omnino inquirendus; ut videri possit, an feudum sit de per se sive de membris dicte terre Francifontis.

Et ultra cepit investituram a don Ioanne de Luna, Preside, de feudo predicto Giroldi pro se suisque heredibus et successoribus, ob mortem Catholici domini Regis Ferdinandi et successionem dominorum Regine Ioanne et Regis Caroli filie et nepotis die XXVII^o novembris V^o indicionis 1516 notata in libro Cancellarie anni predicti f. 245, et iuravit reddere tantundem, scilicet 07. . .

Cugno di lu Bosco Feudum

Feudum lu Cugno di lu Bosco appellatum, in valle Nothi et territorio terre Buxeme positum, per quondam Bernardinum Rizu Messanensem olim possidebatur. Cui, quo iure pervenerit, nullus Regia

in Cancellaria titulus reperitur; cuiusquidem Cancellarie registris diligenter inspectis, de feudo ipso similiter nullam inveni investituram sive privilegium aut aliam scripturam in alicuius personam nec in personam ipsiusmet Bernardini factam. Verum in quodam Regie Cancellarie eiusdem libro anni 1506, in cartis 794, quamdam inveni investituram XXII^o marcii X^o indicionis dicti anni 1506, per don Raymundum de Cardona, olim Regni Prorege, Ioanni Rizo filio dicti quondam Bernardini Rizu concessam, per quam apparet ipsum Ioannem eidem Bernardino eius patri, post illius obitum in dicto feudo successisse, et pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure francorum, de feudo eodem se investivisse. Per quem Ioannem Rizu in presentiarum, anno 1513 decurrente, feudum ipsum in Cugnu di lo Boscu possidetur; quod annis singulis reddit 07. . .

Munticalfuni Feudum

Feudum Munticalfuni appellatum, in valle Nothi existens, per Ioannem Statellam baronem Munjalini olim possidebatur; de quo nullus in Cancellaria apparet titulus, ob quod ratio dari non potest, an dictum feudum sit feudum de per se aut de iuribus et membris dicte baronie. Tandem Ioannes Statella prelibatus feudum ipsum Baptiste de Guirrerio, pro certo precio, viceregia licencia preeunte, cum puplico contractu, manu notarii Iacobi Scarroza XIII^o marcii XI^o indicionis 1508 celebrato, vendidit; cuius virtute ipse Baptista de Guirrerio, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, iure francorum, de feudo eodem a don Raymundo de Cardona, tunc regni prorege, penultimo marcij XI^o indicionis 1508 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1503 in cartis 463 registratam, reportavit. Et per eum hodie, anno 1513 decurrente, possidetur; quod annis singulis reddit 07. LXX.

Dictus vero Baptista de Guirrerio de dicto feudo cepit investituram a don Ioanne de Luna, Preside ob mortem domini Regis Ferdinandi, die VIII^o septembris V^o indicionis 1516, notatam in libro dicti anni f. 78; et iuravit reddere tantumdem.

Rabiato Feudum

Feudum Rabiato nuncupatum, in valle Nothi iuxta territorium terre Placie prope montem Marcii positum, prima facie per Regiam Curiam quondam notario Andree de Panhormo de Aydono ad eius vitam tantum concessum fuit. Cuius obitu eidem Regie Curie postmodum devolutum extitit. Illudque Serenissimus Rex Federicus, cum minoris esset etatis et sub tutela quondam ducis Ioannis de Aragonia eius patrum tunc Randacio marchionis constitutus, quondam Ioanni de Albiginio ad eius tamen regium beneplacitum, sub consueto militari servicio, concessit. Qui Rex Federicus, cum ad etatem perfectam exinde pervenisset, feudum ipsum Rabiato eidem Ioanni de Albiginio confirmavit, nec non ad maioris gracie cumulum ex sua regia scientia illud eidem Ioanni suisque in perpetuum heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub dicto militari servicio, antiquis regaliis Regni constitutionibus iuribusque curie et alterius semper salvis, eius cum regio privilegio, in Regie Cancellarie libro annorum 1360, 1366 in cartis 448 notato, ampliavit.

Secuta autem dicti Regis Federici morte, ac serenissimo Rege Martino in regno succedente, per aliquod temporis intervallum, prout asserebatur, feudum predictum ad Parisium Pitrellam militem de terra Placie pervenit, quo tamen iure nullus reperitur titulus. Commissa exinde per dictum Parisium Pitrellam contra eundem Regem Martinum rebellionem, feudum ipsum Rabiato, non tamen sub feudi nomine sed terrarum tenimenti Regie Curie devolutum extitit, et Regie Secrecie terre eiusdem Placie Regie Curie nomine, incorporatum.

Demum autem, cum idem Rex Martinus feudum ipsum Rabiato a dicta regia Secrecia segregasset, non sub feudi nomine sed sub nomine tenimenti terrarum, ad informationem quondam Rogerii Chachaluni de eadem Placie terra, feudum ipsum eidem Rogerio suisque in perpetuum heredibus et successoribus, iuribus Curie et alterius semper salvis, eius cum regio privilegio, dato Cataniae XX^o Septembris XIII^o indictionis 1404, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 90 notato, concessit et donavit. Quo in privilegio nulla fit mentio, quod ipsum Rabiato feudum erat anti-

quum feudum inquaternatum et regio militari servicio obnoxium, quod cum pars impetrans tacuisset, non tantum ad feudi amissionem incurrisse videtur, verum etiam in rebellionem, nam regalias et demanialia iura usurpasse dici potest, et feudum in burgensaticum territorium absque principis decreto et absque aliquo servicio et recognitione trasmutasse: taliter quod, a dicto tempore usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, per quod tempus anni fere 109 connumerantur, de ipso Rabiato feudo nullum aliud privilegium sive investitura reperitur. Et sic feudum ipsum tam diu ut res burgensatica et non feudalis in grande regii demanii suarumque regaliarum preiudicium detentum fuisse constat, ac de presenti detinere.

Qua propter esset inquirendus ipsius feudi possessor ut de iuribus suis rationes assignet ac edat quo iure per eum possideatur. Et nihilominus in rollo noviter conficiendo ponendum est sub consueto militari servicio tamquam antiquum feudum ut supra; quod feudum anno quolibet reddit 07. . .

Casali Vechu Feudum

Feudum Casali Vetus nuncupatum, in valle Nothi positum, tanquam de membris feudi de Monjalino, per Ioannem Statellam feudi eiusdem et castri Monjalini baronem Ioanni de Falconibus Leoninensi, licencia viceregia preunte, cum carta gracie reddimendi certo precio, puplico mediante contractu manu notarii Ioannis de Monteaguto X^o Februarii prime indicionis 1498, venditum fuit.

Qui Ioannes de Falconibus de ipsa feudi vendicione pro se suisque in perpetuum successoribus, iuxta formam investiture dicti feudi primo Februarii II^o indicionis 1499, a tunc Regni Prorege investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1498 in cartis 223 notatam, obtinuit.

Et in presentiarum, anno 1513 decurrente, ipsum Casalis Veteris feudum per prelibatum Ioannem de Falconibus possidetur, quod anno quolibet reddit 07.

**Casale de Lorba, seu Casale de Lerba et Casale de Legna
Plani di li Puti, Casi, Territoria**

Feuda Casale de Lorba, alias Casale de Lerba et Casale de Legna nuncupata cum nonnullis territoriis vocatis li Plani di lu Puti, in valle Nothi et territorio terre Iarratane posita, que per quondam Sanctorum la Rocca possidebantur. Nec non et quoddam aliud terrarum tenimentum li Casi nominatum, ibidem existens, quod quondam Nicholai Deaiuto fuerat, ob rebellionem per ipsos contra Regiam Coronam patratam Regie Curie aperta fuere et devoluta. Illaque Serenissimus Rex Martinus quondam Martino Sgalambro militi Siracusano suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio cum illorum iuribus et pertinencijs, prout eadem sui antecessores possederant, antiquis regalijs Regni constitutionibus iuribusque Regie Curie semper salvis, eius cum Regio Privilegio dato Cathane in anno 1393 II^o indicionis et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 77, notato, concessit.

A quo quidem, anno 1393 usque ad hodiernum anno 1513 decurrente, de feudis ipsis et terrarum tenimentis Regia in Cancellaria nullum aliud privilegium sive investitura aliave scriptura reperitur. Et ideo inquirendum est in cuius posse existunt ut rationem assignet, quo iure illa possideat, et quomodo in illis successit, ac quare sui progenitores ac ipsemet possidens de eisdem non se investiverunt: quam regiam prehemineciam et iurisdictionem usurpasse videntur in non modicam Sacri Regii Demani iacturam, cum presertim feuda ipsa et terrarum tenimenta in territorio dicti Sacri Demanii consita sint, ut in predicto Regis Martini privilegio late patet.

Juliana Feudum

Feudum Juliana nuncupatum, in valle Nothi positum, cum de illo in Cancellaria nullus appareat titulus, per quem ratio assignari posset in cuius posse antiquitus reperiebatur, alias, ut asseritur, penes quondam Anthonium de Aydono invenctum fuit. Qui Anthonius de Aydono quemdam filium nomine Ioannem, et quemdam nepotem ex dicto Ioanne eius filio procreatum, nomine Ioannem Paulum, tenebat. Tandem dicto Ioanne de Aydono, filio prelibati Anthoni de Aydono, eius patris, eidem Anthonio ejus patris premortuo, premortuo (*sic*), prefatus Ioannes Paulus de Aydono, prelibati Ioannis de Aydono filius ac prenominati Anthonii de Aydono nepos, ex testamentaria dispositione dicti quondam Anthonii eius avi paterni feudum predictum Julianam habuit. Qui Ioannes Paulus pro se suisque heredibus iuxta formam sui privilegii de feudo eodem a quondam Ioanne Lanuça, tunc Regni Prorege, XVI^o Ianuarii VII^e indicionis 1504, investituram in Regie Cancellarie libro anni 1503 in cartis 220 notatam, obtinuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum Juliana per prefatum Ioannem Paulum de Aydono possidetur, quod anno quolibet reddit 07. . .

Cuchara Feudum

Feudum Cuchara appellatum, in valle Nothi et tenimento terre Minei positum, per quondam Rogerium et Riccardum de Passaneto, de quibus Regia in Cancellaria non apparet titulus, olim possidebatur. Qui Rogerius et Riccardus de Passaneto, cum exinde crimine lese Maiestatis accusati fuissent et propterea carceribus mancipati, Serenissimus Rex Martinus quondam Ioanni de Paternione Catha-

nensi suisque in perpetuum heredibus eius. cum Regia provisione Capitano dicte terra Minei directa, pro danda sibi de feudo eodem Cuchara possessione, data Leontini penultimo Septembris 1392, et in Regie Cancellarie libro annorum 1388, 1392 in cartis 91 notata, concessit. Nichilominus, a dicto anno 1392 usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, de ipso feudo Cuchara Regia in Cancellaria nullum aliud reperitur privilegium, sive investitura aliave scriptura; et ideo pro Curie cautela inquirendum esset in cuius posse existat, ut percipi possit quo iure per eum possidetur.

Abola Terra

Per magnum Capibrevium in cartis 1104 satis diffuse dictum est, quo iure terra Abole in valle Nothi existens a primo illius acquiretore usque ad modernum eius possessorem detencta fuerit. Videlicet quod Serenissimus Rex Martinus terram ipsam quondam Ioanni de Aragonia, nepoti quondam Orlandi de Aragonia, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, eius cum Regio Privilegio dato Nothi in anno 1398 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 36 notato, concessit; nec non quomodo nullis per dictum Ioannem de Aragonia procreatis filii Rex idem mencionem faciens ad partis in formacionem qualiter terram ipsam antea eidem Ioanni de Aragonia et dictis suis heredibus concesserat terram, eandem eidem Ioanni pro se et eius filiis tam masculis quam feminis procreatis et procreandis ex se et Leonore muliere soluta quos habiles et capaces effecit ampliavit, prout in ipso magno Capibrevio continetur.

Nihilominus quia noviter quoddam repperi Regie Cancellarie registrum annorum 1388, 1392, quod ab illa occupatum fuerat et in eo quoddam registratum est regium privilegium in cartis 3 a dicto Rege Martino per annos fere sex ante predictum privilegium anni 1398 emanatum, puta VI^o Octobris prime indictionis 1392 et in Regie Cancellarie libro annorum 1388, 1392 mihi visum est de illo hoc in loco aliquid exponere. Apparet enim ipsum Regem Mar-

tinum, post obitum prefati Orlandi de Aragonia avi predicti Ioannis nullis relictis filijs decedentis, terram predictam Abole prelibato Ioanni de Aragonia suisque filijs masculis legitimis et naturalibus a se legitime descendentibus et eorum legitimis et naturalibus filijs masculis, recta linea descendentibus ex eisdem, et sic in infinitum perpetuo donacione pura perfecta et irrevocabili inter vivos, cum nonnullis retentionibus, reservacionibus et iuribus ad cautelam Regis ipsius et sacri Regii Demanii, nec non cum clausula: et si forsan actemparetur per vos vel filios vestros predictos contrarium premissorum, donacio et concessio nostra huiusmodi sit cassa et vana et nullius efficacie seu valoris, careatque viribus et effectu omnino, et pro non facta penitus habeatur etc. concessisse. Unde, considerato, quod in dicto secundo privilegio dato in anno 1398 ut supra nulla sit mentio de privilegio predicto donacionis terre eiusdem irrevocabiliter inter vivos dato in anno 1392, dico quod dictum privilegium dato in anno 1398 fuit surrepticie et tacite veritate impetratum: nam Rex ipse fuit male informatus, immo deceptus.

Et sic, cum contraventum sit condicionibus et pactis in dicto primo privilegio contentis, successores dicti quondam Ioannis omnino excludi debent a possessione dicte terre, et maxime quia in presentiarum contra formam dicti primi privilegii et in preiudicium sacri Regii Demanii per feminam possidetur.

Brucusana Feudum

Feudum Brucusana appellatum, in valle Nothi et tenimento terre Leontini positum, per quondam Nicholaum de Lamia, de quo non invenitur in Cancellaria titulus, olim possidebatur. Qui cum exinde rebellionem contra regem Martinum patrasset, feudum ipsum Regie Curie devolutum fuit. Illudque Rex idem, quod ut assertum fuit erat redditus unciarum decem in duodecim quondam Anthonio Detinera Leontinensi suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum, sub consueto militari servicio, an-

tiquis regalijs Regni Constitutionibus, iuribusque Regie Curie semper salvis; ac cum clausula: retinemus et reservamus nobis et sub tali condicione facimus concessionem huiusmodi quod si forte redditus dicti feudi excedant summam decem vel duodecim unciarum ut supra dictum est, huiusmodi donacio dicti feudi non valeat neque sit alicuius valoris, immo pro non facta penitus habeatur; eius cum Regio privilegio dato Cathanie VIII^o Ianuarii prime indicionis 1392 et in Regie Cancellarie libro annorum 1388, 1392, in cartis 117 notato, concessit.

A quoquidem tempore usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, de feudo ipso Brucusana nullum aliud in Regia Cancellaria privilegium reperitur. Et ideo reor cum terra ipsa Leontini sit de Reginali Camera acta et scripturas feudi eiusdem in archivo dicte Reginalis Cammere esse.

Attendendum tamen est condicioni et retentioni predictis attentis, quod si dictum feudum ultra dictas uncias decem in duodecim valuisset, illud plus esset Regie Curie ultra quod ipsa donacione esset nulla et feudum ipsum posset ipsi Regie Curie revocari: et ideo de his pro Curie cautela a Secreto dicte terre relacio habeatur.

Curcasi Feudum

Feudum Curcasi appellatum, in valle Nothi et comitatu terre Auguste existens, ac ex parte orientis cum feudo Malfitanu, ex parte occidentis cum feudo la Charruba, ex parte meridiey cum Margiis terre Xortini et alijs confinibus confinans; quod erat extra territoria et feuda que fuerunt per Serenissimum Regem Martinum Sacro Regio Demanio agregata, per quondam Gulielmum Raymundum de Montecatheno, tunc Meliveti Marchionem, de quo non apparet titulus, olim possidebatur. Qui cum exinde contra dictum Regem Martinum rebellionem perpetrasset, feudum ipsum cum alijs eius feudis et bonis omnibus Regie Curie devolutum fuit. Illudque Rex idem quondam notario Anthonio de Ioanne suisque in perpetuum hereditibus eius de corpore legitime descendentibus, iure Francorum,

sub consueto militari servicio, renunciatis prius per eum Regie Curie cunctis concessionibus sibi forsan vel progenitoribus suis per Sicilie Reges super Regni Secrecijs et portibus factis, eius cum Regio privilegio dato Cathanie XVI^o Ianuarij VI^o indictionis 1397 et in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 131 notato, concessit.

Licodia terra

Memini, Catholice Rex, per magnum Capibrevium in capitulo terre Lichodie, in valle Nothi posite, in cartis 1086 exposuisse: qualiter terra ipsa per Serenissimum Regem Martinum quondam Uguecto de Sancta Pace, suisque in perpetuum heredibus et successoribus, sub feudali servicio eius cum Regio privilegio, dato Leocate XXV^o Februarii II^o indictionis 1393, concessa extitit; quod privilegium descendentes a dicto Uguecto de Sancta Pace usque ad hodiernum pro vero titulo habent et tenent. Nihilominus in archivo Regie Cancellarie privilegium ipsum realiter non invenitur, prout in dicto magno Capibrevio, ad quod me refero, serius exponitur.

Verum, post ipsius magni Capibrevij confectionem, quoddam Regie Cancellarie registrum, quod ab illa occupatum extiterat, noviter inveni. In quo quoddam registratum est remissionis privilegium per dictum Regem Martinum quondam Ioanni de Filingerio cum restitutione dicte terre Lichodie concessum, sicuti in eodem dato Cathanie XII^o Septembris X^o indictionis 1394, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 23 notato, hec et alia serius enarrantur.

Sed quia dictum remissionis privilegium fuit per prefatum Regem Martinum prelibato Ioanni de Filingerio concessum, per quam plures dies post datam privilegij prenominato Uguecto de Sancta Pace concessi, quod, ut predicatur, Regia in Cancellaria non reperitur, pro Curie cautela inconveniens non esset de hoc veritatem inquirere, nec non et que iura prefatus Ioannes de Filingerio eadem in Lichodie terra tenebat investigare. Quodque modernus terre

eiusdem possessor privilegium predictum, datum Leocate in anno 1393, prefato Ugucto de Sanctapace concessum, autenticum et fidem ferens offert et presentet pertractare.

Passanitellum Feudum

Feudum Passanitellum vulgo appellatum, in valle Nothi et territorio terre Leontini Cammere Reginalis in contrata feudi Passaneti ac territorijs terrarum Bizini et Lichodie positum, per quondam Ioannem de Renda de quo titulus in Cancellaria non reperitur antiquitus possidebatur. Tamen ob forjudicationis sententiam contra eum per Magnam Regiam Curiam latam, ut in actis ipsius Magne Regie Curie apparere asseritur, feudum ipsum Passanitelli Regie Curie devolutum fuit. Ob quod, cum ad quamdam pecuniarum quantitatem Regia Curia ipsa quondam Thome Crispo militi, pro sua provisione et salario ut locumtendenti magistri iusticiarij, teneretur; feudumque predictum per Falconem de Falconibus et Matheum de Pedeamplio, Leontinenses, in talibus expertos ad uncias XXV extimatum fuisset, Serenissimus Rex Martinus eidem Thome Crispo suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio, pro dictis uncis XXV, in comptum dicte sue provisionis et salarij, feudum prelibatum Passanitelli eius cum Regio Privilegio, dato Cathanie X^o marcij III^e indictionis 1394 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 108 registrato, concessit.

A quoquidem tempore usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, de ipso Passanitelli feudo nullum aliud privilegium sive investitura ipsa in Cancellaria reperitur, ob mortem predecessorum. Verum ad presens, anno predicto 1513 decurrente, ipsum Passanitelli feudum per Anthonium Piza Lagunna possidetur. Cui quo iure pervenerit ratio assignari non potest cum de illo non appareat investitura ob sui antecessoris mortem capta. Nihilominus prefatus Anthonius Piza Lagunna ob mortem Serenissime quondam Elisabeth Regine Vestre Catholice Maiestatis olim prime uxoris, que dictam Reginalem Cammeram possidebat, de feudo eodem a quondam Ioanne

Lanuça, tunc Regni Prorege, XXVII^o marcii VIII^o indictionis 1506 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1505 in cartis 341 notatam, reportavit. Quod feudum anno quolibet reddit uncias....

Et sic, quia ipsa in Cancellaria de feudo ipso Passanitelli nulla alia reperitur scriptura, prefatus illius possessor ad edendum quo iure possidet et ad rationem de omnibus dandum pro Curie cautela, cogi deberet.

Alfanum Nemus et Olivetum

Nemus et Olivetum Alfanum nuncupatum, in valle Nothi et territorio terre Leontini existens, per quondam Ioannem de Schifano Leontinensem, de quo non apparet in Cancellaria titulus, olim possidebatur. Ob cuius rebellionem exinde contra Screnissimum Regem Martinum patratam et commissam Regie Curie devolutum fuit. Et postmodum per Regem predictum quondam notario Anthonio de Bifaro, tunc notario in officio Regie Cancellarie, suisque imperpetuum heredibus et successoribus concessum, cum clausula tamen, quod si forte dictum Olivetum sive nemus feudum fuisset et censeretur, eo in casu ipsum Olivetum et nemus eidem Anthonio ut feudum concessum fuisse intelligeretur. Illudque tanquam feudum tali casu sibi suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub militari servicio, omnibus et singulis clausulis, capitulis, retentionibus et adiectionibus oportunis, iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis; renuntiatis prius per eum omnibus concessionibus sibi vel progenitoribus suis forte factis per Sicilie Reges super Secrecijs et Tractis Regni concessum teneret et possideret, pro ut in eius Regio privilegio, dato Cathanie XVI^o Ianuarij VI^o indictionis 1397 et in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 129 notato, continetur.

Feudum Riulfi

Feudum Riulfi vocatum, de membris feudi Grasiliati in valle Nothi positi, venditum fuit per don Ioannem de Branchifortibus Comitem Mazareni, Henrico et Petro de Grinaldis et heredibus, carta gracie patet per contractum actum manu notarij Guillelmi Guchulo, die VII^o Iunii II^e indicionis 1514, cum licencia Proregis data XII maij eiusdem anni, de quo ceperunt investituram pro se et heredibus de eorum corpore legitime descendantibus, iuxta formam sui privilegij a don Ugone de Moncada Vicerege die XXI Iunij II^e indicionis predictae, notata in libro Cancellarie dicti anni scilicet 1513 II^e indicionis f. 201; et iuravit reddere quolibet anno uncias XXXX.

Ceperunt etiam a don Ioanne de Luna, nunc Presidente in Regno, homagium et investituram dictorum feudorum pro se ipsis et heredibus predictis, ob mortem C. domini nostri Ferdinandi Regis et successionem dominorum Regine Ioanne et Regis Caroli die XXIII^o Novembris V^e indicionis 1516, notata in libro Cancellarie dicti anni f.^o 231; et iurarunt reddere tantumdem.

De feudo Bondisem

Ioannes etc. Vicerex etc. Nobili Gubernatori, Capitaneo, Secreto, Iudicibus et cunctis officialibus terre et comitatus Auguste, ad quos presentes presentate fuerint, Regijs fidelibus dilectis salutem. Cum idem Serenissimus dominus noster Rex providerit et mandaverit sub hac forma: Ioannes Dey gracia Rex Aragonum, Sicilie, Navarre, Valencie etc. Magnificis nobilibus dilectis et fidelibus consiliarijs nostris, in dicto Sicilie Regno Viceregi seu Presidenti, Magistro Iusticiario, Locumtenenti, Iudicibus Magne nostre Curie, Thesaurario,

nostrique patrimonij Conservatori, ceterisque universis et singulis officialibus nostris in eodem Regno constitutis et constituendis, eorumque locatenentibus, presentibus et futuris, ad quos presentes pervenerint et subscripta dignoscantur quolibet spectare salutem et dilectionem. Accepimus ex querela nobis exposita pro parte nobilis et dilecti nostri Gondisalvi de Nava militis, quod nobilis Guterra de Nava, quondam eius frater, tenuit et possedit pacifice et quiete feudum Bondisem, situm et positum intra limites comitatus Auguste dicti Regni Sicilie, titulo et causa emptionis quam fecit de eodem feudo a nobis anno 1432, cum totus comitatus tunc esset in nostris dominio et potestate, et a quo comitatu dictum feudum cum auctoritate et licencia Serenissimi domini Regis Alfonsi, fratris et predecessoris nostri, memorie celebris, fuit disunitum, dismembratum, separatum et penitus segregatum, et post dicti Gutierre obitum, dictum feudum tenuit et possedit pacifice et quiete dictus nobilis Gondisalvus, frater et heres et successor eiusdem nobilis Gutierre fratris sui, et ita dictum feudum dicti fratres possiderunt per annos viginti et ultra. Quibus sic stantibus, prefatus nobilis Gondisalvus per Petrum Debusuldino nonnulla Regia officia in dicto Regno Sicilie exercentem, sex vel septem anni elapsi sunt, possessione dicti feudi fuit, ut asseritur, et adhuc est privatus indebite et iniuste ac in eius non modicum preiudicium atque damnum. Quare fuit Maiestati nostre, pro parte dicti nobilis Gondisalvi, humiliter supplicatum, ex quo de evictione teneri promisimus in contractu vendicionis quam fecimus de dicto feudo ipsum cum suis iuribus et pertinencijs eidem nobili Gondisalvo restitui facere dignaremur. Cui supplicacioni annuentes benigne, dicta evictione actencta providendum duximus, uti presentium serie providemus, vobisque et singulis vestrum dicimus et districte precipiendo mandamus de certa nostra scientia et expresse, sub nostre gracie obtentu ac pena unciarum mille, quod illico acceptis presentibus mora dilacione, contradictione et consultacione penitus semotis, dictum nobilem Gondisalvum de Nava restituatis, prout nos serie cum presenti restituimus in pristinam possessionem dicti feudi membrorum iuriumque et pertinenciarum eiusdem, iuribus feudalibus et alijs nobis et nostre Curie, successoribusque nostris presentibus et spectantibus semper salvis; et ille, sic restitutum, in huiusmodi possessione manuteneatis et defendatis, non permittendo illum in dicta sua possessione a quoquam indebite ac iniuste vexari, molestari seu perturbari; et caveatis ne predicta mutetis aut facere deferatis pro quanto gratiam nostram caram

habetis iramque et indignationem ac penam predictam cupitis non subire; cum sit Sacri nostri Consilij previa deliberatione omnino fieri velimus et compleri. Datum Barchinone die III^o Ianuarii VIII^o indictionis anno a nativitate domini 1460. Rex Ioannes. Dominus Rex mandavit mihi Dominico Decho, et viderunt eam Ioannes Pages Vicecancellarius, Andreas Cathala locumtenens thesaurarij generalis, Anthonius Desin Thesaurarius Sicilie, et Iacobus Pauli Advocatus fiscalis domini Regis pro Conservatore Sicilie, quibus Vicerege et Iacobo Paulo fuit commissa ut eam viderent. Propterea volentes, ut tenemur, Regijs obedire mandatis, vobis et unicuique vestrum dicimus et mandamus, quatenus eidem nobili Gondisalvo provisionem Regiam preinsertam exequamini et compleatis iuxta ipsius seriem et continenciam pleniorum, contrarium nullatenus temptaturi. Datum Panhormi XV^o Maij VIII^o indictionis 1460.

Ioan de Moncayo

Dominus Vicerex mandavit mihi Ioanni de Medico
Locumtenenti et Magistro Nothario in officio Prothonotarii et viderunt eam Thesaurarius et Conservator.

*Privilegium feudi Bondisem siti in comitatu Auguste,
de quo superius est facta mencio in cartis 443.*

Ioannes etc. Vicerex etc. Spectabili magnifico et nobilibus eiusdem Regni, Magistro Iusticiario Locumtenenti, Iudicibus Magne Regie Curie, Thesaurario et Conservatori Regij Patrimonij, Advocato quoque et Procuratoribus fiscalibus ceterisque universis et singulis officialibus et personis ad quos seu quem spectabit; consiliarijs et familiaribus Regijs dilectis salutem. Presentato nobis et reverenter exhibito pro parte nobilis Gutterre de Nava quodam Regio privilegio tenoris sequentis. Nos Ioannes dei gracia Rex Aragonum, Sicilie, Navarre, Valencie etc. Nobili et dilecto nostro Gutterre de Nava salutem et dilectionem. Quia nobilis quondam Gondisalvus de Nava miles qui ad eius et unius heredis vitam quem verbo vel inscriptis duceret eligendum feudum vulgo dictum Bondisem, in territorio comitatus Auguste situatum, tenebat cum provisionibus nostris seriei subsequenter. Ioannes dei gracia Rex Aragonum

Sicilie, Navarre, Valencie etc. Vicerex etc. Magnifico ac nobilibus eiusdem Regni nostro Iusticiario eiusque in officio locumtenente, Iudicibus magne Regie Curie, Magistris Rationalibus, Thesaurario et Conservatori Regij Patrimonij, eorumque locatenentibus et ceteris officialibus et personis Regni eiusdem et signanter terre et comitatus Auguste, ad quos seu quem spectabit, presentibus et futuris consiliarijs fidelibus Regijs dilectis salutem. Presentato nobis reverenter, per magnificum virum Consalvum de Nava militem, quodam Regio privilegio omni qua decet sollempnitate vallato, sigillo pendenti munito, tenoris sequentis. Nos Ioannes dei gracia Rex Aragonum, Sicilie, Navarre, Valencie etc. magnifico consiliario nostro dilecto Gonsalvo de Nava militi salutem et dilectionem. Intelleximus vos feudum vulgo appellatum Bondisem, in comitatus Auguste territorio situatum, ex Serenissimi dive recordacionis Alfonsi Regis, germani nostri, largicione et inde nostra ad Regium beneplacitum confirmacione tenere, sed ea servicia et obsequia danda et digna Regi predicto Alfonso, et post eius felices dies nobis et nostre Curie multisque modis hactenus prestistis, queque in presentia cum vestra triremi mare sulcando in partibus Catalonie rebellos nobis prosequendo prestatis, merito nos inducunt ut vobis reddamur ad rependia liberales, tam et si subscriptis longe maiora mereantur harum; igitur gracia predictum feudum cum omnibus et singulis iuribus, membris et pertinencijs suis sicut in presentia illud ad nostrum beneplacitum possidetis ad vite vestre decursum et inde uni vestro heredi, quem verbo vel scriptis quomodocumque eligeritis prefatum nostrum beneplacitum protendendo, ex certa nostra sciencia et motu proprio damus, concedimus, elargimur cum his omnibus et singulis quibus illud cum prefati Regis Alfonsi concessione, cum nostra inde confirmacione sequuta, ad quas nos referimus, melius et favorabilius tenuistis et posseditis ac tenetis et possidetis in presentiarum. Quo circa, Illustrissimo Principi Ferdinando dilectissimo filio nostro primogenito et post nostros felices dies indubitato successor, per presens intentum nostrum declaramus spectabilibusque nobilibus magnificis dilectis consiliarijs et fidelibus nostris in dicto Sicilie Regno, Viceregi, Magistro Justiciario, Iudicibus Magne Curie, Magistris Rationalibus, Thesaurario et Conservatori nostri patrimonij seu dictum officium regenti, Gubernatori dicti Comitatus, ceterisque demum universis et singulis, officialibus et subditis nostris, ad quos spectet presentibus pariterque futuris, dicimus et mandamus scienter et expresse ad incursum nostre indignationis et iram, penamque mille unciarum a bonis se-

cus agentis inremissibiliter exigendam, nostrisque inferendarum erarijs, dicimus et mandamus, quatenus provisionem, concessionem et cartam nostram huiusmodi universa et singula in eo contenta teneant firmiter et observent tenerique et observari faciant inviolabiliter per quoscumque et non secus agant aut per quempiam contraventum sinant, quavis causa, quanto dictus Illustris Princeps filius noster primogenitus nobis complacere et obedire cupit; ceterique prenominati gratiam nostram caram habent et per appositam verentur non subire penam In quorum testimonium presentem fieri iussimus nostro comuni negociorum Sicilie pendenti munito. Datum in civitate Terracone die XV mensis Decembris anno a nativitate domini 1463, regni que nostri Navarre XXXVIII, aliorum vero regnorum nostrorum septimo. Rex Ioannes Dominus Rex mandavit michi Ioanni Christiani; visa per Guillelmum de Peralta; Regium Thesaurarium et Guillelmum Puiades Conservatorem Sicilie registrata. Et supplicato nobis per predictum magnificentum Consalvum, ut privilegium regium preinsertum nostris executorijs licetis exequi et observari mandare dignaremur; propterea, volentes regijs obedire mandatis, vobis et vestrum cuilibet dicimus et mandamus expresse, quatenus preinsertum regium privilegium teneatis et observetis, tenerique et observari per quosunque faciatis iuxta sui seriem et tenorem pleniorum, et contrarium nullo modo agatis aut fieri permittatis, pro quanto gratiam regiam caram habetis, iramque indignationem nostram ac penam preinserto privilegio expressam cupitis non subire. Data in terra Placie die XIII^o mensis Septembris XIII^o indictionis 1465.

Lop Ximen Durrea
 Dominus Vicerex mandavit mihi
 Gerardo Aglata Prothonotario

De feudo ipso disposuit in suo testamento in vos eundem Inguterram filium suum seu illud preinsertarum nostrarum provisionum pretextu. Vobis legavit prospicientes propterea merita et servicia dicti genitoris vestri Domino Regi Alfonso fratri et predecessori nostro, immortalis memorie, et nobis prestita necnon ea que vos ipsum Guterram de Nava paterna vestigia insequenda prestiturum speramus, tenore presentis scienter et expresse laudantes, approbantes, ratificantes et confirmantes provisionem nostram preinsertam nec non legatum sive testamentum, dispositionem dicti quondam Gondisalvi patris vestri, inde, ut premittitur,

secutam. feudum prelibatum cum omnibus et singulis iuribus membris et pertinencijs suis vobis eidem Gucterre concedimus, elargimur; volentes et decernentes vos illud tenere et possidere cum illis honoribus, oneribus, preeminencijs et prerogativis, ac sub illa emolumentorum et iurium prestacione et alijs cum et sub quibus dictus quondam pater vester tam provisionum dicti Serenissimi domini Regis Alfonsi quam nostrarum, ad quas nos referimus, pretextu dum vixit illud tenuit et possedit. Quapropter Illustrissimo Principi Ferdinando dilectissimo filio nostro primogenito, ac post nostros felices dies heredi et successori, per presentes intencum nostrum declarantes spectabilibus, nobilibus, magnificis, dilectis, consiliarijs et fidelibus nostris in dicto Sicilie Regno, Viceregi, Magistro Iusticiario, Iudicibus Magne Curie, Magistris Rationalibus, Thesaurario et Conservatori nostri patrimonij seu dictum officium regenti, gubernatori dicti Comitatus ceterisque demum universis et singulis officialibus et subditis nostris, ad quos spectet, presentibus pariterque futuris dicimus et mandamus scienter et expresse, ad incursum nostre indignationis et ire penamque unciarum mille, a bonis secus agentis irremissibiliter exigendam nostrisque inferendam erarijs: quatenus laudationem, approbationem, ratificationem, confirmacionem atque concessionem nostras huiusmodi et singula desuper contenta teneant efficaciter et observent, tenerique et observari faciant vobis eidem Gucterre de Nava inviolabiliter per quosvis; nec secus agant aut quempiam agere paciantur, aliqua ratione vel causa, quanto dictus Illustris Princeps noster filius primogenitus nobis complacere et obedire cupit. Ceterique prenominati gratiam nostram caram habent et preappositam verentur non subire penam, in cuius rei testimonium presentem fieri iussimus nostro comuni sigillo negociorum Sicilie pendenti munitum. Datum in civitate Tarracone XXII die mensis Aprilis prime indicionis anno domini 1468 regnique nostri Navarre XXXXIII, aliorum vero regnorum nostrorum XI. Rex Ioannes Dominus Rex mandavit mihi Ioanni de Colonna, et viderunt eam Ioannes de Peralta pro Regia Thesaurariam (*sic*) et Conservatore Sicilie registrata. Et supplicato nobis, pro parte dicti nobilis Gucterre, ut privilegium regium preinsertum nostris executorijs licteris exequi et observari mandare dignaremur. Eapropter huiusmodi supplicationi annuentes, volentesque, ut teneremur, regijs obedire mandatis, vobis et cuilibet vestrum dicimus et expresse mandamus quatenus preinsertum Regium Privilegium omniaque et singula in eo contenta exequamini teneatis et observetis inviolabiliter ac

teneri exequi et observari ad unguem faciatis, per quos debeat. Et contrarium nullo modo agatis nec fieri permittatis, pro quanto gratiam Regiam caram habetis iramque et indignationem ac penam superius expressam cupitis non subire. Datum Panhormi die ultimo mensis Ianuarii II^e indictionis 1469. Lop Ximenes Durrea
 Dominus Vicereus mandavit mihi
 Gerardo Alliata Prothonotario

Alfonsus etc. Vicereus etc. Nobili et dilecto Consiliario Regio Anthonio Desin Militi dicti Regni Sicilie, Thesaurario vel pro eo dictum officium regenti salutem. Per nobilem et dilectum Armerium Regium Consiliarium Gondisalvum de Nava militem fuerunt nobis noviter exhibite et reverenter presentate provisiones Regie, debita sollempnitate vallate, tenoris sequentis: Alfonsus Dei gratia Rex Aragonum Sicilie etc Magnifico, nobilibus atque dilectis et fidelibus consiliarijs nostris, in Regno Sicilie ultra farum Vice-regi vel presidenti; nec non Magistro Iusticiario, Iudicibus Magne Curie, Magistris quoque Rationalibus, Thesaurario et Conservatori nostri patrimonij, seu eius officium regenti, Gubernatori Camere Reginalis et Iudicibus ipsius Cammere; et insuper deputatis Regni eiusdem ceterisque universis et singulis officialibus, tam nostrisque eiusdem Camere Reginalis in eodem Regno constitutis, seu eorum locatenentibus presentibus et futuris, ad quos presentes venient presentande seu pertineant infrascripta, gratiam et bonam voluntatem. Quamquam ex sententia inter procuratorem Fisci nostri et Anthonium de Bellomo, olim detemptorem terre, castri et comitatus Auguste in castello Turris octavi, die XXII mensis octobris anno a nativitate Domini 1449, per nos lata ex qua pronuntiavimus, decrevimus et declaravimus terram huiusmodi castrum et comitatum Auguste cum casalibus, cabellis, pheudis, nemoribus, vassallis, vassallagijs, aquis, molendinis et cum omni iurisdictione alta et baxia, mera et mixta imperia eorumque pleno exercicio et usu ceterisque iuribus ordinarijs et extraordinarijs, et pertinencijs universis ad eundem comitatum quomodocumque et qualitercumque pertinentibus et pertinere debentibus, incidisse in commissum ipsum propterea nobis tanquam, directo domino, fuisse et esse apertum et nostre Curie rationabiliter devolutum et ex alijs rationibus et causis venditio de terre, loco, seu casali de Mililli, et de media Montane Mililli, ac de feudo Sancte Catherine olim de pertinencijs dicti comitatus ac de nemoribus comitatus ipsius, per eundem Anthonium precio unciarum quingentarum monete eiusdem

Regni Sicilie ultra farum cum pacto de retrovendendo magnifico viro et dilecto armerio nostro Consalvo de Nava militi, facta cum auctoritate Viceregis dicti Regni que iuribus nostris preiudicare non potuit censeretur et esset iure resoluta, neque res ipsas eidem Consalvo per prefatum Anthonium, ut promisimus, venditas ad nos, pro executione ipsius sententie invocando, prout evocavimus Curia nostra eidem Gondisalvo ad aliquam ipsius precij restitutionem teneretur, tamen actentis et consideratis servicijs Majestati nostre per ipsum Gondisalvum prestitis et impensis, maiora subscriptis de nobis promerentibus de speciali gracia dictas quingentas uncias, precium verum huiusmodi venditarum eidem Consalvo per nostram Curiam restituendum esse decrevimus et volumus, prout per presentes volumus atque decrevimus ut Anthonius memoratus Condisalvus facilius et proncius super certis introytibus eiusdem Curie ipsas quingentas uncias habere et consequi valeat et possit, illas sibi contextu presentium consignamus in et super quibusvis nostre Curie precijs, et quibusvis collectis et donativis per regnum ipsum hactenus Maiestati nostre factis, nobis debitis quantum ad dictam summam ascendant, ad quarum solutionem Curie nostre faciendam teneantur universitates et ecclesiastice persone civitatis et terrarum huiusmodi Cammere Reginalis, videlicet Siracusarum, Leontini, Minei, Bizini, Sancti Philippi et Franceville. Eapropter vobis dicimus et mandamus, de certa nostra scientia et expresse sub nostre ire et indignacionis incursu penaque unciarum mille de bonis secus agentis irremissibiliter exigenda et nostris erarijs inferenda, quatenus ex et de primis pecunijs ex prefatis collectis seu donativis huiusmodi civitati et terris, universitatibus et ecclesiasticis personis in anno ipso prime inditionis solvere contingentibus ipsas quingentas uncias predicto Gondisalvo de Nava, seu eius legitimo procuratori vel ab eo causam habentibus exsolvatis et exsolvi faciatis cum effectu, et si forte huiusmodi pecunie dictas universitates, prelatos et alias personas in dicto anno prime inditionis solvere contingentes ad solutionem huiusmodi quingentarum unciarum non sufficerent, volumus et sic vobis harum serie dicimus et mandamus, quod de pecunijs ipsarum collectarum sive donativorum anni II^o inditionis proxime et immediate sequentis memoratas universitates, prelatos et alias personas Cammere Reginalis solvere contingentibus id quod ad complimentum dictarum quingentarum unciarum residuum erit pariter exsolvatis, seu solvi faciatis, donec de predictis quingentis uncijs eidem Condisalvo seu dicto eius procuratori, vel ab eo causam habentibus, fue-

rit realiter satisfactum. Volumus tamen quod eidem Condisalvo, tempore receptionis dictarum quingentarum unciarum, de eisdem ac de omnibus alijs iuribus et actionibus sibi ratione emptionis huiusmodi contra eundem Anthonium de Bellomo et eius bona competentibus et competere debentibus, quovis modo, nobis et Curie nostre seu a nobis impeditis sibi venditis causam habentibus cessionem et concessionem faciat et facere debeat, et teneatur cum evictione pro factis et contractibus proprijs in solucione tamen ipsarum quingentarum unciarum, vos dictus Thesaurarius seu alius qui eam forte faciat presentes recuperabitis seu recuperabit, una cum apoca de soluto instrumento vendicionis huiusmodi in sui forma ac etiam instrumento iurium cessionis et concessionis, ut premittitur, faciende, quasquidem quingentas uncias vobis seu alio qui solucionem ipsam faciat restituente presentes huiusmodi apocam et instrumenta, et eosdem Magistros Rationales seu alios a vobis, vel eo qui eiusmodi solucionem faciet, computum audituros in vestris seu eius recipi volumus compotis, et admoti dubio et difficultate cessantibus quibuscumque. Datum in Turri octavi die XXVIII, mensis Iunij, prime inditionis anno a nativitate Domini 1453. Rex Alfonsus Dominus Rex mandavit mihi Arnaldo Fonolleda, et viderunt Regij patrimonij Conservatores; et proinde humiliter supplicatum ut provisiones ipsas sibi teneri et observari nostris executorijs liciter mandaremus; propterea cupientes provisiones Regias earum debitum consequi effectum, admissa supplicatione predicta, vobis dicimus et mandamus expresse: quatenus de primis pecunijs ex prefatis collectis seu donativis eiusmodi civitatibus et terris universitatis et ecclesiasticis personis dicte Camere Reginalis, videlicet Siragusie, Leontini, Minei, Bizini, Sancti Philippi et Franceville in hoc anno prime inditionis contingentibus, dictas uncias quingentas monete huius Regni prefato Gonsalvo de Nava, seu legitimo procuratori suo, pro eo dare, solvere et assignare debeatis, seu dari, solvi et assignari faciatis, et si forte eiusmodi pecunie dictas universitates prelatos et alias personas in hoc anno prime inditionis solvere contingentes, ad solucionem huiusmodi quingentarum unciarum non sufficerent vel non superessent, prefato Consalvo, vel procuratori suo pro eo de pecunijs earundem collectarum sive donativorum, anni II inditionis proxime sequentis prefatas universitates prelatos et alias personas Cammere Reginalis solvere contingentibus dictas uncias quingentas, si ex ipsis de pecunijs dicti anni prime inditionis nihil consequutus fuerit alias residuum earundem usque ad totale complementum totius

summe solvere et assignare seu solvi et assignari facere debeatis; ita tamen quod idem Consalvus, tempore receptionis dictarum unciarum quingentarum, de ipsis ac de omnibus alijs iuribus et actionibus sibi rationem emptionis huiusmodi contra prefatum Anthonium de Bellomo et eius bona competentibus et competere debentibus, quovis modo Regie Curie, seu alijs a Regia Maiestate in predictis sibi venditis causam habentibus, cessionem et concessionem faciat et facere debeat, et teneatur cum evictione pro factis et contractibus proprijs ut supra; et nihilominus de dictarum unciarum quingentarum assignatione apocam recuperabitis opportunitam, una cum presenti et originalibus Regijs provisionibus preinsertis ac instrumento in sui formam de supra dicta venditione facta dicto Consalvo, nec non instrumento cessionis et concessionis per eum ut premittitur faciendarum, vestri racionij tempore producendas nam huiusmodi tenore mandamus nobilibus magistris rationalibus et Conservatori Regij patrimonij ac alijs quibusvis a vobis de dictis pecunijs computum auditoris, quatenus in exitu rationis vestre, restititis per vos dictis originalibus preinsertis provisionibus, et presente ac instrumentis predictis, cum finali apoca de soluto prefatas uncias quingentas, computent et admittant sine dubio et difficultate quacumque. Datum in urbe felicij Panhormi die XXIII^o Iulij, prime inditionis. Lop Ximenes Durrea.

Dominus Vicerex mandavit
mihi Ioanni de Vicencio

De Censu feudi Chamitrichi

Preterea pro regaliarum antiquarum et excadenciarum regiarum observancia actendum esse censeo. Cum ex Regni baronibus et feudatarijs, qui baroniarum et feudorum eorum antiqua privilegia et titulos presentare non poterant, quia temporum malicia et bellorum tumultu olim Regno successis ea deperdita fuisse asserebant: sed tantum per eos constituto quod feuda ipsa per annos XXX possederunt, alij de eorum feudis in stricta forma,

iure francorum, alij vero in ampla forma pro heredibus et successoribus obtinerunt investituras; quod de cetero omnes investiture sive concessiones in quibus exponitur possidentes titulum feudorum eorum non habere, licet investituras et concessiones ipsas in dicta ampla forma pro heredibus et in perpetuum successoribus obtinuerint; ex quo, aut ex inadvertentia, seu ex officialium illas experietium negligencia in ipsarum regaliarum preiudicium ita concessae extiterunt in forma stricta, iure francorum, concessae esse intelligantur. Quod cum ita fieri debeat casum inter cetera qui de feudo Camitrichi, tempore quo Serenissimus Infans don Petrus de Aragonia Serenissimi Regis Alfonsi Vestre Catholice Maiestatis patri frater, Placie terram pro eius vite sustentacione in baroniam possidebat processit exponam. Cum enim quondam Mianus de Russo feudum Chamitrichi predictum detineret, de illo titulum edere non potuisset, in ultimis quibus decessit de feudo eodem Guillelmo Russo eius nepoti donacionem fecit, sive in illo eundem Guillelmo instituit heredem, ob quod feudi ipsius concessionem in stricta forma factam fuisse interpretato ac pretenso dictum Mianum Russum de feudo ipso transversaliter disponere non potuisse. Tandem de feudo Chamitrichi predicto, per ipsum Infantem don Petrum eidem Guillelmo Russo sub certo onere census Regie Curie anno quolibet in perpetuum solvendo, ultra consuetum militari servicium, ad quod feudum ipsum obligatum erat, gratia et de novo concessio facta extitit; sicuti in ipsius feudi capitulo in cartis 435 notato continetur, per quem Vestra Catholica Maiestats cuncta facillime videre et percipere poterit.

Et licet in generali distribucione et donacione, per Serenissimos Reges utrumque Martinum et Mariam de cunctis rebellium bonis eorum Regijs familiaribus et alijs quibuscumque facta, Reges ipsi cunctas gratias et concessiones, per alios Sicilie Reges ac per ipsos, quibusvis personis super iuribus Regni secreciarum et portuum ac maritimarum factas, penitus et in totum revocarint et regali patrimonio prout antea fuerant restituerint; sicuti superius hoc in volumine pluribus in locis declaratum est et signanter in narrativa cuiusdam provisionis, ab eisdemmet Regibus quondam Bartholomeo de Iuenio concessa, et in Regie Cancellarie libro, anni 1397, in cartis 101 notata; in qua inter cetera huiusmodi sunt verba scilicet: et quia in eadem donacione et omnibus alijs donacionibus per nos factis, in eadem generali distribucione et donacione bonorum nostrorum rebellium, cavetur expresse quod idem Bartholomeus et omnes alij donatarij teneantur prius renunciare in ma-

nibus nostre Curie omnia et singula iura que forsitan ipsi aut eorum precessores habuerint a nobis, vel recolende memorie nostris predecessoribus, super iuribus cuiusvis Secrecie, aut portus et maritime dicti nostri Regni, prout in privilegio donacionis ipsorum terre et Castri Noharie, eidem Bartholomeo per nos facte hec et alia clarius continetur etc. Nihilominus, quia contingere posset aliquos ex dictis donatarijs, aut ipsis regibus utroque Martino et Maria morte proventibus, aut alias dictas res ipsarum secreciarum et portuum, in derogationem dicte generalis revocationis et regalis ordinacionis usurpative, sibi detinuisse et adhuc detinere mihi visum est, de hoc ad Vestre Catholice Maiestatis sueque Regie Curie informacionem, hoc in loco notamentum facere, et de rebus ipsarum Secreciarum et portuum, per dictos Sicilie Reges ac per prefatos reges utrumque Martinum et Mariam concessis, particularem facere annotacionem prout infra exponitur.

Pelagium Auguste

Pelagium, seu ius pelagij quod ex de et pro pascuis que animalia sumunt, in comitatu Auguste vallis Nothi eiusque territorio colligitur, tempore quo comitatus ipse quondam Serenissimi Regis Ioannis, Vestre Catholice Maiestatis genitoris, tunc regis Navarre et Infantis Aragonum Sicilie etc., fuerat. Ob bellorum discrimina inter Regna Aragonum et Navarre, ex una, ac regnum Castelle, parte ex altera, tunc successa, cum Infans ipse, pro suis urgentibus necessitatibus, aliqua sua demanialia et presertim dictum ius pelagij, quod tunc temporis erat redditus unciarum septem, de mandato Serenissimi Regis Alfonsi eius fratris, tunc regnantis, eius Regio privilegio mediante, dato Barchinone primo Augusti 1431, vendere statuisset, pro pascuis que animalia sumunt, ad dicti Comitatus territoria venientia, seu alia quecumque dictum pelagium solvere debencia, quovis modo, quemadmodum temporibus decursis pactatum et concordatum fuerat idem Serenissimus Infans quondam Iacobo de Caximo Regio Secretario, pro se sui que heredibus et successoribus in perpetuum, ac quibus voluerit per purum, liberum et francum allodium, sive aliquo servicio, sive

censu, pro precio florenorum CCCC auri de Aragonia, puplico mediante Regio instrumento, dato Barchinone XXX° Augusti dicti anni 1431, vendidit. Quorumquidem regionum privilegij et instrumenti vigore, dictu primus de Caximo dictum pelagium tenuit et possedit. Qui, cum exinde ad mortem devenisset, eius cum testamento, manu notarij Rainerij Dedonato, XII° Februarij XIII° indictionis 1435 celebrato; in dicto pelagij feudo et alijs bonis suis posthumum seu posthumam tunc nasciturum seu nascituram, ex eius uxore eius (*sic*) instituit heredem. Cui nihilominus Ioannem Deodatum eius nepotem substituit.

Idemque Pinus, cum exinde mortuus fuisset substitucionique predictae locus evenisset, dictus Ioannes Deodatus in dicto pelagij feudo successit. Qui, pro se suisque in perpetuum heredibus et successoribus, ac quibus voluerit a quondam panormitano Archiepiscopo, tunc Regni Preside, de feudo predicto, itaquod illud, ut feudale a Regia Curia in capite teneret et cognosceret, cum inserto tenore dictorum Regionum privilegij et instrumenti XVIII° Septembris II° indictionis 1453, investituram, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 9 notatam, reportavit.

Defuncto postmodum dicto Ioanne Deodato, sibi in dicto pelagij feudo sine iure successit Thomas Dedato, eius filius legitimus et naturalis ac maior natu. Qui, pro se suisque heredibus et successoribus, de palagio ipso a quondam Iuliano Centelles tunc Regni Preside XI° Aprilis VI° indictionis 1488 investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1487 in cartis 410 notatam, obtinuit.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, feudum ipsum seu ius palagij per dictum Thomam Dedato possidetur; quod anno quolibet reddit 07. .

Nihilominus, quia pragmatica post BELLA, super rebus demanialibus alienatis editam (*sic*) disponit quod pro eodem precio reddimi possunt, actencto quod iuxta hodiernos redditus feudi ipsius, illius redemptio in maximam Regij Demanij utilitatem tenderet; Regia Curia predicto illud reddimere posset et Regio Demanio predicto, tanquam rem inalienabilem agregare.

**Centimuli Castri Ioannis alias cabella
Centimulorum Castri Ioannis**

Centimuli, sive cabella Centimulorum territorij et terre Castri Ioannis, vallis Nothi, per quondam Petrum Lu Presti, de quo nullus invenitur titulus, in feudum olim possidebantur. Qui, puplico mediante dotalicio contractu, manu notarij Anthonij de Cuvello XX^o Iunii XIII^e indictionis celebrato, feudum predictum quondam Tucie eius filie, quam Ioanni de Raya matrimonio iunxit, in dotem dedit. Ob quod ipse Ioannes de Raya, de feudo predicto Centimulorum, a quondam don Lupo Ximenen Durrea, tunc Regni Prorege, XIII^o novembris prime indictionis 1467, investituram in Regie Cancellarie libro, anni 1468, in cartis 60 notatam, reportavit.

Nihilominus, in Regni Secreiarum Capibrevio in cartis 261 satis late exponitur, dictum Centimulorum feudum fuisse cabellam inquaternatam de iuribus et membris Secrecie terre predicte Castri Ioannis, ac quomodo ad dictum quondam Petrum Lu Presti pervenerunt; et sic oportet omnino ut verus et antiquus titulus veniat pro Curie cautela, alias recuperetur pro Regia Curia, et interim in rollo tamquam feudum describatur.

Cammarana Foresta

Forestam Regie Curie Cammaranam nuncupatam, in valle Nothi positam, tanquam de iuribus et membris solaciorum regie dignitatis cum suis iuribus, redditibus, aquis, nemoribus et pertinentijs, quondam Federico de Claramonte suisque imperpetuum heredibus et successoribus, iure francorum, Serenissimus Rex Federicus francam liberam et exemptam ab omni onere recognitionis et ali-

cuius servicij prestacione, non obstante quod de membris et iuribus solaciorum dicte Regie dignitatis fuisset, ex quibus illam, ex eius certa regia scientia et potestatis plenitudine, segregavit; constitutionibus Regis Iacobi et aliorum Sicilie Regum iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, suo cum Regio privilegio in Regie Cancellarie libro annorum 1360, 1366, in cartis 359 notato, concessit.

Sed cum, patrata postmodum per dictum Federicum de Claramonte Comitatus Mohac et Ragusie Comitem rebellionem, ipsa Cammarane foresta Regie Curie aperta fuerit et devoluta; videnda est forma concessionis de comitatu ipso illis de Capraria facte, ut videatur si in huiusmodi concessionis privilegio conceditur similiter dicta foresta. Nam moris est quod in privilegijs concessionum feudorum, baroniarum et aliarum rerum demanialium foreste Regni reservantur; et ideo dicendum est, quod in privilegio dicti comitatus foresta predicta Cammarane pro Regia Curia, simul cum alijs sique in ipso Comitatu reperiuntur, etiam reservatur.

Pons et Magazeni Heraclie

Iura, redditus et provenctus pontis et magazendorum maritime terre Heraclie, pro victualibus et liguminibus de terra eadem eiusque maritima infra et extra Regnum deferendis et extrahendis, persolvi debita et consueta per quondam Lucham de Cannarizato militem, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, ex Regia concessione possidebantur.

Mortuo deinde dicto Lucha de Cannarizato, sibi in eisdem iuribus successit Luchas de Cannarizato eius filius. Qui Luchas iunior cum contra Serenissimum Regem Federicum rebellionem perpetrasset, et dictam ob rebellionem iura ipsa Regie Curie devoluta essent, Rex idem iura eadem quondam Galterio de Marchesana Cathaniensi suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus, in feudum, sub servicio unius equi alforrati Regie Curie prestando, suo cum Regio privilegio in Regie Cancellarie libro annorum 1360, 1366, in cartis 417 notato, concessit.

Sed, quia de iuribus pontis ipsius ac magazinorum predictorum Heraclie nullum aliud reperitur privilegium sive scriptura, et sic ratio reddi non potest in cuius posse ad presens iura ipsa existant, esset habenda relacio qui sunt illorum possessores et quo titulo possident, ac si recta linea descendunt a primo acquirentore, sive si fuerunt aliquando alienata absque principis licencia, et ideo, pro Curie cautela, ponantur in rollo noviter conficiendo, pro uno equo alforrato ut supra; nam propter non captas investituras ac ob usurpacionem regi militaris servicij, Regie Curie devoluta essent.

Saline Heraclie cum viridario et vinea

Saline Regie Curie, site et posite in terra seu territorio Heraclie iuxta iter quo itur de ipsa terra ad easdem salinas, una cum quibusdam viridario et vinea ipsarum salinarum, seu de iuribus et membris ac pertinencijs salinarum earumdem, per quondam Lucham de Cannarizato seniore, militem, ex Regia concessione olim possidebantur. Quo defuncto, ad Lucham de Cannarizato iuniorem eius filium pervenerunt. Sed, dicto Lucha de Cannarizato iuniore contra Serenissimum Regem Federicum rebellato, saline ipse cum dictis earum iuribus et pertinencijs Regie Curie devolute fuerunt. Illasque Rex idem quondam Anthonio de Regio Leontinensi suisque in perpetuum heredibus et successoribus, una cum dictis viridario et vinea in feudum, sub consueto militari servicio, non obstante in integrum restitutione facta per Regem predictum, Machalde et Ysolde, sororibus filiabus dicti quondam Luce senioris, sororibus paternis dicti Luce iunioris, proditoris de fama, rebus et bonis earum omnibus burgensaticis, primitivis et dotalibus, que eis, ratione docium relictarum, ipsis a parentibus earum competebant et debebantur, et licteris sive scripturis exinde subsequutis, tam quia infra tempus minoris etatis dicti Regis Federici facte fuerant, quam quia saline ipse, tanquam bona feudalia, ob dicti quondam Luce iunioris prodicionem, ad Regium Fiscum devolute fuerant; quam etiam quia illas, ob alias iustas causas, revocaverat, eius cum regio privilegio

in Regie Cancellaria libro annorum 1360, 1366, in cartis 422 notato, concessit.

Postmodum autem saline predictae, certis ex causis, Regie Curie iterum devolute extiterunt, illasque idem Rex Federicus quondam Manfrido de Claramonte suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus in feudum sub consueto militari servicio, eius cum Regio privilegio in Regie Cancellarie libro dictorum annorum 1360, 1366, in cartis 38 notato, iterum concessit.

Rebellato preterea dicto Manfrido de Claramonte contra Regiam Coronam, saline ipse Regie Curie iterato devolute fuere; ob quod Serenissimus Rex Martinus salinas easdem quondam Rogerio de Planellis, suisque imperpetuum heredibus eius de corpore legitime descendentibus, iure francorum, sub consueto militari servicio, in aliqualem eius servitorum remunerationem nec non ob revocationem dicte terre Heraclie, ad Sacrum Regium Demanium, que terra quondam Petro de Planellis eius patri concessa fuerat, illamque usque ad eius obitum possederat, eius cum Regio privilegio, dato Francofonti XV^o Februarij VIII^o indictionis 1400, et in Regie Cancellarie libro anni 1399 in cartis 128 notato, iterato concessit.

Nihilominus, cum saline predictae, viridarium et vinea, de reservatis per Regiam Coronam existant, licet, ut predicatur, alias concessae fuerint, et ultimo loco prefato Rogerio de Planellis suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus iure francorum, sub consueto militari servicio, cum de Rogerio predicto nullus reperiatur heres, sunt Regie Curie merito devolute, et Sacro Regio Demanio restitui omnino debent. Percipi nihilominus salinas ipsas a longo tempore citra per possessores predictae terre Heraclie usurpativo modo detineri. Que terra etiam, ut clare constat, usurpata fuit et est. Sed quando terra eadem per illius baronem iuridice possideretur, notissimum tamen est, quod in eiusmet privilegij regalis Corona salinas ipsas sibi reservavit. Et sic nisi Vestra Catholica Maiestas seu alius Sicilie Rex easdem salinas specificae concessisset, Regia Curia illas recuperare posset. Et ideo ad illius recuperationem provideri deberet.

Pons maritime Siracusarum

Pontem, sive ius pontis maritime Siracusane civitatis, quondam Jaymo de Alagona, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, Serenissimus Rex Federicus, eius cum Regia provisione data Messane XX^o Ianuarij XIII^e indictionis 1376, et in Regie Cancellarie libro anni 1371 in cartis 264 notata, graciose concessit.

Patrata vero exinde, per dictum Jaymum de Alagona contra Regiam Coronam rebellionem, pons predictus Regie Curie devolutus fuit; illumque Serenissimus Rex Martinus quondam Iacobo de Colle, olim scriptori porcionis regie domus, suisque in perpetuum heredibus et successoribus, de quibus non apparet in Cancellaria titulus, deinde concessit. Qui Iacobus de Colle pontem ipsum, sive illius iura et redditus, quondam Iacobo de Aricio, suisque in perpetuum heredibus et successoribus, pro precio unciarum XVI postmodum vendidit. Quam vendicionem Rex Martinus antedictus prelibato Iacobo de Aricio, suisque heredibus predictis, eius cum Regio privilegio dato Cathanie XXII^o octobris VIII^e indictionis 1399, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 158 notato, acceptavit et confirmavit.

Nihilominus, in vim Regie Pragmaticae POST BELLA, Regia Curia pontem predictum recuperare posset.

Redditus cabelle Tintorie Siracusarum

Quondam Ioannes Falar scarra, pro se suisque imperpetuum heredibus, eius de corpore legitime descendentibus, a Serenissimo Rege Federico iura redditus et provenctus cabelle tintorie civitatis Siracusarum, de iuribus et membris Regie Secrecie civitatis eiusdem, eius Regio mediante privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1375 in cartis 17 notato, obtinuit.

A quo tempore usque ad presens, anno 1513 decurrente, de ipso

redditu nulla reperitur alia scriptura; et ideo inquiratur si recta linea dicti Ioannis extincta est, et in cuius posse cabella predicta reperitur, ut edat quo titulo possidet.

Cabelle aquarum Leontini

Cabellarum, tam aque ortorum, quam aque conciarie Regie Curie terre Leontini, tamquam de iuribus et membris Regie Secrecie terre eiusdem, a Serenissimo Rege Federico quondam Robertus de Bonisfilijs, cathaniensis, miles, fisicus, tunc regius Thesaurarius, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus in feudum, cum omnibus illarum redditibus et provenctibus, concessionem et donacionem habuit, sicuti in ipsius Regis privilegio, dato Messane XIII^o iunij XIII^o indicionis 1376, et in Regie Cancellarie libro anni 1364 in cartis 11 notato, continetur.

Nihilominus, in presentiarum cabelle predictae in posse aliquarum personarum reperiuntur, quo tamen iure ignoratur: nam a dicto tempore citra usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, de cabellis predictis nullus alius titulus sive investitura Regia in Cancellaria invenitur; et sic ratio dari non potest si dicti possesseres recta linea a prefato quondam Roberto descendant. Et sic, tam pro dictis ex causis, quam ex quo cabelle predictae de membris dicte Secrecie existit (*sic*), quam etiam propter non captas investituras cabelle predictae Regie Curie devoluta sunt; tamen interim in rollo apponantur.

**Stampachi fortificium et tracte CC in eius maritima tracte CC
alle obligate**

Fortificium cum eius baglo, Stampachi appellatum, in valle Nothi positum, cum auctoritate, potestate et licentia extrahendi ab eius maritima salmas ducentas frumenti, francas ab omni iure exiture,

sive tracte, per serenissimum Regem Martinum quondam Raynaldo Landolina, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, concessum extitit; ita quod frumenta ipsa essent de victualibus massariarum dicti Raynaldi et eius heredum, simul cum alijs ducentis salmis frumenti, de quibus Raynaldus predictus et eius heredes predicti, ius exiture, seu quodlibet aliud ius Regie Curie debitum vel debendum, anno quolibet in perpetuum solvere tenerentur; sicuti in eius Regio privilegio dato Siracusi XV^o novembris V^o indictionis 1396, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 154 notato, continetur.

Actendendum est quod ille CC tritici salme, que, ut predicatur, extrahuntur, sint et esse debeant de frumentis que ex proprijs eorum segetibus producuntur, et non alias. Preterea est actendendum et recte percipiendum, an heredes prefati Leonardi, extrahendo seu non extrahendo dictas CC salmas frumenti cum onere solvendi iura regia ut supra, ad dicta iura solvendum teneantur an non, actencto quod concessio illis de prefato fortificio cum eius baglo facta, sub nullius onere servicij facta fuit.

**Redditus unciarum quinquaginta super cabellis
Siracusarum**

Quondam Matheus de Aricio siracusanus, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, a Serenissimo Rege Federico, eius intuitu serviciorum, uncias quinquaginta annui redditus in perpetuum, super cabellis civitatis Siracusarum, in feudum, sub consueto militari servicio, eius cum Regio privilegio in Regie Cancellarie libro annorum 1360, 1366. in cartis 32 notato, obtinuit.

**Redditus unciarum triginta super cabella Bucherie
seu Scanmarie Siracusarum**

Per serenissimum Regem Federicum quondam Perruchio de Perbullit, suisque heredibus eius de corpore legitime descendenti-
bus, uncie triginta annui redditus super cabella Bucherie seu Scan-
marie civitatis Siracusarum, sub consueto militari servicio, eius cum
regijs patentibus liceteris, in Regie Cancellarie libro anni 1375 in
cartis 43 notatis, in feudum concessa fuere.

Molendinum de Barrafando

Molendinum de Barrafando nuncupatum, in valle Nothi et ter-
ritorio terre Leontini positum, ex regia concessione per progenito-
res quondam Petri de Regio et per ipsum Petrum militem, de
quibus non apparet in Regia Cancellaria titulus, olim possidebatur.
Quod molendinum exinde, ob bellorum revolutiones in Regno suc-
cessas, quodammodo ruinam passum fuerat. Sed, cum dictus Pe-
trus de Regio illud reedificare statuisset, pro se suisque in perpe-
tuum heredibus a Serenissimo Rege Federico de iure census molen-
dini ipsius, videlicet de uno augustali auri, anno quolibet Regie
Curie solvendo, gratiam et relaxacionem reportavit; sicuti in ipsius
Regis Federici privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1375 in
cartis 5 notato, continetur.

Molendinum di la Gructa Calaxibecte Vinea Placie

Molendinum di la Gructa appellatum, in valle Nothi et territorio Calaxibecte in contrata Foreste, nec non et tercia pars cuiusdam vinee, in territorio terre Placie, in contrata Sancte Crucis posita, per quondam Prandinum de Xea olim possidebantur. Ob cuius rebellionem, cum Regie Curie devoluta fuissent, Serenissimus Rex Federicus illa quondam Philippello de Marino, suisque in perpetuum heredibus et successoribus, sub consueto militari servicio, eius cum Regio privilegio in Regie Cancellarie libro, anni 1375, in cartis 6 notato, concessit.

Cabelle statere Siracusarum sive redditus illius

Cabella statere civitatis Siracusarum, sive illius redditus, quondam Ansaldo de Campulo Siracusano, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio, per Serenissimum Regem Federicum, eius cum Regio privilegio in Regie Cancellarie libro anni 1371 in cartis 103 notato, in feudum concessi fuere.

Mortuo deinde dicto Ansaldo Campulo, sibi in dicta cabella statere successit Ioannella mulier, eius filia unica legitima et naturalis, quondam Iacobi Serra tunc uxor. Que, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub dicto militari servicio, a Serenissimo Rege Martino de redditibus et provenctibus cabelle ipsius, cum inserto tenore privilegij Regis Federici predicti, eius cum Regio privilegio dato Cathanie XXVIII^o Iulij XV^e indictionis, 1399, confirmationem in Regie Cancellarie libro, anni 1391, in cartis 143 notata, obtinuit.

Cabella Baiulacionis Siracusarum

Cabella Baiulacionis Civitatis Siracusarum, que, de iuribus et membris antiquis, Regie Secrecie civitatis eiusdem erat et est, per Serenissimum Regem Federicum quondam Judici Nicholao de Castellis Castaniensi, ad eius tantum vitam, uncie XXXIII et tarenis X annui redditus, tunc temporis per Baiulum dicte civitatis Regie Curie debite, in feudum, sub consueto militari servicio, cum conditione quod per Regiam Curiam quemcumque, pro equivalenti excambio super morticijs et excadencijs dicte Regie Curie revocari possent, concessa fuerunt.

Ad iteratam postmodum dicti iudicis Nicholai de Castellis supplicationem, Rex Federicus predictus eidem iudici Nicholao, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, predictas uncias XXXIII tarenos X annuales, super dicta baiulacione cum dicta clausula equivalentis excambij, super dictis morticijs et excadencijs Regie Curie, eius cum alio Regio privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1367 in cartis 144 notato, applicavit.

Officium ex tribus Portulanotis Leocate

Officium ex tribus portulanotis terre et maritime Leocate eiusque territorij, per quondam Gaddum de Silvis phisicum antiquitus possidebatur. Cuius ob rebellionem, cum exinde Regie Curie devolutum esset, illud Serenissimus Rex Martinus quondam Stephano de Branchifortibus, suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, cum iuribus et introitibus eidem officio solitis et hactenus percipi per eius predecessores assuetis, cum potestate sub-

stituendi, eius cum Regio privilegio dato Calatagironi XVI^o decembris II^o indictionis 1393 et in Regie Cancellarie libro anni 1396 in cartis 83 notato, concessit.

Officium ex subportulanotis Leocate

Unum ex tribus Portulanotis terre Leocate officium per quondam Andream de Chilano, in vim regij privilegij dati III^o Septembris prime indictionis 1392, sibi ad eius vitam tantum per Serenissimum Regem Martinum concessi olim possidebatur. Qui Rex Martinus exinde officium predictum prefato Andree Chilano eiusque heredibus, suo de corpore legitime descendentibus, cum iuribus et emolumentis eidem officio incumbentibus et assuetis, eius cum alio regio privilegio dato Cathanie XXI^o augusti III^o indictionis 1396 . et in Regie Cancellarie libro anni 1399 , in cartis 50 notato, ampliavit.

Officium Portulanoti Bruce

Serenissimus Rex Martinus quondam Ioanni de Gisualdo suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus, officium Portulanoti portus et carricatorij Bruce eius cum Regio privilegio dato Cathanie XXVI Maij III^o indictionis 1410, et in Regie Cancellarie libro anni 1409 in cartis 155 notato, concessit.

**Redditus unciarum XXX super cabella quartuchii
vini Heraclie**

Serenissimus Rex Federicus quondam Pharenato de Rigio suisque heredibus, eius de corpore legitime descendantibus, in feudum sub consueto militari servicio, uncias XXX annui redditus super cabella quartuchij vini terre Heraclie suo cum Regio Privilegio in Regie Cancellarie libro annorum 1360-1366 in cartis 423 notato, concessit.

Sed quia possibile est quod recta linea prefati de Farinato extincta sit, ob quod dicta cabella penes baronem usurpata detineretur, et sic Regia Curia ius foveret in sibi dictos redditus vendicando; propterea, nisi Sicilie Reges specificè dictus redditus concesserint, revocari debent. Et sic dictus baro ad titulum de ipsis redditibus edendum teneretur. Nam in privilegio dicte terre Heraclie de ipsis nulla fit mentio.

**Terrarum tenimentum in Cathania
Redditus unciarum X super cabella vini Cathanie**

Serenissimus Rex Martinus, ut quondam bibliam, que Serenissimi Regis Federici fuerat et penes monasterium de Novaluce reperiebatur, haberet, eidem monasterio uncias XX annui redditus, videlicet in uno terrarum tenimento in territorio civitatis Cathanie posito, quod quondam Manfrido de Alagona rebellis fuerat, uncias decem annuas ad quas tenimentum ipsum extimatum extiterat; et reliquas uncias decem annuas, ad complimentum dictarum unciarum XX, super cabella vini civitatis predicte, cum eius duobus regijs privilegijs datis Cathanie X^o februarij prime indicionis 1392 et in Regie Cancellarie libro annorum 1388, 1392 in cartis 160, 161 notatis, concessit.

**Officium Portulanatus Leocate
tumminus sive ius tummini Agrigenti**

Officium portulanatus maris Carricatorij et terre Leocate, tamquam mere officium quod de necessitate pro regali preheminentia et ordine debito servandis ad vitam vel ad tempus concedi oportet, ex regia concessione per quondam Raynaldum Tabernam ad eius tantum vitam possidebatur. Post cuius obitum, quondam Lumbarde illius uxori quarta pars provenctum eiusdem portulanatus officij et non ultra concessa extitit, sicuti de huiusmodi concessione in quibusdam patentibus regijs licteris datis Cathanie primo Decembris III^e indictionis 1324 late patet. De quibus in quodam Regni feodorum quinto, in Regie Cancellarie archivo conservato, facta est mentio

Mortua deinde dicta Lombarda, Serenissimus Rex Ludovicus heredibus quondam notarij Bartholucij de Taberna pro ipsorum vite substentacione, scilicet in tota eorum vita, cum integra habitacione et consequutione quarte partis provenctuum officij predicti, officium Portulanatus ipsum concessit. Quod officium per unum eorum substitutum per Regni Magistrum Portulanum admittendum exerciri posset, ut sibi virtute regiarum licterarum datarum Cathanie, XVII^o Ianuarij, prime indictionis 1340, mandatum fuit.

Subsequenter autem ad quondam notarij Petri de Taberna messanensis supplicacionem, factam tam pro se quam nomine et pro parte Anthonij Taberna fratris sui et heredum dicti quondam notarij Bartolucij, Serenissimus Rex Federicus eisdem fratribus ad eorum vitam modo predicto officium prelibatum, eius cum regijs patentibus licteris, datis Messane VII^o Iulij V^e indictionis 1360, confirmavit. Ad iteratam postmodum prefati notarij Petri Taberna supplicacionem, eius intuitu serviciorum Rex idem Federicus eidem notario Petro suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus, Regni constitutionibus Regieque Curie et alterius iuribus semper salvis, eius cum Regio Privilegio in Regie Cancellarie libro anni 1367, in cartis 86 notato, predictum Portulanatus officium, cum consequutione quarte partis provenctuum, eius concessit.

Mortuo demum dicto notario Petro Taberna, sibi duabus filiabus superstitibus, quarum una Catherina uxor quondam Philippi

de Abbate nominabatur, altera vero Mita uxor quondam Manfredi Stagno, ipse eius filie, cum inserto tenore dicti privilegij Regis Federici eidem notario Petro illarum patri concessi de dicto Portulanatus officio, cum perceptione quarte partis introytuum illius, pro se ipsis earumque filiis et heredibus, de ipsarum corporibus legitime descendentibus, Regni constitutionibus Regieque Curie et alterius iuribus semper salvis, cum clausula non obstante quolibet alio privilegio de officio ipso prefato Philippo Abbati alias concessio, quod in Regie Curie manibus renunciavit, a Serenissimo Rege Martino, suo cum Regio privilegio dato Cathanie VII^o marcij XV^e indicionis 1406, confirmationem in Regie Cancellarie libro anni 1392, in cartis 11 notatam, reportarunt.

Decedente postmodum prefata Mita uxore prelibati Manfredi Stagno, superstitionibus sibi Petro Pantaleone et Ioanna muliere eius filijs, Vicereges, qui tunc in Regno pro Serenissimo Rege Alfonso preerant, eiusdem filijs dicte quondam Mite nec non et prenominata Catherine uxoris dicti quondam Philippi de Abbate, eorum matertere, de eodem Portulanatus officio cum dicte quarte partis iurium suorum perceptione, illorumque heredibus eorum de corpore legitime descendentibus, scilicet dicte Catherine pro una medietate et prefatis filijs dicte quondam Mite pro alia medietate, fidelitate Regia et Regni Constitutionibus iuribusque Regie Curie et alterius semper salvis, eorum cum viceregio privilegio dato Cathanie XXVIII^o decembris X^e indicionis 1416, confirmationem, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 27 notatam, concesserunt.

Preterea, Serenissimo Rege Ioanne regnante, prefatus Panthaleon Stagno et filij quondam Petri de Stagno, a tunc Regni Prorege, super restitutione dicti Portulanatus officij, eo quod ordinacio regia super servicijs prestandis personaliter officijs edita, non comprehendit officia non salariata, favorabiles literas in Regie Cancellarie libro anni 1460, in cartis 63 notatas, obtinuerunt.

Decurso exinde longo temporis curriculo, Petrus de Stagno Mesanensis, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, sub consueto militari servicio, de dicto Portulanatus officio cum perceptione quarte partis iurium ipsius, nec non et de quarta parte iuris tummini civitatis Agrigenti, tamquam succedens in illis ut dixit, ob mortem quondam Manfredi de Stagno eius patris, a quondam Ioanne La Nuça, tunc Regni Prorege, XX^o augusti V^e indicionis 1502, investituram, in Regie Cancellarie libro anni 1501 in cartis 616 notatam, habuit. In qua investitura nulla fit mentio si dictus Manfredus Stagno, pater ipsius Petri, fuit dicte quondam

Mite maritus, minusque in eadem investitura aliorum filiorum et filiarum Mite predictae iura exprimuntur.

Uterius vero percipi non potest quo iure reliqua medietas ipsius Portulanati officij, ad prenominatam Catherinam uxorem prefati Philippi Abbatis spectans, ab illa sive a suis heredibus defecerint et totum dictum officium in posse dicti Petri Stagno integritate pervenerit, cum in Cancellaria nulla alia appareat scriptura preter prenotatas. Et ideo pro Curie cautela possessor officij ipsius cogi deberet ad hoc edendum.

In presentiarum autem, anno 1513 decurrente, ipsum Portulanati officium cum eadem certa parte iuris tummini Agrigenti per prefatum Petrum Stagnu possidetur et anno quolibet reddit uncias XII et ita iuravit 07. XII.

Nihilominus enorme videtur officia ipsa in perpetuum concedi cum iuribus granorum super victualibus extrahendis inpositorum, que iura non modicam capiunt quantitatem; et ideo pro regia Curia ipsa iura reservari deberent, et officialibus in ipsis officijs deputatis aliquod congruum salarium super eiusdem officijs constitui pro Sacri Regij Patrimonij augmento.

Qui Petrus Stagnu cepit etiam investituram de dicto officio Portulanati et medietatis tercie partis iuris tummini Agrigenti, ob mortem Catholici quondam domini nostri Regis, die XXI^o Augusti III^o indictionis 1516, a don Ugone de Moncada Vicerege, notatam in libro anni V^o indictionis 1516 f. 68, et iuravit reddere tantumdem.

Officium Portulanati Leontini.

Officium unius ex Portulanotis portus maritime et carricatorij terre Leontini quondam Pino de Regio suisque heredibus, cum perceptione grani unius et quarti pro medietate granorum duorum et medij, duobus portulanis dicti portus tribui consuetorum, Serenissimus Rex Federicus, eius cum Regio privilegio in Regie Cancellarie libro anni 1375 in cartis 7 notato, concessit.

Mortuo demum dicto Pino de Regio, officium predictum ad Hen-

rium Nicholaum, Thomam et Anthonium de Regio, fratres, eius filios pervenit. Qui de officio ipso ac etiam de institutione testamentaria per dictum Pinum de Regio eorum patrem facta, a Serenissimo Rege Martino, eius cum regio privilegio dato Cathanie ultimo Ianuarij VIII^e indictionis 1399, confirmationem, in Regie Cancellarie libro dicti anni in cartis 38 notatam, reportarunt.

Videatur in posse cuius dictum officium ad presens invenitur pro Curia cautela, ex quo in Cancellarie officio nullus alius de eodem apparet titulus.

Officium Portulanoti Siracusarum

Officium unius ex Portulanotis civitatis Siracusarum a Serenissimo Rege Federico quondam Pino de la Serra suisque heredibus, eius de corpore legitime descendantibus, sub solutione medietatis grani unius et medij, ab olim quondam Ioanni Manchino concessi, cuius reliqua pars heredum dicti quondam Ioannis Manchini fuerat de maiori summa granorum decem pro qualibet salma victualium et leguminum de dicte civitatis portu extraendorum solvi et percipi ordinatorum, eius cum Regio Privilegio, in Regie Cancellarie libro anni 1375 in cartis 42 notato, concessum fuit.

Quiquidem Iacopinus de la Serra de officio eodem, pro se et dictis suis heredibus, cum dicto iure medietatis grani unius et medij pro salma victualium ut supra extrahendorum, cum inserto tenore dicti privilegii Regis Fiderici, iuribus Regijs et alterius semper salvis, a Serenissimo Rege Martino ultimo Iulij XV^e inditionis 1392, confirmationem, in Regie Cancellarie libro anni 1391 in cartis 168 notatam, obtinuit.

Supplementorum iura Siracusarum

Supplementa, supplementorum iura civitatis Siracusarum, que pro quibuscunque cantaratis a portibus et maritima civitatis eiusdem per quevis navigia extrahendis Regie Curie solvi consueverunt et debent; Serenissimus Rex Martinus quondam Iacobo de Aricio, suisque heredibus eius, de corpore legitime descendantibus iure francorum, in feudum, sub consueto militari servicio, eius cum privilegio regio dato Cathanie primo Marcij 1403 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 104 notato, ultimo loco concessit.

Mortuo postmodum dicto Iacobo de Aricio, sibi in dicto supplementorum iure successit Nicolaus de Aricio, eius filius. qui, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendantibus, de iure eodem, a tunc Regni Prorege, XXIII Ianuarij XII^e indictionis 1418, investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 168 notatam, obtinuit.

Sed, cum a dicto anno 1418 usque ad hodiernum, anno 1513 decurrente, de supplementis antedictis aliqua alia non reperiatur investitura, et nihilominus regalie sunt et propterea inalienabilia, tam propter non captas investituras, quam quia in cuius posse existant ignoratur, supplementa ipsa sive illorum iura revocari omnino debent et Regie Curie penitus restitui, et nihilominus ponantur in rollo feudorum pro Regij patrimonij indemnitatem.

Planca in Cathania

Per dominum Infantem Don Petrum de Aragonia, Serenissimi Regis Alfonsi fratrem et in Regno Vicarium, quondam Bernardo de Gravina cathaniensi, in sue aliquale vite subsidium, eius nihilominus vita durante construendi plancam sive tabulam macellandi carnes in dicta civitate Cathanie et loco licito et honesto quem ap-

tiorem elegisset, suo cum vicariali privilegio dato Drepani VI^o februarii III^e inditionis 1424, et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 176 notato, licenciam concessit.

Nihilominus attendendum est, pro Curie cautela, quod percipiatur si tunc temporis dicta planca constructa fuit, et per quem hucusque possessa extitit, ne forte occupata fuisset in Regie Curie fraudem et detrimentum.

Officium notariatus sive magistri notarij Placie

Serenissimus Rex Alfonsus quondam Pericono de Nasello, suisque heredibus et successoribus eius de corpore legitime descendentibus, tunc iam natis et ab intea nascituris, officium notariatus actorum Curie Capitanei terre Placie, cum iuribus redditibus et emolumentis suis solitis et consuetis, cum potestate substituendi personam idoneam, pro cuius tamen culpis et defectibus Periconus ipse dictique sui heredes principaliter tenerentur, eius cum regio privilegio dato Cayete III decembris 1438 de quo viceregia emanavit exëcutoria data Panhormi II aprilis II^e indicionis 1439, et in Regie Cancellarie libro anni 1438 in cartis 366 notata, concessit.

**Dichitura prima cabelle caxie vini,
cabella taren. Cathanie**

Prima Dichitura cabelle caxie vini civitatis Cathanie per quondam Andream de Navarra, ex regia concessione, sibi et suis in perpetuum heredibus facta olim, ut asseritur, possidebatur; de qua tamen concessione Regia in Cancellaria nullus reperitur titulus.

Cumque exinde Andreas ipse ad mortem devenisset, in ultimis

quibus decessit eius cum testamento, manu quondam notarij Anthonij de Aurello VIII^o februarij 1474 condito, dictam primam dichituriam cabelle tarenj et omne ius quod habebat super dicta prima dichitura cabellarum predictarum, quondam Michaeli Bonaviri et Tucie, iugalibus, legavit. Qui Michael Bonaviri, tam suo proprio nomine quam ut maritus et legitimus administrator dicte Tucie eius uxoris, virtute dicti legati in possessionem dicte prime dichiturie per Regiam Curiam patriciatu civitatis eiusdem immissus extitit. Quem quidem legatum Don Lupus Ximenes Durrea, tunc Regni Prorex, prefatis Michaeli Bonaviri et Tucie, coniugibus, eo modo et forma quibus prefatus quondam Andreas de Navarra illam tenebat et possidebat, eius cum viceregia provisione data Panhormi VII^o Marcij VII^o indicionis 1474, confirmavit. Quamquidem viceregiam provisionem Serenissimus Rex Ioannes vestri Regij culminis genitor, cum eius inserto tenore eisdem iugalibus, suo cum Regio privilegio dato Barchinone XV^o Aprilis VII^o indicionis 1474, de quo viceregia emanavit executoria in Regie Cancellarie libro anni 1475 in cartis 476 registrata, exinde etiam confirmavit.

Redditus unciarum XXXVI super portu Abole

A Serenissimo Rege Federico quondam Andree de Castellis suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus in feudum uncie XXXVI annui redditus super portu, sive redditibus portus tenimenti terre Abole, suis cum regijs patentibus liceteris, in Regie Cancellarie libro anni 1340 in cartis 68 notatis, solvende concessisse fuere.

Redditus unciarum CC super portu Bruce

Serenissimus Rex Martinus quondam Gerardo de Guimerano suisque heredibus in perpetuum uncias CC annuales, super proveni-
tibus portus Bruce, iure francorum, eius cum Regio privilegio dato
Cathanie in anno 1392 et in Regie Cancellarie libro anni 1394 in
cartis 175 notato, in feudum honoratum, concessit.

**Redditus unciarum DCXXXVII super tractis
portus Brucule**

Petro Sanctio de Calataiubio suisque filiis utriusque sexus eius
de corpore legitime descendantibus, et eorum filijs utriusque sexus
de eorum corporibus legitime descendantibus et sic in infinitum,
in feudum, sub servicio trium hominum armatorum in equis, per
Serenissimum Regem Martinum, super portu et carricatorio Brucule,
tam ratione tractarum et exiturarum, quam alio quocunque iure,
uncie sexcente quadraginta septem, ad complimentum unciarum
mille concesse fuerunt, quam pro aliis unciis tricentis quinquaginta
tribus, ad complementum dictarum unciarum mille, Rex idem illi
concesserat terras Galeani et Sancti Philippi de Argirione; sicuti in
eius regio privilegio dato Panhormi XVIII maii XV^e inditionis 1392,
et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 74 notato, continetur.

**Redditus unciarum CC super cabellis Siracusarum
et portus Bruce, ac redditus aliarum unciarum
CC super secrecijs et portibus Regni**

Serenissimus Rex Martinus quondam Egidio de Podio suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus iure francorum, uncias ducentas annui redditus super introitibus cabellarum et iurium Secrecie civitatis Siracusarum ac super portu et carricatorio Bruce, sub consueto militari servicio, eius cum regio privilegio in quo datum deest, in Regie Cancellarie libro anni 1396 in cartis 106 notato, concessit.

Preterea, alio cum regio privilegio dato Cathanie VI^o aprilis XI^o indicionis 1403, Rex idem prefato Egidio de Podio et suis heredibus, eius de corpore legitime descendentibus iure francorum sub consueto militari servicio, uncias ducentas annuas super proventus cabellarum et iurium secreciarum ac tractarum portuum et maritimarum Regni, quousque sibi de equivalenti excambio provideretur concessit; quod regium privilegium in Regie Cancellarie libro anni 1402, in cartis 147 notatum est. Nihilominus actendum est an fuerint due concessionis sive una.

Redditus unciarum centum super portu Auguste

Turgisius de Montealto, tunc terre Bucherii Baro, Serenissimo Rege Federico uncias centum annui redditus super portu terre Auguste, sub consueto militari servicio, nomine provisionis, quas ipsemet baro usque ad dictam summam exigere potuisset, eius cum regio privilegio dato Cathanie in anno 1365, reportavit.

Mortuo deinde dicto Turgisio, sibi in dicto iure redditus suc-

cessit Ioannes de Montealto, eius filius, qui de iure redditus predicti, pro se suisque heredibus sub dicto militari servicio a Serenissimo Rege Martino, suo cum regio privilegio in Regie Cancellarie libro anni 1396 in cartis 39 notato, confirmationem obtinuit.

Redditus unciarum CC super portibus Siracusarum

Serenissimus Rex Martinus quondam Ioanni de Aragonia et suis heredibus eius de corpore legitime descendantibus, in feudum, sub consueto militari servicio, super redditibus portus Siracusarum, uncias ducentas annuales, suo cum regio privilegio dato Panhormi XX^o maij XV^o indicionis 1392, et in Regie Cancellarie libro annorum 1388-1392 in cartis 80 notato, concessit.

**Redditus unciarum CCCC super tractis Bruce
et in defectu super colta Calatagironi**

Don Ugo de Sancta Pace pro se suisque heredibus, eius de corpore legitime descendantibus, sub consueto militari servicio, a Serenissimo Rege Martino, super tractis portus Bruce, et in illarum defectu super colta Calatagironi terre, uncias quadrigentas annuas reportavit; prout in eius regio privilegio dato Cathanie VI^o marcii prime indicionis 1392 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 1 notato, continetur.

Redditus unciarum CC super portu Bruce.

Serenissimus Rex Alfonsus quondam Guçterre de Nava militi suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus, uncias ducentas annuas super introitibus portus Bruce suo cum regio privilegio dato in Castronovo VIII^o decembris 1421, de quo viceregia emanavit executoria in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 96 notata, concessit.

Redditus unciarum DCCC supra tractis Leocate

Uncie octigente annui redditus per Serenissimum Regem Martinum super tractis Leocate eius cum regio privilegio dato Cathanie XIII^o februarii prime indictionis 1392 et in Regie Cancellarie libro annorum 1388, 1392 in cartis 173 notato, quondam Octono de Montecatheno, suisque filiis masculis et eorum filiis masculis in perpetuum, in feudum sub consueto militari servicio concessit extitere.

Redditus unciarum CCC super tractis Terrenove

Per Serenissimum Regem Martinum quondam Raymundo de Planella, suisque heredibus et successoribus ac quibus voluisset, in feudum, sub consueto militari servicio, super tractis portus Terre-

nove eius cum regio privilegio dato Panhormi XIX^o maij XV^o indictionis 1392 et in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 23 notato, uncie CCC annui redditus concessa extitere.

Cabella herbagiom heraclie

Quante sit importancie terra Heraclie, sive Terrenove, hoc in Regno, secus lictus maris posita pro regni ipsius tuitione et defensione cum a piratis et hostibus ac infidelibus semper quodammodo defatigetur, Vestre Catholice Maiestatis alias iam innotuit. Que propterea nec non ob illius commercium et tractas que ex eiusdem portu et carricatorio sepissime estrahuntur, pacto aliquo a Sacro Regio Demanio segregari non debebat et penes baronem exstare; sed sub demaniali iugo prout antiquitus fuerat semper persistere, ut, regiis impensis munita et vallis aliisque bellicis machinacionibus composita, piratis ipsis et hostibus resistere valeret; et licet hoc factum iam extitisset. Nihilominus, non obstante quod contra illius possessorem per Regium Fiscum super illius revendicatione et questio iam mota et imptentata fuisset, per quam, suadente iusticia, penes ipsum Regium Demanium facillime et absque dubio iam devenisset, nisi mutuum sive largitio per dictum Baronem de florenis decem millibus hoc in Regno noviter facta, que pecunia pro acquiranda Africa dicta est fuisse conversa, liti predicte tam iuste et sancte contraisset, terra ipsa Heraclie penes dictum baronem remansit atque persistit, cum condicione quod ad dicte litis ulteriora per ipsum Regium Fiscum amplius procedi non debeat, quin prius pecunia ipsa eidem baroni restituatur: quod equidem non sine aliqua Vestre Regie conscientie nota factum esse dicendum est. Sed cum cabella herbagiorum terre ipsius Heraclie per Serenissimum Regem Martinum eiusdem terre universitati concessa fuerit, ad opus continue et in perpetuum convertendi omnes redditus cabelle eiusdem circa fabricam et reparacionem menium terre ipsius, sicuti per seriem eius regie provisionis Vestra Regia Celsitudo hoc melius percipere poterit, que est huiusmodi, scilicet:

Martinus etc. Exposcit debitum dominium ut petitionibus suorum fidelium benignius condescendat, in illorum precipue in quo sevientibus guerre turbinibus, non hostiles incursus, non illata dispendia concurrere potuerunt, quin sinceritate (*sic*) fidei et devotionis integritatem stabiles observarent. Presentis itaque privilegii serie notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris, quod oblata nobis, pro parte fidelium nostrorum universitatis hominum terre Heraclie, peticio continebat, quod cum dudum post adventum nostrum in hoc Regnum, ad humilem supplicacionem universitatis hominum terre eiusdem, ipsa universitas et singulares de eadem a solucionibus et contribucionibus nonnullarum cabellarum et aliarum angariarum in dicta universitate ante dictum nostrum adventum impositarum et introductarum, fuerint per nos exempti et liberati. Inter quas quedam cabella herbagiorum hactenus imposita per nos extiterit abolita et penitus revelata, tamen cum propter imminentis maliciam temporis et guerrarum turbines nonnullae cabelle universitatis eiusdem fuerint in usum et commodum nostre Curie redacte et converse, dignaremur eisdem licenciam imponendi et exigendi cabellam herbagiorum predictam prout hactenus solitum erat et consuetum graciosius concedere et donare. Nos vero actendentes terram ipsam sic eius situ fore debilem ut si ei murorum artificiosa abesset tuicio, posset de facili per nostrorum rebellium incursus in sinistrum aliquod prolabi, considerantes nec minus fidem puram et devotionem sinceram quam homines dicte terre Heraclie fideles nostri erga Excellentiam Nostram costanter gesserunt et gerunt, grata quoque et accepta servicia per eos Celsitudinibus Nostris devote illata, et que ad presens conferunt et in posterum conferre poterunt, annuente domino, meliora, eidem Universitati dictam cabellam herbagiorum imponendi et exigendi prout hactenus solitum extitit et consuetum, plenariam et omnimodam conferimus potestatem, sic tamen quod iura, redditus et provenctus eiusdem in formatione muri et menium dicte terre perpetuo convertantur, mandantes serie huiusmodi Magistro Secreto Regni nostri predicti ac Vicesecretis Curie in dicta terra presentibus et futuris, consiliariis, familiaribus et fidelibus nostris ne contra formam dicte nostre gracie venire seu aliquid attemptare seque de eadem cabella aliquatenus intromictere presumant, quin potius universitatem dicte terre, seu officiales eiusdem, dictam cabellam modo debito et consueto imponere et iura proinde provenienda in reformationem muri et menium eiusdem convertere perpetuo paciantur. Ad huius autem nostre concessionis et gracie futuram memoriam et imper

petuo valiturum, presens privilegium exinde fieri iussimus nostri
pendentis sigilli munimine roboratum. Petrus Cancellarius, Primo-
genitus Aragonum Rex Martinus.

Iacobus Andree; mandato domini Regis.
Registratum per Petrum Serra decreto-
rum doctorem dicti domini Regis, ut
primogenitus Aragonum, Cancellarium.

Datum Cathanie per nobilem Bartholomeum de Iuenio militem,
Regni Sicilie Cancellarium etc anno dominice incarnationis 1396
die XV^o mensis martii V^o indicionis etc.

Et nihilominus percepi Universitas ipsius terre Heraclie dictam
cabellam herbagiorum tenet et possidet, ex qua maximam pecu-
niarum quantitatem per tantum tempus exegit et ex illis circa
reparacionem menium terre eiusdem nulla fuit facta impensa; im-
mo, ut probi homines et habitatores terre ipsius Heraclie aiunt,
baro terre eiusdem maximam pecuniarum summam, que ex dicta
cabella provenit, sibi usurpavit, illamque in proprios eius usus con-
vertit; unde vereor ne ipsum corpus cabelle herbagiorum usurpa-
tum existat. Propterea, actencta terre eiusdem Heraclie maxima
importancia, que ob debilitatem murorum et inopiam habitantium
in ea facillime aliquam hostium invasionem habere posset, Vestra
Catolica Maiestas circa illius recuperacionem intendere deberet sive
ad minus providere quod in dicta herbagiorum cabella aliquis
constituatur Credencierus Regie Curie nomine, qui iura cabelle ipsius
exhigere debeat, illaque circa reparacionem murorum terre eius-
dem ad illorum fortificacionem expendere, tam ad civium terre
ipsius salutem, quam ad universale Regni huius beneficium.

Preterea actendendum est quod, non sine consciencie contagio,
pro illis florenis decem milibus quos ipsius terre Heraclie baro
pro expensis civitatis Tripolis persolvit, Regia Curia ab incepta lite
circa revocacionem terre ipsius facta et quodammodo completa
dextitit. Nam si ab illa non destitisset in presentiarum terra ipsa
penes Regium esset Demanium, cum maximam fovisset iusticiam et
non penes ipsum baronem, que terra cum habeat portum et car-
ricatorium unde innumere tracte extrahuntur et in quo maxima

fiunt commercia et iuxta mauritanam regionem existat, multum importat. Et sic nimis conducit quod, ad Regni ipsius tutamen, sub demaniali iugo remaneat et non in posse baronis. Et propterea est merito attendendum ad ipsius terre revocationem cum signanter ipsa Regia Curia tam grandem habeat iusticiam.

Redditus 07. XX super terragiis Leocate

Quamvis de terragiis terre Leocate, tanquam de iuribus et membris Regie Secrecie terre predictae, per Regni Secreciarum Capibrevium in capitulo Secrecie eiusdem in cartis . . . et per hoc opus superius in cartis . . . satis diffuse dictum sit qualiter tempore eorum concessionis, facte per Serenissimum Regem Martinum illis de Romano summam unciarum annualium duodecim non transdebant, et quod pro eisdem concessa fuere, actentis predictorum de Romano serviciis tunc Regie Curie prestitis; que servicia ea fuisse presumendum est quod dicta retributione unciarum duodecim condigna extitisse viderentur, quod que ad presens maximam pecuniarum summam reddunt, ob quod remedium inferitur quod, tam ob controvencionem per possessores factam forme tituli et privilegii ipsorum terragiorum, quam pro Regni statutorum observacione, juridice eidem Regie Curie revocari possunt et restitui. Nihilominus nuper inveni, quod ante ipsorum terragiorum concessionem et alienationem per Regem Martinum antedictum factam, videlicet cum terragia ipsa penes Regiam Curiam reperirentur, Serenissimus Rex Federicus tercius, ad eius tamen beneplacitum, super terragiis eidem quondam Blascello de Alagona uncias annuas triginta sex solidorum suorum in feudum, sub militari servicio, unius equi armati et alterius alforrati, et post eius obitum suis heredibus, eius de corpore legitime descendentibus, uncias tantum viginti sub militari servicio unius equi armati, eius cum Regio privilegio dato Messane X^o septembris XIII^e indicionis 1330, concessit.

Mortuoque exinde dicto Blascello de Alagona, sibi in dicto iure

redditus unciarum viginti, super dictis terragiis successit **Beatrix**, eius neptis, filia quondam **Artalis** de **Alagona** ipsius **Blascelli** filii, tunc quondam **Perroni** de **Campsore** uxor, scilicet per mediam personam dicti **Artalis**. Que **Beatrix** pro se suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus, sub servicio militari unius equi armati, de ipsis unciis viginti redditus a **Serenissimo Rege Federico** iuniore, prefati **Regis Federici** tertii nepote, sua cum **Regia** provisione data **Cathanie** II^o septembris XIII^e indictionis 1375, investituram reportavit.

Ipsumque ius redditus unciarum viginti, sub dicto servicio unius equi iuxta formam dictorum privilegiorum, eidem **Beatrici** suisque heredibus predictis, **Serenissimus Rex Martinus**, eius cum regio privilegio dato **Cathanie** XXVI^o iulii XV^e indictionis 1392, confirmavit.

Defuncta exinde dicta **Beatrice**, sibi in eisdem unciis viginti redditus successit **Ioannes** de **Campsore** eius filius et dicti quondam **Perroni** de **Campsore** iugalium. Qui **Ioannes**, pro se et dictis suis heredibus, de redditu ipso, sub dicto militari servicio, iuribus **Curie** et alterius semper salvis, a tunc **Regni Proregibus**, cum inserto tenore dictorum privilegiorum, XVII^o februarii X^e indictionis 1416 investituram in **Regie Cancellarie** dicti anni libro in cartis 163 notatam, obtinuit.

Nihilominus est attendendum quod prima concessio dicto quondam **Blascello** de **Alagona** per prefatum **Regem Federicum** seniore facta, ad sui regium beneplacitum concessa extitit; unde mihi persuadeo quod successoribus illius de dicto redditu succesivis temporibus investiture inadvertenter concessisse fuerunt, quia forte fisci patronus cui onus hoc impositum est ad clausulam dicti **Regij** beneplaciti, non advertit; quod beneplacitum tam ob mortem dicti **Regis** concessoris, quam ob generalem revocationem omnium regiorum beneplacitorum, revocatum fuit. Et ideo super hoc arbitrio boni viri standum est.

Decedente demum dicto **Ioanne** de **Campsore**, sibi in eodem redditu successit **Ioannella** de **Campsore**, eius filia et **Francisce**, iugalium. Que **Ioannella** cum inserto tenore omnium predictorum privilegiorum de redditu eodem unciarum viginti, a tunc **Regni Prorege**, sub servicio unius equi armati, iuxta formam ipsorum privilegiorum XX^o aprilis III^e indictionis 1455, investituram in **Regie Cancellarie** libro anni 1454, in cartis 236 notatam, reportavit. Postmodum autem ipsum ius redditus unciarum viginti ad **Petrucium Stagnum** illius modernum possessorum, ex donatione sibi de eo propter nuptias per **Ioannem Anthonium Stagnum** et **Ioannellam** iugales, illius pa-

rentes, virtute contractus manu notarii Iacobi de Ioanne messanensis XI^o septembris, VII^o indicionis 1503 celebrati, facta, pervenit. Qui Petrucius, pro se suisque filijs et heredibus, in feudum sub militari servicio de iure ipso redditus unciarum viginti super dictis terragijs Leocate, videlicet super feudis vocatis Passarello, Li Scuderi et Calandrini, a don Ugone de Montecatheno, moderno Regni Prorege, ultimo octobris XV^o indicionis 1511 investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 32 registratam, obtinuit.

Et in presentiarum autem, anno 1513 decurrente, dictus ius redditus unciarum viginti super dictis terragijs, ut supra, per prefatum Petrucium Stagnum possidetur, quod anno quolibet est 07. XX

Nihilominus, pro Curie cautela, dictus Petrucius edere deberet quo titulo possidet, ac quo iure ius ipsum ad eum suosque parentes pervenit. Nec non et Petrucius ipse cepit, ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi, de dicto reddito unciarum XX investituram a don Ioanne de Luna Presidente die XII^o septembris V^o indicionis 1516, notatam in libro dicti anni f. 84.

Tracte et Cantarate 2500 super Carricatorio Siculiane

Gilibertus de Isfar quondam pro se suisque heredibus, eius de corpore legitime descendentibus, a Serenissimo Rege Alfonso duas mille et quingentas tractas annuas super carricatorio Siculiane in feudum, sub consueto militari servicio, eius cum regijs privilegijs in Regie Cancellarie rationum libro anni 1446 in cartis 246 notatis, nec non alijs privilegijs regijs et provisionibus de quibus Magno in Capibrevio in capitulo officij Magistri Portulani in cartis 356, cui me refero, mencio facta est, obtinuit.

Mortuo deinde dicto Giliberto de Isfar, dictum ius 2500 tractarum ad quondam Federicum de Isfar pervenit, de quo, cum non appareat in Cancellaria investitura ob mortem suorum progenitorum capta, ratio dari non potest quo iure in eisdem tractis successit.

Verum apparet ipsum Federicum de Isfar, ob mortem Serenissimi Regis Ioannis, de tractis quingentis ex paterna successione, et de aliis tractis quingentis ex contractu emptionis, manu notarii Iacobi de Randisio, XIII^o ianuarii XIII^e indictionis 1479 celebrato, et sic in summa de tractis mille super carricatoriis Siculiane et Capublancu, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, a tunc Regni Prorege XIII^o ianuarii XIII^e indictionis 1479, investituram in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 318 notatam, obtinuisse.

De reliquis autem mille quingentis tractis, ad complimentum predictarum 2500 tractarum supradictarum, prefato Giliberto de Isfar, ut predicatur, concessarum, Regia in Cancellaria adhuc non reperitur in cuius posse existant. Nihilominus in eiusdem Cancellarie libro, anni 1491 in cartis 295, quedam apparet notata investitura per quam quondam Vincentius de Isfar, tamquam filius primogenitus ac heres et successor quondam Ioannis de Isfar eius patris, pro se suisque heredibus eius de corpore legitime descendentibus, XX^o iulij VIII^e indictionis 1491, de tractis mille et quingentis ac de alijs cantaratis mille super carricatorio Siculiane et Capublancu se investivit. prout in ipsa investitura continetur.

Sed quia apparet per predictas investituras prenomatos de Isfar de duobus milibus et quingentis tractis nec non et de alijs cantaratis mille se investisse, et predictae cantarate in dictis privilegiis non nominantur, ratio dari non potest quo iure ipse tracte separate fuerint et in duas personas divise, nulla apparente eiusdem divisionis et dismembracionis regia licencia seu confirmacione, ac quo iure ad eosdem tam dicte tracte quam prelibate cantarate pervenerint. Et ideo, pro Curie cautela, possessores ad hoc edendum compelli deberent.

Defuncto tandem dicto Federico de Isfar, sibi in quingentis tractis Gibertus de Isfar eius filius successit, et in alijs quingentis tractis Vincencius de Isfar minor eius nepos, filius quondam Francisci Anthonii de Isfar, ipsius Federici filii et dicti Giliberti fratris. Qui Gilibertus de Isfar, proprio nomine de suis quingentis tractis et de alijs quingentis tractis tutorio nomine prefati Vincencii de Isfar, eius nepotis ut supra, pro se eorumque heredibus ipsorum de corpore legitime descendentibus, iuxta formam eorum privilegiorum, ob mortem dicti quondam Federici de Isfar, a don Petro Sanches de Calataiud, tunc Regni Preside, X^o marcij prime indictionis 1513 investituram in Regie Cancellarie libro anni 1512, in cartis 526 notatam, reportavit.

Et in presentiarum, dicto anno 1518 decurrente, ipse mille tracte a dictis carricatoriis Siculiane et Capoblanco anno quolibet extrahende per prefatos Gilibertum et Vincencium de Isfar patruum et nepotem possidentur, que mille tracte anno quolibet reddunt 07. LV.

Nihilominus per Regium Fiscum esset inquirendum in cuius posse relique mille et quingente tracte ac prefate mille cantarate, que cantarate ut prefertur in privilegiis non reperiuntur, remaneant, ut de his, clarificata Regia Curia, sue possit indemnitati providere.

Don Ioannes de Isfar, tenens et possidens dictas tractas et cantaratas, cepit a don Ioanne de Luna, Preside, de illis investituram ob mortem domini nostri Regis Ferdinandi et successionem domine regine Ioanne et Regis Caroli, eius filie et nepotis, die XI^o decembris V^o indictionis 1516, notatam in libro dicti anni f. 280, et iuravit reddere tantumdem.

Et ultra dictus don Ioannes nomine proprio, pro tractis quingentis et tutorio nomine Giliberti de Isfar, minoris eius nepotis, pro aliis tractis quingentis ad complimentum tractarum mille super carricatoriis Siculiane et Capublanco, ob mortem Catholici Domini nostri Ferdinandi Regis, a don Ioanne de Luna, Preside, cepit investituram de dictis mille tractis, die VII^o ianuarii V^o indictionis 1517, notatam in libro Cancellarie anni 1516 f. 379, et iuravit tactis scripturis dictas mille tractas reddere 07. XX.

Et mortuo dicto don Giliberto, successit Agatucia eius filia, que, seu dominus Iacobellus de Asmundo eius maritus, ob resignationem propter nuptias per eum sibi factam, cepit de dictis quingentis tractis investituram, die XI^o februarij X^o indictionis 1522, notatam in libro dicti anni f. 397, et iuravit reddere dicte tracte quingente 07. XIII.

Tracte mille super carricatorio Bruce

Serenissima Regina Ioanna, soror Serenissimi Regis Ioannis, quondam Ioanni Çabastida suisque heredibus ac quibus voluerint super portu Bruce tractas mille concessit, sicuti in eius reginali privilegio, dato felicibus in castris apud Barchinonam XXI^o septembris 1462 continetur; quod reginale privilegium dictus Rex Ioannes prefato Ioanni Çabastida dictisque suis heredibus ac quibus voluisset, eius cum regio privilegio dato ibidem XXVIII^o dictorum mensis et anni, de quo viceregia emanavit executoria data Panhormi XXIII^o septembris XI^o indicionis 1463, et in Regie Cancellarie dicti anni rationum libro in cartis 52 notata, acceptavit et confirmavit.

Granum unum et medium super tractis Bruce

Serenissimus Rex Martinus quondam Tuchio Richuli, cathaniensi, in perpetuum granum unum et medium super tractis et exituris portus Bruce in feudum, sub consueto militari servicio, eius cum regio privilegio in Regie Cancellarie libro anni 1396 in cartis 132 notato, concessit. Quod ius grani et medij quondam Luchas Abulot, dum vivebat, tenebat et possidebat, sicuti in ipso privilegio, in quo deest data, continetur.

Granum super portubus Leontini et Bruce

Serenissimus Rex Martinus, suo cum regio privilegio in Regie Cancellarie libro anni 1406 in cartis 322 notato, quondam Nicto de Speciali, suisque in perpetuum heredibus, super portubus Leontini et Bruce granum unum pro qualibet salma extrahenda concessit.

Solacium et Turris sive castrum novum Castri Ioannis

Turris, sive castrum novum terre Castri Ioannis, tanquam regium solacium, tunc Regni Prorex, de mandato Serenissimi Regis Alfonsi, quondam Petro de Matrona concessa fuit. Que turris, sive castrum, cum exinde ad ruynam devenisset, prefatus Petrus de Matrona se expensurum de proprio quod expendendum fuisset pro eius reparacione et edificacione domorum in eo construendarum, ut habitabilem fieret, se obtulit. Ob quod Vicerex predictus eidem Petro de Matrona castellaniam dicti castri pro domo plana, prout hactenus ipse suisque precessores illam cum omnibus illius iuribus, preeminenciis, honoribus et oneribus retinere consueverant, concessit. Recepto prius ab eo fidelitatis iuramento de dictum castrum pro domo plana bene et legaliter custodiendo, tenendo et gubernando, ad eius tamen vite decursum, cum condicione nihilominus quod, post ipsius Petri de Matrona obitum, castellania antedicta a suorum in his heredum et successorum posse removeri non posset quin prius illis de expensis ibi descriptis integriter satisfactum esset (*sic*). Ita quod impensa ipsa summam unciarum centum caper et pro quibus unciis centum prefatus Vicerex illis dictam castellaniam

§50 SOLACIUM ET TURRIS SIVE CASTRUM NOVUM CASTRI IOANNIS

impignoravit, ypothecavit et obligavit in bona fide regia, promisitque castellaniam ipsam ab eis nunquam auferre nisi prius dicta impensa unciarum centum satisfacta, sicuti in eius viceregia provisione, data Panhormi XXII^o iunij V^o indicionis 1457, hec et alia continentur.

Cumque exinde cum dictis unciis centum integra reparacio castri predicti facta non fuisset, idem Petrus de Matriona, pro eadem conficienda reparacione, alias uncias L se etiam expensurum obtulit, cum hoc tamen, quod de pecuniis Regie Curie Regie Secrecie terre predictae Castrijoannis salarium unciarum sex annualium pro custodia castri eiusdem sibi daretur. Et sic dictus Prorex eidem Petro de Matriona, suisque in perpetuum heredibus et successoribus, super redditibus dicte Regie Secrecie predictum unciarum sex salarium taxavit et concessit, ut in eius viceregia provisione, data Panhormi XVIII^o decembris VII^o indicionis 1458, late patet. Quam viceregiam provisionem Serenissimus Rex Ioannes, cum illius inserto tenore, prefato Petro suisque in perpetuum heredibus et successoribus, ut supra, eius cum regio privilegio dato Frage XXVIII^o septembris VIII^o indicionis 1460, de quo viceregia emanavit executoria, in Regie Cancellarie dicti anni libro in cartis 302 notata, confirmavit.

In qua viceregia executoria exponitur, quod dicta turris sive castrum erat regium solacium, et ideo Regie Curie iura sibi in ea reservavit.

Aque fluminum Adilato et Rindechi

Serenissimus Rex Alfonsus quondam Vassallo de Speciali, suisque in perpetuum heredibus et successoribus, aquas fluminum vulgo dictorum di lu Adilato et Rindechi, in territorio civitatis Nothi existencium, sub onere census unciarum trium Regie Curie solvendi, concessit.

Deinde vero prefatus Vassallus de Speciali, puplico mediante contractu manu notarii Guillemi de Novello, XXI^o novembris 1451,

quondam Raynaldo de Xurtino concessionem predictam renuncia-
vit et perpetuo donavit; quem contractum Serenissimus Rex Al-
fonsus eidem Raynaldo . quatenus rite et recte processerit, con-
firmavit.

Preterea Rex idem prefato Raynaldo de Xurtino suisque he-
redibus licenciam concessit, ut dictis aquis fluminum antedictorum,
ad opus irrigandi cannamellas, vineas, ortos, viridaria et alios cam-
pos in territorio suorum possessionum, territoriorum et locorum
uteretur et gauderet, sicuti in eius regio privilegio dato in castello
Turris Octavi X^o marcii XIII^o indicionis 1451, de quo viceregia
emanavit executoria data Panhormi XXV^o augusti XIII^o indicio-
nis predictae, et in Regie Cancellarie libro anni 1450 in cartis 456
notata, continetur.

Perquisito nihilominus Regni Secreciarum Capibrevio, in ca-
pitulo Secrecie dicte Civitatis Nothi, in illius compotis de dicto
onere census unciarum trium ad quas prefatus Raynaldus de Xur-
tino, pro se suisque imperpetuum heredibus iuxta formam dicti
privilegij Regis Alfonsi se obligaverat, nullus fit introitus. Et ideo,
pro Curie cautela, de illis a Secreto predictae civitatis Nothi, seu a Re-
gni Magistro Secreto relacio habeatur, quare huiusmodi ius cen-
sus hucusque non exactum fuit et non exhibitur, cum in preiudi-
cium Regie Curie tendat. Et si forte de censu ipso gracia seu re-
laxacio facta non extitit, quod ob canonem non solutum aque pre-
dicte recuperentur, sive quod ius dicti census tam pro preterito
quam pro futuro tempore exigatur.

Feuda Casali vechu et la Frasca

Dicta feuda Casalis veteris et la Frasca erant de membris ba-
ronie Monjalini siti et positi in valle Nothi; que feuda, ob mortem
quondam Ioannis Statella, avi paterni Ieronymi Statella, fuerunt
dismembrata a dicta baronia Monjalini, et tam ob donacionem per
dictum magnificum Ioannem eius avum sibi factam de tota dicta

baronia Monjalini, quam ob mortem ipsius quondam Ioannis, ex accordo, dictus Ieronimus Statella successit in dictis duobus feudis de quibus pro se suisque heredibus et successoribus, iuxta formam sui privilegij, cepit investituram a domino Comite de Monteleone, Vicerege, die X^o iulij VIII^o indictionis 1521, notata in libro Regie Cancellarie anni VIII^o indictionis 1520, f. 468, et iuravit reddere dicta duo feuda 07. CXX.

FINE DEL VOLUME I. *

* Finita la stampa dell'intera raccolta, corredata degl'indici alfabetici de' nomi dei feudatari e dei pubblici ufficiali che ricorrono in ciascun volume; sarà dato un Indice alfabetico generale, oltre a taluni interessanti particolari della vita di Giovanni Luca Barberi, tratti da inediti documenti del nostro *Archivio di Stato*.

INDICE ALFABETICO

DEI NOMI DEI FEUDATARI E DEI PUBBLICI UFFICIALI
CHE RICORRONO NEL VOLUME

A

Abate (de) Caterina	Pag. 529, 531.
Abbate (de) Filippo	» 529, 531.
Abruzzo (de) Antonio	» 367, 368.
Abruzzo (de) Antonuzzo	» 368, 369.
Abruzzo (de) Guglielmo	» 367, 368.
Abruzzo (de) Maria	» 367, 368.
Abruzzo (de) Matteo	» 367.
Abruzzo (de) Niccolò	» 367.
Abruzzo (de) Pino	» 367, 368.
Abulot Luca	» 548.
Acuña (de) Ferdinando, Vicerè	» 237, 254, 255, 277, 314, 326, 435, 460, 479.
Adinolfo (de) Mazullo	» 466.
Affitto (de) Mari	» 430.
Agnello (de) Pietro	» 288.
Aidone (de) Antonio	» 467, 497.
Aidone (de) Bartolomea	» 467.
Aidone (de) Bernardo	» 415, 416.
Aidone (de) Catarinella	» 416.
Aidone (de) Elisabetta	» 416.
Aidone (de) Giacomo	» 342.

Aidone (de) Gian Paolo	Pag. 467, 497.
Aidone (de) Giovanni	» 416, 467, 497.
Aidone (de) Guglielmo	» 467.
Aidone (de) Paolo	» 467.
Aidone (de) Riccardo	» 415.
Aidone (de) Simone	» 467.
Aidone (de) Vincenza	» 416.
Aiuto (de) Niccolò	» 496.
Ala (de) Guarnuchio	» 109, 110.
Alagona (de) Andrea	» 234.
Alagona (de) Antonio	» 315.
Alagona (de) Artale, Maestro Giustiziere	» 188, 233, 234, 269, 283, 355, 544.
Alagona (de) Blaschello	» 543.
Alagona (de) Blasco	» 203, 205, 226, 319, 302, 476.
Alagona (de) Costanza	» 233.
Alagona (de) Francesco	» 242.
Alagona (de) Gaiimo	» 151, 161, 162, 184, 185, 298, 521.
Alagona (de) Giovanni	» 233.
Alagona (de) Girolamo	» 234.
Alagona (de) Maciotta	» 234.
Alagona (de) Maddalena	» 315, 317.
Alagona (de) Manfredo	» 151, 203, 372, 528.
Alagona (de) Matteo	» 225, 226, 362.
Alagona (de) Rodrigo	» 190, 191.
Alarchan (de) Gerotta	» 226.
Albegino (de) Giovanni	» 494.
Albegino (de) Ruggiero	» 245, 246.
Albertis (de) Giovanni	» 42.
Albio (de) Giovanni	» 489.
Albirgino (de) Guglielmo	» 167, 170, 171.
Aleono (de) Giovanni, barone di Ca- mastra	» 223, 224.
Aldoyno (de) Giacomo	» 304.
Alea (de) Agata	» 241.
Alea (de) Gualtierio	» 241.
Alessio (de) Battista	» 231.
Alessio (de) Elisabetta	» 460.
Alessio (de) Francesco	» 231, 232.
Alessio (de) Giovanni Antonio	» 231, 232, 233, 460.
Alessio (de) Giuliano	» 231, 232, 233.
Alessio (de) Michele	» 231, 233.
Alfi (de) notar Andrea	» 467.
Aloisio (de) Federico	» 336.
Aloysio (de) Giacoma	» 468.

Aloysio (de) Niccolò	Pag. 468.
Alliata Gerardo, Protonotaro	» 508, 510.
Altavilla (de) Bartolomeo	» 107, 108, 109, 112.
Altavilla (de) Pandolfina	» 112.
Amato (de) Antonio	» 252.
Amodeo (de) Lando	» 213, 214.
Amore (de) Antonio	» 327, 328.
Andrea (de) Giacomo	» 542.
Andreolo not. Antonio	» 393.
Angelica (de) Niccolò	» 215.
Angelo, Arcivescovo di Taranto	» 38.
Anghesa (de) notar Niccolò	» 406.
Ansalone (de) Giovanni	» 40, 227.
Ansalone (de) Macalda	» 431.
Ansalone (de) Pietro	» 428, 430, 431, 433.
Ansisa (de) Niccolò	» 172.
Antiochia (de) Pietro, Cancelliere	» 169, 401.
Aquila (de) Notar Pietro	» 221, 293.
Aragona (de) Beatrice	» 86.
Aragona (de) Carlo, barone di Avola	» 21, 85.
Aragona (de) Eleonora	» 498.
Aragona (de) Federico Orlando	» 151, 192, 498, 499.
Aragona (de) Giovanni, marchese di Randazzo	» 193, 200, 481, 498, 499, 538.
Aragona (de) contessa Mattea	» 482.
Aragona (de) Perruchio	» 193.
Arcivescovo di Palermo, Presidente del Regno	» 123, 148, 150, 160, 165, 197, 303, 307, 308, 378, 379, 404, 415, 471.
Aricio (de) Antonello	» 150.
Aricio (de) Elisabetta	» 265, 266.
Aricio (de) Francesco	» 266, 434, 435.
Aricio (de) Francia	» 149, 150.
Aricio (de) Giacomo, Protonotaro	» 145, 146, 247, 408, 521, 533.
Aricio (de) Giovannella	» 265.
Aricio (de) Giovannello	» 266, 435.
Aricio (de) Giovanni, Protonotaro	» 17, 130, 435.
Aricio (de) Matteo	» 523.
Aricio (de) Niccolò	» 146, 247, 248, 532.
Aricio (de) Perrello	» 434, 435.
Armato (de) notar Pietro	» 421.
Asmari (de) Eufemia	» 227.
Asmari (de) Francesco	» 227.
Asmari (de) Guglielmo	» 226, 227.

Asmari (de) Ludovico	Pag. 327.
Asmari (de) Norella	» 327.
Asmari (de) Ruggiero	» 285
Asmundo (de) Adamo, Dottore in legge	» 163, 384, 403, 425, 426, 427.
Asmundo (de) Giacomello	» 547.
Asmundo (de) Niccolò Antonio	» 403, 404, 426.
Aspello (de) Diateme	» 103, 104.
Aspello (de) Ermano	» 129.
Aspello (de) Giovanni	» 103, 104.
Assinato (de) Giovan Filippo	» 233.
Assyn (de) Gilio	» 322, 324.
Assyn (de) Guglielmo	» 322.
Aula (de) Antonina	» 222.
Avela (de) Niccolò	» 235.

B

Bages (de) Raimondo, Commissario R.	Pag. 73.
Balba (de) la Ugone	» 7.
Balbo Guglielmo	» 430.
Balsamo (de) Angelo	» 487.
Balsamo (de) Francesco	» 487.
Balsamo (de) notar Riccardo	» 365.
Barbadoro (de) Niccolò	» 218.
Barbarini Giovanni	» 233.
Barbarino (de) Bernardino	» 440.
Barbarino (de) notar Tommaso	» 365.
Barbarotto Antonio	» 327.
Barberis (de) Angela	» 413, 414.
Barberis (de) Bernardo	» 413.
Barberis (de) Elisabetta	» 414.
Barberis (de) Giovanni Matteo	» 414.
Barberis (de) Matteo, Dottore in legge	» 413.
Barberis (de) Margherita	» 413.
Barbulato o barbilata (de) Attardo	» 196, 440.
Barbulato Aurelia	» 307.
Barbulato (de) Francesca	» 198.
Barbulato Giovanni	» 307, 308, 309.
Barbulato Muchio	» 308.
Barbulato Pietro	» 466, 490.
Barbulato Pina	» 466.
Bardaxi (de) Alfonso	» 422, 423.

Bardaxi (de) Bernardo	Pag. 422.
Bardaxi (de) Galeotto	» 422.
Barresio (de)	» 407.
Barresio (de) Antonio	» 381.
Barresio (de) Blasco	» 382.
Barresio (de) Giovanni	» 149, 150, 364, 382, 383, 423.
Barresio (de) Luigi	» 381, 382, 383.
Bauso (de) Mannella	» 402.
Bauso (de) Michele	» 402.
Bayro (de) Barone	» 203.
Bellomo (de) Antonio	» 356, 357, 381, 540, 511, 512, 513.
Bellomo (de) Giorgio	» 356.
Bellomo (de) Giovanna Margherita Olzina	» 356.
Bellomo (de) Giovannello	» 357.
Bellomo (de) Giovanni, Algoziro regio	» 353, 356.
Bellomo (de) Guglielmo	» 353, 356.
Bellomo (de) Isabella	» 357.
Bellopodio (de) Alamanno, Algoziro	» 243.
Belvis (de) Francesco	» 17, 19.
Belvis (de) Giovanna	» 17.
Belvis (de) Maria	» 17.
Benedictis (de) Cristofaro	» 6, 75.
Bentisano (de) Desiata	» 205.
Berlione (de) Ruggiero, Dottore in legge	» 159, 466, 467.
Bernardo, Arcivescovo di Ragusa	» 36.
Bernardo Berengario	» 39.
Bertirami (de) Baronessa	» 338.
Bifaro (de) Antonio	» 503.
Biocta (de) Arnaldo	» 149.
Biocta (de) Giacomina	» 149.
Birardo (de) Sansono	» 430.
Bisacia (de) Giovanni	» 177.
Biscardo (de) Antonio	» 474.
Bisoccu Bartolomea	» 247.
Bisoccu Bartolomeo	» 247.
Bisoceto (de) Tommaso	» 407.
Bisuldimo (de) Pietro	» 278.
Blundo Stefano	» 216.
Bonagrazia (de) Ludovico	» 202, 204.
Bonagrazia (de) Vincenzo	» 202, 204.
Bonaiuto (de) Antonio	» 476, 477.
Bonaiuto (de) notar Bartolomeo	» 443.
Bonaiuto Costanza	» 477.

Bonaiuto (de) Giovanni	Pag. 443, 444, 445
Bonaiuto (de) notar Guglielmo	» 469.
Bonanno (de) Cesare	» 417, 418.
Bonascontro Blasio	» 451.
Bonaventura Giovanni, Ufficiale della Conservatoria	» 38.
Bonaviro Michele	» 533.
Bonaviro Tucia	» 535.
Bonfiglio Bonfiglio	» 79.
Bonfiglio Filippo	» 82.
Bonfiglio Francesca	» 78, 80, 84.
Bonfiglio Giovanni Filippo	» 83.
Bonfiglio Girolamo	» 82, 83.
Bonfiglio Nicola	» 82, 469.
Bonfiglio Pietro	» 77, 78, 79, 80, 83, 84, 469.
Bonifigli (de) Roberto, Tesoriere regio	» 522.
Bonsignore (de) Pietro	» 96.
Bonzuli Gerardo	» 205, 206, 207.
Bonzuli Goffreda	» 205.
Bonzuli Onofrio	» 205, 206, 207, 209.
Bonzuli Tommaso	» 206.
Botta Arnardo	» 436.
Boyra Attardo	» 156, 390,
Boyra Giovanni	» 390.
Boyra Guglielmo	» 152, 156, 157, 389, 390.
Boyra Niccolò	» 390.
Boyra Rinaldo	» 390.
Branciforti (de) Beatrice	» 287.
Branciforti (de) Belladonna	» 25.
Branciforti Eumilia, Contessa di Maz- zarino	» 201.
Branciforti Federico	» 100.
Branciforti Giovanni, Conte di Mazza- rino	» 45, 47, 48, 50, 51, 100, 102, 103, 201, 229, 504.
Branciforti Melchiorre Nicola, Conte di Mazzarino	» 41, 45, 47, 49, 57, 58, 61, 62, 99, 100, 102, 184, 204, 229, 357, 476, 479.
Branciforti Raffaele	» 99, 100, 101.
Branciforti Stefano	» 99, 100, 101, 229, 326.
Branciforti Tommaso	» 42.
Brugueroles Bernardo	» 223.
Brugueroles Bernardone	» 226.
Bruno (de) Giovanni	» 311.

Bruxiotta (de) Enrico	Pag. 367, 368.
Buccetta (de) Giovanni	» 284, 285.
Bucherio (de) notar Bartolomeo	» 217, 419.
Bunzuli Matteo	» 140.
Bunzuli Onofrio	» 140.

C

Çabastida Giovanni	Pag. 548.
Cabrera Bernardo	» 243.
Cadell Barrasi	» 430.
Cacciaguerra Antonio	» 306, 307, 308.
Cacciaguerra Aurelia	» 307, 308.
Cacciaguerra Francesco	» 307, 308.
Cacciaguerra Guido	» 307, 308.
Calascibello Girolamo	» 51.
Calascibetta Andrea	» 419.
Calascibetta (de) Francesco	» 419, 420.
Calascibetta (de) Giovanni Andrea	» 419.
Calascibetta (de) Matteo	» 305, 306.
Calatabuio Pietro Sanzio	» 536.
Calataiud (de) Pietro Sanches, Presi- dente del Regno	» 345, 546.
Caldarera Adamuzzo	» 175, 176, 178.
Caldarera Andrea	» 178.
Caldarera Antonio	» 178, 179, 180.
Caldarera Bernardo	» 175, 178.
Caldarera Giovanni	» 178.
Caldarera Giovanni Pietro	» 180.
Caldarera Gian Tommaso	» 178.
Caldarera Ruggiero	» 175, 176, 178.
Caldole Giacomo	» 513.
Calendin (de) Enrico	» 36.
Calli (de) Giuliano	» 220.
Callaro (de) Ugolino	» 77.
Caltagirone (de) Giovanni	» 212, 213, 216, 217.
Caltagirone (de) Gualtiero	» 430.
Calvellis (de) Giovanni	» 290.
Camata Federico, Protonotaro	» 65.
Campisciano Antonio	» 461.
Campisciano Bartolomea	» 461.
Campisciano Gaspare	» 462.

Campisciano Giovanni	Pag. 461.
Campisciano Matteo	» 462.
Campisciano (de) Pino	» 461.
Campolo Ansaldo	» 109, 525.
Campolo Costanza	» 123.
Campolo Giacomo, Maestro Secreto del Regno	» 123, 124, 292, 293, 294, 295, 298, 335, 336, 337, 338, 362.
Campolo Giovannella	» 525.
Campolo Giovanni Francesco	» 124.
Campolo Girolamo	» 124.
Campolo Pino	» 338.
Campolo Tommaso	» 337.
Campsore (de) Beatrice	» 544.
Campsore (de) Francesca	» 544.
Campsore (de) Giovannella	» 544.
Campsore (de) Perrono	» 544.
Cannariato (de) Pietro	» 304.
Cannarizzato (de) Luca	» 518, 519.
Cannizzaro (de) Antonio	» 345.
Capello (de) Rinaldo	» 405.
Capichio Pandolfino	» 107.
Capichio Tommaso	» 107.
Capichio Violante	» 107.
Capizana Lucia	» 471, 472.
Capizana Prandino	» 471.
Capobianco Agnete	» 406.
Capobianco Antonio	» 441.
Capobianco Bernardo Tommaso	» 141.
Capobianco Paolo	» 128, 129, 144, 358, 434.
Capobianco Perrello	» 406.
Capobianco Pietro	» 140, 141.
Cappello Antonello	» 160.
Cappello Antonia	» 148.
Cappello Bartolomeo	» 159, 160.
Cappello Francia	» 149, 150.
Cappello Giovannello	» 472.
Cappello Giovanni	» 160, 472.
Cappello Nicolò	» 149.
Cappello Rinaldo	» 148, 149, 405.
Cappello Salvatore	» 472.
Cappello Sigismondo	» 160.
Capraria (de) Bernardo	» 483, 484.
Caprona (de) Bernardino	» 480.

Caramanno Antonio	Pag. 347, 348.
Caramanno Giovanna	» 347, 348.
Cardines (de) Caterina	» 242.
Cardines (de) Catarinella	» 242.
Cardines (de) Giovanni	» 242.
Cardona (de) Alfonso	» 50.
Cardona (de) Antonio, Vicere	» 89, 248, 307, 313, 326, 332, 424, 425, 435, 461, 465, 493.
Cardona (de) Artale	» 75, 76.
Cardona (de) Federico	» 211, 346, 470.
Cardona (de) Francesca	» 217, 459.
Cardona (de) Giaimo	» 217, 459.
Cardona (de) Maria	» 17, 76.
Cardona (de) Margherita	» 459.
Cardona (de) Pietro, Conte di Gulisana	» 69, 75, 76.
Cardona (de) Raimondo, Vicere	» 177, 314, 331, 352, 357, 406, 419, 440, 472.
Carissimo (de) Giacomo	» 250.
Carobeni Antonio	» 457, 458, 432.
Carosio (de) Antonello	» 426, 427.
Carosio (de) Not. Fortugno	» 370.
Carosio (de) Isabella	» 426.
Carosio (de) Nicolò, Barone di Spac- caforno	» 426.
Carosio (de) Vincenzo	» 426.
Cartella Guglielmo	» 276.
Caruso (de) Antonello	» 195, 197, 199.
Caruso (de) Antonio	» 194, 195, 196, 197, 198, 200.
Caruso (de) Fortugno	» 298.
Caruso (de) Vincenzo	» 195, 197.
Cassaro (de) Pietro	» 64, 65, 67, 68.
Castagna Nicolò, Règio Tesoriere	» 388.
Castella (de) Corrado	» 353.
Castella (de) Giacomo	» 303.
Castellar (de) Andrea	» 136.
Castellar (de) Bianca	» 478.
Castellar Ingastono	» 478, 479.
Castellis (de) Andrea	» 210, 295, 535.
Castellis (de) Corrado	» 112.
Castellis (de) Niccolò	» 526.
Castello (de) Giovanni	» 110, 111.
Castello (de) Guglielmo Raimondo	» 338.
Castiglione (de) Bartolomeo	» 428.
Castrogiovanni (de) Filippo	» 339, 340.

Catala Andrea, Luogotenente del Teso- riero Generale	Pag. 506.
Catalano Not. Gregorio	» 419.
Catania (de) Virgilio	» 94.
Caximo (de) Giacomo, R. Segretario	» 515, 516.
Centelles Antonio	» 74.
Centelles Gilberto	» 74.
Centelles Giuliano, Presidente del Regno	» 40, 177, 288, 451.
Chiaromonte	» 23, 483.
Chiaromonte (de) Enrico	» 481.
Chiaromonte Federico	» 25, 482, 517, 518.
Chiaromonte (de) Giovanni	» 481.
Chiaromonte (de) Manfredo	» 481, 520.
Chiaromonte Pietro, Algozaro Regio	» 79.
Chiaromonte (de) Simone	» 482.
Chilano (de) Andrea	» 527.
Chilona (de) Giovanni	» 220, 221.
Chilona (de) Isabella	» 220, 222.
Chilona Lancia	» 220.
Cirino Antonello	» 202, 204.
Cirino Bergo	» 202, 203, 204.
Cirino Ludovico	» 202.
Cirino Margarita	» 202.
Cocta (de) Pina	» 222.
Cocta (de) Salvatore	» 222.
Cofftella (de) Giovanni	» 55.
Colle (de) Giacomo	» 524.
Collo (de) Notar Girolamo	» 444.
Collotorto Alfonso	» 310, 311.
Collotorto Amico	» 309.
Collotorto Bonamico	» 309, 313.
Collotorto Fiordilisia	» 314.
Collotorto (de) Giovanni	» 313, 447.
Collotorto Matteo	» 309, 310.
Collotorto Niccolò	» 310.
Collotorto (de) Riccardo	» 309, 312, 313, 314.
Colomba (de) Alferio	» 129.
Colomba Antonio	» 183.
Colomba (de) Not. Bernardo	» 385.
Colomba Giovanni	» 182.
Colomba Giovanni Bernardo	» 183.
Colomba Giuliano	» 181, 182, 183.
Colonna (de) Giovanni	» 509.
Contarino Cesarea	» 237, 238.

Contarino Luigi	Pag. 235, 237, 238.
Corrado, Vescovo, Cancelliere Regio	» 36.
Corrella (de) Simone, Pincerno e Cop- piere.	» 86.
Cosentino (de) Paolo	» 215.
Cosenza (de) Costanza	» 312.
Cosenza (de) Federico	» 312.
Costantino (de) Agostino	» 90, 111.
Costantino Tommaso	» 43.
Cotta Antonio	» 41.
Crisafi Niccolò	» 315.
Criscimano Bartolomeo	» 454.
Criscimano (de) Pasquale	» 463, 464, 465.
Crispo (de) Andrea	» 210.
Crispo (de) Federico	» 210.
Crispo (de) Giovanni	» 210.
Crispo (de) Pina	» 210.
Crispo (de) Tommaso	» 502.
Cristiani Giovanni	» 508.
Crudillis (de) Giovanni	» 143.
Cruilles (de) Berengario	» 294.
Cruylles (de) Beatrice	» 423.
Cruylles (de) Giovanni, Barone di Francofonte	» 295, 423.
Cumilo Filippo	» 31.
Curilles (de) Dianella	» 351.
Curritore (de) Rinaldo	» 410.
Cuniglo Filippo	» 180.
Cutumino (de) Agnesia	» 302, 303.
Cutumino (de) Avinante	» 302, 303.
Cutumino (de) Riccardo	» 302, 303.
Cuvello (de) Not. Antonio	» 517.

D

Dacuña, vedi Acuña	
Dalbirginio Guglielmo	Pag. 171.
Damiata (de) Giovanni	» 439, 466.
Daniele (de) Guglielmo	» 111.
Daniele (de) Perruchio	» 110, 111.
Daniele (de) Pietro Giovanni Vincenzo	» 111, 166.

Dartagne Giovanni	Pag. 373, 374.
Dato (de) Niccolò	» 329, 479.
Deaiuto Niccolò	» 496.
Debusuldino Pietro	» 505.
Decho Domenico	» 506.
Dedonato Not. Ruggero	» 516.
Degulfis Antonello	» 459.
Degulfis Bartolomeo	» 458.
Degulfis Eleonora	» 459.
Degulfis Giovanni	» 458, 459.
Degulfis Girolamo	» 459.
Degulfis Marco	» 458.
Deliori Martino Lopez	» 412.
Denti Giacomo	» 412.
Deodato Giovanni	» 516.
Deodato Tommaso	» 516.
Derbicella Pietro	» 258, 259.
Descarrozza Nicolò	» 485.
Desin Antonio, Tesoriere di Sicilia	» 506, 510.
Detimera Antonio	» 499.
Detimera Tuccio	» 281, 282.
Diana (de) Luberto	» 361.
Durgull Pietro	» 362, 363.
Durrea Don Lopez Ximeno, Vicerè, Presidente del Regno	» 130, 210, 217, 230, 236, 250, 252, 259, 260, 262, 276, 295, 296, 299, 303, 309, 313, 318, 326, 330, 331, 332, 343, 344, 350, 360, 363, 390, 410, 417, 421, 426, 435, 437, 438, 441, 443, 446, 447, 451, 453, 458, 460, 462, 463, 466, 467, 469, 470, 505, 510, 513, 535.

E

Enrico (de) Francesco	Pag. 281.
Exea (de) Prandino	» 185.

F

Facio (de) Matteo	Pag. 80, 83, 88, 90, 221.
Facio (de) Muchio	» 220, 221.
Facio (de) Pina	» 222.
Falarscarra Giovanni	« 521.
Falconi (de) Falcone	» 80, 502.
Falconi (de) Giovanna	» 332.
Falconi (de) Giovannello	» 433.
Falconi (de) Giovanni	» 495.
Falconi (de) Rainiero	» 432.
Falconi Simone	» 312, 313.
Falixio Luca	» 149.
Fallera Not. Andrea	» 478.
Fatalia Notar Bartolomeo	» 242.
Fame (de) Drico, Dapifero	» 36.
Fazino (de) Filippo	» 407.
Fenolletto Pietro	» 81.
Ferula (de) Lando	» 320.
Fessima (de) Agata	» 167, 168.
Fessima (de) Antonino	» 171.
Fessima (de) Corrado	» 167, 170.
Fessima (de) Enrico	» 167, 168, 169, 170.
Fessima (de) Giovanni	» 169.
Fessima (de) Guglielmo	» 169.
Fessima (de) Pietro	» 166, 170.
Fessima (de) Riccardo	» 167, 170.
Filingeri (de) Giovanni	» 501.
Filingeri (de) Grazia	» 203, 204.
Filingeri (de) Isolda	» 203.
Filingeri (de) Margherita	» 203.
Finochu Filippo	» 283.
Fiso (de) Bartolomeo	» 280, 281.
Flocta (de) Antonio	» 405.
Florellis (de) Niccolò	» 233.
Focco (de) Antonio	» 412.
Fonalleda Antonio	» 512.
Fontana (de) Pietro	» 432.
Fontanarussa (de) Pietro	» 285.
Fonte (de) Antonio	» 391.

Fonte (de) Perrello	Pag. 391, 392.
Fonte Coperto (de) Antonio	» 200.
Fonte Coperto (de) Mannella	» 200.
Formica Bartolomeo	» 291, 292.
Francavilla (de) Notar Niccolò	» 214, 250.

G

Gaetano (de) Belladamma	Pag. 41.
Gaetano (de) Elisabetta	» 40, 41.
Gafforo (de) Pietro	» 416.
Galgana (de) Antonio, Dottore in legge	» 404.
Galgana (de) Francesco	» 404.
Ganci (de) Ruggiero, Giudice	» 364.
Ganna (de) Corrado	» 173, 174.
Gargana Antonio	» 242.
Gargana Francesco	» 242.
Gaytano (de) Didaco	» 447.
Geremia (de) Ruggiero	» 133.
Gesualdo (de) Giovanni	» 527.
Giandarrico (de) Antonio	» 413, 414.
Giandarrico (de) Margherita	» 413, 414.
Giangrasso (de) Raimondo	» 417.
Giccia (de) Bernardo	» 164, 165, 166.
Giovanni (de) Notar Antonio	» 500.
Giovanni (de) Notar Giacomo	» 545.
Girigia (de) Pachite	» 105, 107.
Giuliana (de) Bernardino	» 340.
Giuliana (de) Notar Guglielmo	» 339, 385.
Giuliana (de) Ludovico	» 339.
Giuliana (de) Luigi	» 258.
Giuliana (de) Simone	» 258.
Giunta (de) Andrea	» 177.
Giunta (de) Antonino	» 177.
Giunta (de) Giacomo	» 176, 415.
Giunta (de) Giovanni	» 176.
Giunta (de) Giovanni Andrea	» 177.
Giurato (de) Antonio	» 473, 474.
Giurato (de) Giacomello Antonio	» 473, 474.
Giurato (de) Giovannella	» 473.
Gnasco (de) Bartolomeo	» 323.
Grasso (de) Antonia	» 405, 406.

Grasso (de) Enrico	Pag. 405, 406.
Grasso (de) Paolo	» 254.
Gravina (de) Agatuzza	» 418, 419.
Gravina (de) Antonio	» 319, 418.
Gravina (de) Ant. Giacomo	» 299, 300.
Gravina (de) Beatrice	» 423.
Gravina (de) Bernardo	» 533.
Gravina (de) Carlo	» 299, 300.
Gravina (de) Giacomo	» 298, 299, 300.
Gravina (de) Giovanni	» 489.
Gravina (de) Girolamo, Barone di Pa- lagonia	» 423, 488, 489.
Gravina (de) Vassallo	» 300, 318, 319, 417, 418, 419.
Grecuzzo (de) Notar Giovanni	» 378, 394.
Gregoriis (de) Pietro	» 102.
Grimaldo (de) Antonio	» 240.
Grimaldo (de) Bartolomeo	» 369.
Grimaldo (de) Bernardo	» 424.
Grimaldo (de) Enrico	» 144, 145, 201, 239, 240, 338, 339, 504.
Grimaldo (de) Francesco	» 240.
Grimaldo Giacomo	» 240.
Grimaldo (de) Pietro	» 144, 201, 504.
Grimaldo (de) Pino	» 240, 241.
Gualdelaraja (de) Giovanni	» 314.
Gualdo Federico	» 244.
Gualdo Giacoma	» 243.
Gualdo Signorella	» 245.
Gualdo Soldanello	» 244.
Gualdo Soldano	» 244.
Guanciis (de) Guglielmo.	» 216.
Guarna Filippo	» 78, 84.
Guarna Giovanni	» 77, 78, 84.
Guarna Niccolò	» 78.
Guarna Riccardo	» 77, 79, 84.
Guchulu Notar Guglielmo	» 504.
Guelfis (de) Lorenzo	» 238.
Guerci (de) Andrea	» 392.
Guerci (de) Antonio	» 392.
Guerci (de) Giovanna	» 392.
Guimerano (de) Gerardo	» 536.
Guirrerio (de) Battista	» 493.

H

Harenis (de) Niccolò	Pag. 378.
Herbicella (de) Grigisio	» 53.
Herbicella (de) Simone	» 53.
Honesa (de) Notar Matteo	» 345.
Hosa (de) Enrico	» 216.

I

Iaen (de) Antonino, Dottore in legge	Pag. 366, 368.
Iaen (de) Violante	» 366.
Imposa Guglielmo	» 143.
Imperatore (de) Notar Federico	» 385.
Imperiale Alberto, Protonotaro	» 36.
Implanella Ruggiero	» 86.
Impuiada (de) Pietro	» 219.
Incarnerio (de) Berengario	» 369.
Incarnerio (de) Bernardo, Clavaio del mare del Regno.	» 369.
Incarnerio (de) Filippo	» 369.
Incarnerio (de) Tommaso	» 369.
Incisa (de) Federico, Cancelliere	» 398, 400.
Incuri Albano	» 164.
Intorella Agata	» 110, 120, 122, 125, 126, 127.
Intorella Andrea	» 121, 125, 126.
Intorella Guglielmo	» 118, 119.
Intorella Mannella	» 119, 120, 121, 122, 125, 126, 127.
Intorella Pietro	» 119.
Isfar (de) Agata	» 547.
Isfar (de) Antonio	» 546.
Isfar (de) Federico	» 545, 546.
Isfar (de) Gilberto	» 545, 546, 547.
Isfar (de) Giovanni	» 546, 547.
Isfar (de) Vincenzo	» 546, 547.
Isola (de) Forcio	» 179, 180.
Issar Giliberto	» 331.
Iuenio (de) Bartolomeo	» 138, 139, 186, 187, 189, 191, 271, 273, 274, 275, 276, 277, 514, 542.

Iuenio (de) Perricono	Pag. 186.
Iuenio (de) Perrono, Protonotaro	» 138, 185, 186, 188, 189, 191, 268, 269, 271, 272, 273, 275, 274, 277.
Iuenio (de) Ferruchio	» 139, 187, 190, 276, 277.

L

Labruto Giovanni	Pag. 449.
Labruto Giovanni Andrea	» 450.
La Cappera Antonio	» 260, 261.
La Licata Notar Niccolò	» 297.
Lamia (de) Giacomo	» 181.
Lamia (de) Nicolò	» 181, 499.
Lamia (de) Riccardello	» 286.
Lamia (de) Ruggiero	» 138, 286, 287.
La Monaca Bartolomeo	» 260.
La Monaca Berto	» 258, 260.
La Monaca (de) Giovanni Niccolò	» 257.
La Monaca (de) Not. Lorenzo	» 254, 257, 258.
La Monaca Penteo	» 257, 259, 260.
La Monaca Robarto	» 258.
Lancia (de) Barbera	» 437.
Lancia (de) Blasco	» 436, 437.
Lancia (de) Corrado	» 341.
Lancia (de) Margherita	» 341.
Lancia (de) Perrello	» 341, 342.
Lancia (de) Ugone	» 436.
Landolina Antonio	» 330.
Landolina (de) Attardo	» 217, 323, 342, 343, 348, 459.
Landolina Bartolomeo	» 217, 342, 343, 350, 460.
Landolina Beatrice	» 330, 332, 451.
Landolina Bernardo	» 330, 332.
Landolina Eleonora	» 451.
Landolina Elisabetta	» 460.
Landolina Francesco	» 343, 344, 349.
Landolina Giovannella	» 217, 330.
Landolina Giovannello	» 457, 458.
Landolina Giovanni	» 132, 217, 329, 332, 343, 344, 345, 348, 349, 350, 351, 450, 451, 456, 457, 459.
Landolina Giovanni Andrea	» 419.
Landolina Giovanni Antonio	» 330, 332.

- Landolina (de) Giovanni fu Bartolomeo** » 389.
Landolina Giovan Vassallo » 451.
Landolina (de) Guglielmo » 131, 162, 412.
Landolina (de) Mainitto » 130, 131, 132.
Landolina Margherita » 217.
Landolina (de) Muchio » 325, 344, 345, 350, 351, 352, 450.
Landolina Niccolò » 342, 343, 346, 347, 348, 349.
Landolina Paolo » 334, 344.
Landolina Perna » 348.
Landolina (de) Rinaldo » 130, 131, 162, 184, 185, 358, 456, 457,
 458, 523.
Landolina (de) Ruggiero » 345, 350, 351.
Landolina Simone » 457.
Landolina Vassallo » 328, 329, 330, 331, 332, 450.
Landolina e Barbadoro Clarucia » 218.
Landonò (de) Sanzio di Sanzio » 196, 197, 198.
Lanuça (de) Giovanni, Presidente del
Regno, Vicerè » 180, 217, 240, 252, 266, 288, 297, 321,
 327, 332, 344, 345, 361, 413, 416,
 418, 419, 422, 423, 424, 426, 432,
 438, 441, 444, 458, 459, 462, 466,
 467, 473, 476, 480, 484, 485, 486,
 487, 488, 489, 490, 497, 503, 530.
Lanza Perio » 146, 147.
Lanza Perruchio » 141.
La Padula (de) Antonia » 317.
La Padula (de) Attardo » 317.
La Padula (de) Gugliotta » 717.
Larcan (de) Gerotta » 226.
La Rocca Giacomo » 319.
La Rocca (de) Lucca » 293.
La Rocca Santoro » 496.
La Serra (de) Manchino » 532.
La Serra (de) Pino » 532.
La Via Andrea » 209.
Lentini (de) Alaimo » 330.
Lerida (de) Simone » 112.
Leta (de) Notar Giacomo » 385.
Leto (de) Eleonora » 173, 446.
Leto (de) Federico » 76.
Leto (de) Filippo » 173, 446.
Leto (de) Francesco » 446, 447.
Leto (de) Garita » 447.
Leto (de) Leto » 173, 446.

Letto (de) Giovanni	Pag. 312.
Licodia Marchione	» 485.
Liria (de) Giovanni	» 193, 194, 199.
Lisiart Guglielmo, armigero	» 362.
Lobera (de) Giovanni	» 375, 376.
Lo Campo Pietro	» 40.
Lombardo Andrea	» 72.
Longo (de) Nina	» 113.
Longo (de) Suprano	» 113.
Lo Perno Bernardino	» 323.
Lo Presti Pietro	» 517.
Lo Ruccu Girolamo	» 82.
Loysio (vedi Aloysio)	
Luchetta (de) Adelia	» 244.
Luchetta Enrico di Ruggiero	» 244.
Ludovico, Conte di Borgogna	» 36.
Ludovico, Duca di Baviera	» 36.
Lulianti Eleonora	» 431.
Lulianti Nicolò	» 431.
Luna (de) Giovanni, Presidente del Regno	» 38, 41, 48, 50, 51, 54, 67, 68, 76, 90, 91, 105, 111, 127, 131, 132, 137, 143, 147, 166, 172, 183, 185, 191, 197, 199, 201, 205, 209, 215, 218, 222, 233, 234, 238, 241, 242, 253, 261, 266, 267, 289, 297, 300, 306, 308, 409, 311, 315, 219, 327, 330, 333, 344, 345, 349, 351, 352, 357, 361, 368, 369, 388, 390, 416, 418, 420, 435, 440, 441, 447, 449, 451, 454, 455, 456, 459, 460, 462, 466, 472, 474, 475, 477, 478, 492, 493, 504, 545, 547.
Lu Presti Pietro	» 122, 123.

MI

Maguntino Corrado, Preposito d'onore	Pag. 36.
Manlio (de) Tranchida	» 412.
Malta (de) Paolino	» 343.
Maltese Niccolò	» 314.
Maltese Pietro Vincenzo	» 314, 315.

Manchino Bartolomea	Pag. 461.
Manchino Giovanni	» 532.
Manchino Marco	» 461.
Manescalco (de) Guglielmo	» 486.
Manganello Raimondo	» 384.
Mandola (de) Notar Francesco	» 434.
Mantova (de) Luigi	» 391, 392.
Marchesano (de) Gualtiera	» 518.
Marchisana (de) Blando	» 284, 285.
Marchisana (de) Macalda	» 284.
Marchisio (de) Antonella	» 249.
Marchisio (de) Antonio	» 393, 394, 395.
Marchisio (de) Giacomo	» 393.
Marchisio (de) Giovanni	» 97, 98, 393.
Marchisio (de) Giov. Sallimbeni	» 394, 395.
Marchisio (de) Sallimbeni	» 88, 89, 90, 93, 94, 98, 99, 130, 249, 250, 393, 394, 395.
Marchisio (de) Tommaso	» 393.
Marciano (de) Antonio	» 289.
Marciano (de) Notar Giov. Ant.	» 352, 361, 454, 492.
Marco (frate)	» 261.
Maresino (de) Pietro	» 333, 334.
Marinis (de) Eleonora	» 267.
Marino (de) Cosmano	» 246.
Marino (de) Filippo	» 192, 525.
Marino (de) Manfredò	» 245.
Marino (de) Signorella	» 246.
Marrasi Barsalona	» 408.
Marrasi Bartolomea	» 407, 408.
Marrasi Nicoletta	» 407, 408.
Marrasi Nicolò	» 407, 408.
Marsiglia (de) Pietro	» 193.
Massaro (de) Niccolò	» 78.
Massaro (de) Tommaso	» 78.
Matraccia (de) Andrea	» 385.
Matraccia (de) Dante	» 452.
Matraccia (de) Giacomo	» 173, 451, 452.
Matraccia (de) Giovanni	» 173.
Matraccia (de) Pietro	» 173.
Matrona (de) Pietro	» 452, 453, 549, 550.
Matteo (de) Niccolò	» 320.
Maynardo (de) Giovanni	» 460.
Mazzarino (de) Conte Melchiorre Nic- colò	» 41, 45, 47, 49, 57, 58, 61, 62, 99, 100, 102, 184, 204.

Medico (de) Giovanni, Luogotenente e Maestro Notaro nell' Ufficio del Protonotaro	Pag. 506.
Melio (de) Notar Dionisio	» 389.
Meone Bartolomeo	» 30.
Migliano (de) Filippo	» 214.
Milite (de) Riccardo	» 290.
Mina (de) Notar Giovanni	» 391.
Minardo (de) Giacomo	» 230.
Minardo (de) Giovanni	» 230.
Minardo (de) Luigia	» 253.
Minardo (de) Paoluzzo	» 253.
Modica (de) Agatuzza	» 318, 319, 417, 419.
Modica e Villardita (de) Antonello	» 448.
Modica (de) Antonio	» 264.
Modica (de) Battista	» 448.
Modica (de) Cecilia*	» 140.
Modica Cesarea	» 235, 236, 237.
Modica Francesco	» 107, 108.
Modica o Villardita (de) Gian Pietro	» 448, 449.
Modica Giorlando	» 30, 488.
Modica (de) Giovanni	» 263, 264.
Modica (de) Manfredo	» 262, 263, 447, 448.
Modica (de) Margarita	» 341.
Modica Perrello	» 243, 318, 340, 341, 417, 419.
Modica Pietro	» 85, 86, 140, 230, 235, 236, 237, 318, 417.
Modica (de) Rainiero	» 230, 232, 417.
Modica (de) Rosana	» 341.
Modica (de) Safira	» 235.
Moncada (Vedi Montecateno)	
Moleti (de) Margherita	» 66.
Moleti (de) Matteo	» 66.
Moleti (de) Paolo	» 65, 68.
Moncayo (de) Giovanni	» 506.
Monferrato Marchese Bonifazio	» 28, 35.
Montaguto (de) notar Giovanni	» 476.
Montalbo (Duca di)	» 42.
Montalto (de) Burgenso	» 324.
Montalto (de) Filippo	» 324.
Montalto (de) Giovanni	» 538.
Montalto (de) Giovan Battista	» 484.
Montalto (de) Turgisio	» 537.
Montana (de) Blasco	» 122, 123.
Montanynas (de) Guglielmo, Vicerè	» 394.

Montaperto (de) Antonello	Pag. 363.
Montaperto Antonia	» 58, 59, 60, 61, 64.
Montaperto (de) Bartololomeo	» 61.
Montaperto Notar Cristoforo	» 362.
Montaperto (de) Luigi	» 55, 57, 58, 60, 61, 63, 64.
Montaperto Giovanna	» 363.
Montaperto Pietro	» 60.
Montaperto Tommaso	» 363.
Montecateno Antonio, Conte d'Adernò	» 139, 144, 250, 288, 444.
Montecateno (de) Dianella	» 351.
Montecateno (de) Eleonora	» 492.
Montecateno (de) Ferdinando	» 331, 492.
Montecateno Giovanni	» 122, 288.
Montecateno Gian Tommaso, Conte di Adernò	» 123.
Montecateno (de) Guglielmo Raimondo Conte di Augusta	» 23, 53, 87, 88, 90, 122, 123, 129, 145, 220, 241, 242, 264, 332, 354, 357, 358, 371, 375, 412, 444, 500.
Montecateno (de) Matteo, Conte d'Augusta, Consigliere regio	» 220, 221, 358, 403.
Montecateno (de) Ottone	» 339.
Montecateno (de) Ugone, Vicerè	» 208, 215, 218, 285, 289, 297, 319, 357, 361, 368, 411, 414, 418, 448, 449, 454, 477, 504, 531, 545.
Monteclup (de) Guagliardetto	» 151.
Monteclup (de) Guascone	» 151.
Monteleone (Conte di) Luogotenente generale	» 210, 232, 423, 552.
Montilione Corrado	» 442.
Montilione (o Monteliano) Filippo	» 442, 443, 444.
Montilione Desiata'	» 442, 443.
Montemagno (de) Damma	» 376, 377.
Montemagno (de) Matteo	» 376, 377.
Montemagno (de) Pietro	» 376, 377, 412.
Montesereno (de) Raimondo	» 200.
Morana (de) Margherita	» 318.
Morana (de) Milicia	» 318.
Morana (de) Rainiero	» 317, 318.
Morisco Almisende	» 237, 238.
Morisco Antonio	» 237.
Morisco Filippo	» 237.
Morisco Francesco	» 238.
Morisco Pietro	» 237.

Morisco Simone	Pag. 236, 237.
Mulocca (de) Gualtiero	» 461.
Mustiola (de) Domenico	» 396, 400, 401, 402, 403.
Mustiola (de) Francesco	» 396, 401, 403.
Mustiola (de) Franceschino	» 396, 398, 399, 400, 401.
Mustiola (de) Giovannella	» 402, 403.
Mustiola Mannella	» 402, 403.
Mustiola Tommasa	» 402, 403.
Mustiola (de) Uberto	» 395, 396, 397, 398, 399, 400, 401, 402.

N

Nacca (de) Alvaro	Pag. 17.
Nacca (de) Francesco	» 17.
Nacca (de) Gonsalvo	» 17.
Naro (de) Filippo	» 141, 142.
Naro (de) Giovannello	» 267.
Naro (de) Rinaldo	» 267.
Nasello (de) Perricono	» 453, 534.
Nasello (de) Riccardo	» 454, 455.
Nava (de) Gaspare	» 279.
Nava (de) Giovanni	» 279, 329.
Nava (de) Golsalvo	» 279, 316, 503, 508, 507, 508, 510, 511, 511, 513.
Nava (de) Guterra	» 503, 506, 508, 539.
Nava (de) Ingutterra	» 278, 316.
Navarra (de) Andrea	» 296, 534, 535.
Nicatò, Notaio	» 280, 281, 282.
Nigrino Matteo, Curatore della Curia	» 65.
Notar Rainiero (de) Giovanni	» 374, 376.
Notar Rainiero (de) Pietro	» 374.
Noto (de) Notar Lorenzo	» 226, 273, 334, 340, 376, 383, 408, 432, 440.
Novello (de) Guglielmo	» 530.

O

Oberto (de) Giovanni	Pag. 41.
Ocra (de) Gualtiero, Cancelliere regio	» 38.

Urefice Notar Angelo Pag. 238.
 Urefice (de) Pollidoro » 33.

P

Pachis (de) Niccolò Pag. 94.
 Pages Giovanni, Vice Cancelliere » 306.
 Palamaro (de) Beltrando » 338.
 Palamaro Bernardo » 239.
 Palamaro Niccolò » 239.
 Palermo (de) Nojar Andrea » 494.
 Palermo (de) Notar Matteo » 413.
 Palizzi (de) Luigia » 249.
 Palizzi (de) Margherita » 180, 181, 182.
 Palizzi (de) Matteo » 87, 88, 90.
 Palizzi (de) Vinciguerra » 37.
 Pandolfo (de) Margherita » 339.
 Pantaleone Giovanna » 330.
 Pantaleone Pietro » 330.
 Pantosa (de) Eleonora » 446.
 Pantosa e de Leto Filippo » 445, 446, 447.
 Pantosa (de) Gualtiero » 445.
 Pantosa o Palermo (de) Notar Gu-
 glielmo » 445, 446.
 Paolillo Giovanni » 133, 136.
 Paolillo Maria » 134.
 Paolillo Niccolò » 134.
 Paolo (di) Giacomo, Avvocato Fiscale » 306.
 Papayioni Michele » 339.
 Pardo (de) Alaimo » 283.
 Pardo (de) Chiara » 234.
 Pardo (de) Leonardo » 284.
 Pardo (de) Luigia » 283, 284.
 Pardo (de) Simone » 284.
 Parisio (de) Agata » 412.
 Parisio (de) Notar Dionisio » 385.
 Parisio (de) Federico » 411, 412.
 Parisio (de) Francesco » 111, 208, 242, 462.
 Parisio (de) Gualtiero » 36.
 Parisio (de) Luisa » 412.
 Parisio (de) Perotta » 369.
 Parisio (de) Pietro » 324.

Parisio (de) Riccarda	Pag. 411, 412.
Paruta (de) Ruggiero	» 327.
Passaneto (de) Guglielmo	» 290.
Passaneto (de) Riccardo	« 488, 497.
Passaneto (de) Ruggero	» 41, 42, 294, 295, 333, 497.
Passaneto (de) Stefano	» 229.
Paternò (de) Angelo Francesco	» 208, 209, 210.
Paternò (de) Antonio	» 379.
Paternò (de) Blandinello	» 172, 215.
Paternò (de) Elisabetta	» 214.
Paternò Francesco	» 214, 215, 378, 379.
Paternò (de) Giovanni	» 209.
Paternò (de) Giovanni, Presidente del Regno, Arciv. di Palermo	» 99, 128, 130, 285, 358, 359, 373, 394, 497.
Paternò (de) Giovan Battista	» 172, 215.
Paternò (de) Gualtiero	» 213, 214.
Paternò (de) Pietro	» 209, 379.
Paternò (de) Terio	» 214, 379.
Patti (de) Niccolò	» 249.
Payami Berengario	» 338.
Peralta (de) Guglielmo, R. Tesoriere	» 508, 509.
Peralta (de) Pietro, Cancelliere Came- rario maggiore del Regno di Si- cilia ed Ammiraglio di Aragona	» 402.
Perapertusa (de) Bernardo Berengario	» 39, 436.
Perapertusa (de) Francesco	» 40.
Perapertusa (de) Giovanni	» 40.
Perapertusa (de) Guglielmo	» 39, 40.
Perbullit (de) Ferruchio	» 524.
Perlaxo (de) Antonio	» 301.
Perno (de) Benedetto	» 207.
Perno (de) Bernardino	» 323.
Perno (de) Francesco	» 208, 209.
Perno (de) Giovanni Benedetto	» 208
Perno (de) Guglielmo	» 207.
Perno (de) Ludovico	» 208.
Perno (de) Novella	» 207.
Perno (de) Ruggiero	» 207.
Perno (de) Valore	» 323.
Perricone (de) Bernardino	» 93, 257, 460.
Perrona (de) Antonio	» 305.
Perrono (de) Franceschella	» 305, 306.
Perrono (de) Franchino	» 304, 305.
Perrono (de) Girolamo	» 305.

Perrono (de) Matteo	Pag. 303, 304, 305.
Pesci (de) Tommaso	» 349, 350.
Petroso (de) Antonio	» 174.
Petroso (de) Bartolomea	» 311.
Petroso (de) Bartolomeo	» 175.
Petroso (de) Costanza	» 311, 312.
Petroso (de) Giovanni	» 311.
Petroso (de) Manfredo	» 172, 174.
Petroso (de) Tebaldo	» 172, 174.
Petroso (de) Tommaso	» 173, 174.
Petroso (de) Venezia	» 311, 312.
Picerna Enrico	» 36.
Piedeampio Matteo	» 80, 502.
Pietro, Cancelliere regio	» 542.
Pignatelli Ettore, Conte di Monteleone,	
Luogotenente generale e Vicerè	» 238, 357, 432, 433, 489.
Pipi Bartolomeo	» 162.
Pipi Giorgio	» 162, 163.
Pipi Guglielmo	» 477.
Pipi Mazzullo	» 162, 163, 477.
Pipi Pietro	» 163, 477, 478.
Pipi Rinaldo	» 478.
Pisano (de) Giovanni	» 252.
Pisano (de) Leonora	» 252, 253.
Petrella Parisio	» 494.
Piza Lagunna Antonio	» 502.
Planella o Planellis (de) Pietro, Regio	
Marescalco	» 302, 520.
Planella (de) Raimondo	» 539.
Platamone (de) Antonello	» 250.
Platamone (de) Antonio, Dottore in legge	» 91, 92, 102, 105, 106, 353, 406.
Platamone (de) Battista	» 141, 142, 406, 407.
Platamone (de) Eleonora	» 406.
Platamone (de) Notar Francesco	» 106, 143, 171, 285.
Platamone (de) Giulio Sanzio	» 91, 92, 249, 250.
Platamone (de) Margherita	» 106.
Podio (de) Antonio	» 104, 106.
Podio (de) Cobalda	» 103, 104, 106.
Podio (de) Egidio	» 537.
Podio (de) Giovanni	» 103, 104, 106.
Podio (de) Gombaldo	» 105.
Pollastra (de) Bartolomeo	» 443.
Pollastra Colina	» 443, 444.

Pollastra Desiata	Pag. 443, 444.
Pollastra (de) Notar Luca	» 442, 443, 444.
Pollastra Violante	» 443, 444.
Pollicino (de) Notar Filippo	» 440, 457.
Pompeo (de) Antonio	» 266.
Pompeo (de) Agostino	» 238.
Pompeo (de) Bartolomea	» 267.
Pompeo (de) Giovanni Nicoló	» 266, 267.
Pompeo Pietro	» 237.
Porco (de) Pietro	» 392, 393.
Porto Carrero (de) Diez Sanches	» 247.
Possu Andreolo	» 408.
Possu Fransone	» 408.
Prades (de) Giaimo	» 50, 73, 273.
Procida (di) Olfo	» 25.
Profecto (de) Notar Matteo	» 252.
Protonotaro (de) Giovanni	» 303, 304.
Protonotaro (de) Oliviero	» 303, 304, 305.
Protopapa (de) Gregorio	» 313.
Puglu (de) Aliotta	» 470, 471.
Puglu (de) Antonella	» 471.
Puglu (de) Antonio	» 471.
Puglo (de) Francesca	» 471.
Puglu (de) Giovanni	» 470, 471.
Puglu (de) Giovanni Antonio	» 471.
Pujades Guglielmo, Conservatore	» 508.

Q

Quadro (de) Notar Giovanni	Pag. 479.
----------------------------	-----------

R

Raimondo (de) Guglielmo	Pag. 430.
Rao (de) Giacomo	» 333, 336.
Raya (de) Giovanni	» 517.
Raya (de) Giovenco	» 312.
Raya (de) Leto	» 314.
Rayadellis (de) Luigi, Commissario	» 73.
Regio (de) Anfilisia	» 499.

Regio (de) Antonio	Pag. 519, 532.
Regio (de) Niccolò	» 469, 532.
Regio (de) Pietro	» 469, 534.
Regio (de) Pino	» 531.
Regio (de) Tommaso	» 532.
Renna (de) Giovanni	» 502.
Requisens (de) Bernardo, Vicerè	» 22, 417.
Requisens (de) Giovanni	» 18, 21.
Requisens (de) Luigi	» 18, 21.
Resaliba Giuliano	» 460.
Rexacto (de) Antonio	» 174, 172.
Ricca (de) Antonio	» 454, 485.
Ricca (de) Rinaldo	» 266, 267.
Riculi Fuccio	» 548.
Rigio (de) Farinata	» 528.
Rinaldo (de) Giovanni	» 486.
Risgallo (de) Riccardo	» 314.
Rizari Giacomo	» 253.
Razari Goffredo	» 252, 255, 256, 257, 258.
Rizari Pietro	» 253, 254, 256, 258.
Rizo Notar Berardo	» 254, 258, 259, 492, 493.
Rizo (de) Giovanni	» 263, 493.
Rizo (de) Sgalambra	» 265.
Rocca (de) Niccolò	» 282.
Rocca (de) Santoro	» 496.
Roiis (de) Liori Sancio.	» 8.
Romania (de) Giovanni	» 244.
Romano Benedetto	» 250.
Romano (de) Cristoforo	» 437.
Romano (de) Giovanni Antonio	» 437.
Romano Sicilia	» 259.
Romano Silvestro	» 54.
Rosa (de) Francesco	» 302.
Rosa (de) Giovanna	» 302.
Rosello (de) Guglielmo	» 445.
Rosso Antonello	» 221.
Rosso (de) Beatrice	» 420.
Rosso (de) Bernardo	» 325.
Rosso Damiano	» 381, 383, 424, 425.
Rosso Enrico, Conte d'Aidone	» 181, 187, 188, 189, 268, 269, 270, 271, 272, 273, 274, 275, 277, 380, 383, 384, 388, 389, 420, 421, 422, 423.
Rosso Filippo	» 221.
Rosso (de) Girolamo	» 284.

Rosso (de) Guglielmo, Barone di Ce- rami	Pag. 381, 403, 404, 425, 427, 462, 463, 463, 464, 465, 514.
Rosso Leonora	» 403, 404.
Rosso Miano	» 380, 381, 462, 463, 514.
Rosso (de) Rosso	» 268.
Rosso Riccardo	» 381, 383, 424, 425.
Rosso Sabello	» 221.
Rosso Spatafora Antonio	» 421.
Ruggiero, Conte Normanno	» 24.
Russello Bernardo	» 246, 247.
Ruyra Simonello	» 245.

S

Sabia Nicolò	Pag. 464.
Saguna Antonino Federico	» 475.
Saguna (de la) Enrico	» 475.
Salamone (de) Giacomo	» 366.
Salamone (de) Mazullo	» 365.
Salamone (de) Ruggiero	» 365.
Salamone (de) Violante	» 366.
Salonia (de) Antonio	» 325, 326.
Salonia (de) Gonsalvo	» 326, 327.
Salonia (de) Guchio	» 326.
Salonia (de) Matteo	» 326.
Salonia (de) Niccolò Enrico	» 325.
Salonia (de) Salvatore	» 326.
San Lazzaro alias Scorciafino (de) Ge- nova	» 14, 15.
Sano (de) Giovanni	» 95.
Sano (de) Niccolò	» 95.
Sano (de) Rinaldo	» 95, 96.
Sanso (de) Bianco	» 478.
Sanso (de) Pietro	» 478.
Santa Cecilia (de) Bartolucio	» 280.
Santa Colomba (de) Arnaldo	» 226.
Santa Croce (de) Guglielmo	» 215.
Santa Pace (de) Angelella	» 288.
Santa Pace (de) Blandia	» 288.
Santa Pace (de) Calcerando	» 228, 287, 288, 470.

'Santa Pace (de) Galierano	Pag. 29, 30, 31, 32.
Santa Pace (de) Poncio	» 285, 286, 287, 291, 293, 294, 373.
Santa Pace (de) Raimondo	» 286, 287, 291.
Santa Pace (de) Ughetto	» 301, 502.
Santa Pace (de) Ugone.	» 11, 81, 228, 229, 285, 286, 287, 291, 292, 293, 373, 374, 470, 538.
Santo Stefano (de) Enrico	» 348.
Santo Stefano (de) Leone	» 143.
Santa Sofia (de) Filippo.	» 284.
Sassem Leonardo	» 298.
Satalia Notar Pietro	» 337.
Scaletta (de) Matteo	» 430.
Scammacca Antonio	» 381.
Scammacca Blasco	» 339, 360, 361.
Scammacca Matteo	» 360, 361, 453.
Scandolfo Ruggiero	» 60.
Scarozza Notar Giacomo	» 493.
Sciacca (de) Antonio	» 264, 265.
Schifano Giovanni	» 206, 207, 372, 303.
Schifano (de) Pino	» 371, 372.
Schifano Tommaso	» 355.
Sciortino (de) Alvaro	« 154.
Sciortino (de) Antonello	» 153, 159.
Sciortino (de) Antonino	» 153.
Sciortino (de) Beatrice	» 154.
Sciortino (de) Giorgio Salvatore	» 153.
Sciortino (de) Giovanni	» 152, 153.
Sciortino (de) Guglielmo	» 153.
Sciortino (de) Imperia	» 154, 155.
Sciortino (de) Mainitto	» 151, 152, 154, 156.
Sciortino (de) Maria Brigida Costanza	» 155, 158, 159.
Sciortino (de) Matteo	» 152, 153.
Sciortino (de) Niccolò	» 155, 158.
Sciortino (de) Pietro	» 155, 158.
Sciortino (de) Raimondo	» 480.
Sciortino (de) Rinaldo	» 152, 153, 154, 155, 158, 432, 551.
Sclafani (de) Antonio, Conte d'Adernò	» 230, 370.
Sclafani (de) Matteo, Conte d'Aidone	» 205, 442.
Segni Arnaldo	» 319.
Serra (de) Giacomo	» 320 525.
Serra Pietro, Cancelliere	» 542,
Settimo (de) Beatrice	» 330, 332, 333, 451.
Settimo (de) Baldassare	» 330, 332, 451.
Sgalambro Antonio	» 352.

Sgalambro Martino.	Pag. 265, 496.
Sgalambro (de) Pietro	» 265.
Sgalambro (de) Sebastiano	» 288, 289, 351, 352, 361, 453, 454, 488, 492.
Sgalambro (de) Sgalambra	» 265.
Sicamino (de) Ambrosiano	» 280, 281.
Sicamino (de) Geraldo	» 28, 282.
Sicamino (de) Macalda	» 280.
Silvis (de) Gaddo	» 526.
Siminat Pietro	» 80, 83.
Simone, Arcivescovo di Palermo, Pre- sidente del Regno	» 89, 206, 295, 296, 334, 340, 343, 382.
Simone (de) Pietro	» 281.
Siniscalco (de) Bernardo	» 364, 365, 366, 368.
Siniscalco (de) Filippa	» 365.
Siniscalco (de) Giovanri	» 365, 366.
Siniscalco (de) Isolda	» 365.
Siracusa (de) Antonio Daniele	» 154, 155.
Siracusa (de) Nicolò Antonio	» 490.
Siracusa (di) Pietro	» 66, 67, 323.
Siracusa (de) Simone	» 117.
Siurana (de) Andrea	» 474.
Soloni da Forlì (de) Tommaso	» 303.
Soloni da Forlì (de) Dina	» 303.
Solonia (de) Beatrice	» 154.
Sottile (de) Antonella	» 150.
Sottile Davide	» 150.
Sottile Francesco	» 148.
Sottile Laura	» 148, 150.
Sottile Nicolò	» 148, 150.
Soris Giacomo	» 191.
Spampinato Vincenzo	» 210.
Spinello Matteo	» 419.
Spallitta Giovanni	» 465.
Spallitta Guglielmo	» 465.
Spallitta Pina	» 466.
Spallitta Roberto	» 465.
Spallitta Ruggiero	» 466.
Spanemio (de) Conte Alberto	» 36.
Spatafora (de) Anselmo	» 64, 65.
Spatafora (de) Beatrice	» 380, 383, 420, 421.
Spatafora (de) Niccolò	» 66, 67.
Spatafora (de) Spata	» 66.
Spatafora (de) Tommaso, Conte di Sclafani	» 380, 420.

Speciale (de) Benedetto	Pag. 549.
Speciale Bianca	» 147, 441.
Speciale (de) Caterina	» 67, 353, 354, 406, 407, 441.
Speciale (de) Eleonora	» 406.
Speciale (de) Fiorella	» 315, 316, 317.
Speciale (de) Francesco	» 431.
Speciale Giovanni	» 89, 90.
Speciale Giovanni Matteo	» 147, 406.
Speciale (de) Macalda	» 431.
Speciale Matteo	» 89, 90, 407.
Speciale Nicolò, Tesoriere regio	» 67, 68, 89, 214, 313, 315, 316, 317, 353, 386, 400, 407, 440, 441.
Speciale Pietro, Maestro Razionale del Regno	» 89, 406, 432, 480.
Speciale (de) Teobaldo	» 431.
Speciale (de) Vassallo	» 147, 406, 440, 441, 550.
Speciario (de) Adamuzzo	» 180.
Spes (de) Gaspare, Vicerè	» 147, 227, 242, 257, 279, 288, 310, 451, 457, 464, 471, 473, 474, 475, 476, 478.
Stagno Giovannella	» 544.
Stagno Giovanni Antonio	» 544.
Stagno Manfredo	» 530.
Stagno Mita	» 530.
Stagno (de) Pietro	» 530, 531, 544, 545.
Statella Enrico	» 223, 224, 295, 296, 371, 372.
Statella Francesco	» 456.
Statella Giovanni	» 321, 493, 495, 551.
Statella Girolamo	» 456, 551, 552.
Statella Margherita	» 321.
Statella Riccardo	» 296.
Statella Scipione	» 321.
Stayti (de) Andrea	» 233.
Stulto (de) Giovannello	» 388.
Sulbano (de) Martino	» 391.
Suriano Andrea	» 387.
Suriano Antonio	» 385.
Suriano Cesarea	» 385.
Suriano Contessa	» 385.
Suriano Fiordelisia	» 385.
Suriano Giovanni	» 385.
Suriano Maddalena	» 385.
Snriano Pasquale	» 385, 386, 388.

T

Talamanca (de) Gilterto	Pag. 301.
Talamanca Guglielmo, Consigliere regio	» 41, 43.
Taranto (de) Giovanni, Dottore in legge	» 97, 371, 376, 377.
Taverna Antonio	» 329.
Taverna (de) Bartolucio	» 329.
Taverna Caterina	» 329.
Taverna Mita	» 330.
Taverna (de) Notar Pietro	» 329.
Taverna (de) Rinaldo	» 329.
Terrachina Giovanni	» 472.
Terri (de) Ruggiero	» 53.
Thethis (de) Eleonora	» 365.
Thethis (de) Manfredò	» 365.
Thethis (de) Riccardello	» 365.
Timera Antonio, Commissario	» 83, 346, 347.
Tommaso, Vescovo di Siracusa	» 241.
Traversa (de) Antonio	» 164, 165, 166.
Traversa (de) Galvagno	» 311.
Traversa (de) Giovanni Antonio	» 166.
Traversa (de) Laurea	» 166.
Traversa (de) Niccolino	» 165, 166, 382.
Traversa Orlando	» 328, 329, 354, 490.
Traversa (de) Rinaldo	» 164, 165.
Trayectino Diego, Preposito	» 36.
Troiano Gualtiero, Cancelliere regio	» 36.
Truxello (de) Alamano	» 410.
Truxello (de) Bianca	» 410.
Truxello (de) Brizio	» 331.
Truxello (de) Giovanni	» 331.
Truxello Guglielmo	» 219, 331, 409, 410.
Truxello (de) Niccolò	» 331.
Truxello (de) Palafino	» 410.
Tudisco o Tudiscio (de) Angela	» 263, 438, 439, 448.
Tudisco (de) Antonello	» 460.
Tudisco (de) Biancafiore	» 251.
Tudisco (de) Giacomo	» 250, 251.
Tudisco Giovanni Andrea	» 251.
Turisco (de) Antonio	» 120, 122, 125.
Turisco (de) Enrico	» 156.
Turisco (de) Giovanni	» 92, 122, 123.

U

Ugone (de) Giovanni	Pag. 108, 112, 113
Ulbertis (de) Andrea	» 53, 57, 60.
Ulbertis (de) Antonio	» 53, 57, 59.
Ulbertis (de) Giovanni	» 57, 58, 59, 60, 61, 63, 64.
Ulbertis (de) Scalorio	» 52, 54, 57, 59, 61, 62.
Ussina (de) Niccolò	» 120, 125.

V

Valcarino Giovanni	Pag. 395, 402, 403.
Valcarino Tommasa	» 396, 402, 403.
Vega (de) Ferdinando	» 415.
Velasquez Ferdinando	» 441, 442.
Ventimiglia Antonello	» 137.
Ventimiglia Antonio, Conte di Goli- sano	» 39, 72, 73, 74, 120, 135, 137, 354, 410.
Ventimiglia (de) Caterina	» 295, 296.
Ventimiglia Chicco	» 134, 135, 136, 137.
Ventimiglia Costanza	» 74.
Ventimiglia Emma nuele	» 69, 70, 71.
Ventimiglia Enrico	» 74, 410.
Ventimiglia Eufemia	» 135.
Ventimiglia (de) Filippa	» 410.
Ventimiglia Fiordilisia	» 135.
Ventimiglia Francesco	» 69, 70, 71, 72, 74, 82, 135, 410.
Ventimiglia Francesco Uberto	» 119, 120, 125.
Ventimiglia (de) Gaspare	» 293, 296, 410, 411.
Ventimiglia (de) Giovannello	» 297.
Ventimiglia Giovanni	» 411.
Ventimiglia Guglielmo	» 410.
Ventimiglia Ilaria	» 136.
Ventimiglia (de) Pietro	» 297.
Ventimiglia (de) Sigismondo	» 297.
Verdura (di) Pietro	» 127.
Vergara (de) Tommaso	» 220.
Vescovo di Catania	» 438, 448.
Vescovo d' Ilerda, Vicerè	» 248, 313, 326, 332, 424, 425, 435, 461, 465.

Villanova (de) Galcerando	Pag. 279, 367.
Villaragut Antonio	» 60.
Villardita (de) Barbara	» 216, 437.
Villardita (de) Bernardo	» 211, 212, 262, 263, 437, 439, 447.
Villardita (de) Giovanni	» 263, 437.
Villardita o Modica (de) Giovan Pietro	» 448, 449.
Villardita (de) Laura	» 439, 440.
Villardita (de) Manfredo	» 263, 437, 438.
Villardita (de) Pietro	» 438, 439.
Vincenzo (de) Giovanni	» 513.
Viperano Notar Filippo	» 334, 335, 375, 376.
Viperano (de) Isabella	» 335.
Viperano (de) Michele	» 334.
Vitale (de) Antonino	» 222.
Vitale (de) Simone	» 222.

X

Xea (de) Prandino	Pag. 325.
-------------------	-----------

Z

Zimbu Giaimo	Pag. 491.
--------------	-----------

INDICE DELLE MATERIE

CONTENUTE NEL VOLUME

	Pag.	
	5	PROLOGO
I.	6	Prammatica « POST BELLA » del Re Alfonso
II.	41	Isola delle Gerbe
III.	44	Isola di Pantelleria—Allegazione
IV.	21	Salario o reddito di onze 120 sopra la Secrezia di Palermo per la custodia dell'Isola di Pantelleria
V.	22	Isola di Favignana
VI.	23	Isole di Malta e Gozzo
VII.	24	Isola e città di Lipari
VIII.	27	Feudi Xhamopetro, Iudica, Fatamasim
IX.	39	Feudo e Castello Tavi
X.	44	Feudo con fortilizio di Grassiliato, e feudi lu Cundro e la Gatta Sul mero imperio
XI.	48	Feudi Gallitano, Gibilinsi, Auzucuda, Suffiana, Porcaria, Bauci, Man- drublancu, Chandigagluni, Ursitu
XII.	51	Feudo Draffurussu Soprano e Sottano
XIII.	52	Feudi Lu Cundro e la Gatta
XIV.	59	Feudo La Gatta—Allegazione
XV.	64	Feudo e Castello di Cassaro, e feudo Didini
XVI.	67	Feudo Didini
XVII.	69	Feudo e Castello Bilichi
XVIII.	76	Feudo Lupriolo
XIX.	77	Feudo o Casale di Callaro, e feudo Buccarrati—Allegazione

XX.	Feudo e fertili di Castelluccio	Pag. 85
XXI.	Altro fertilio di Castelluccio e feudo Churca	» 87
XXII.	Feudo Churca—Allegazione	» 90
XXIII.	Feudo Nissuria	» 94
XXIV.	Feudo Gallici	» 99
XXV.	Feudo li Cugni di Incumbau	» 103
XXVI.	Feudo li Savini—Allegazione	» 103
XXVII.	Feudi Candichactini, Racalveti, li Baruni e La Fontana di la Mortilla	» 107
XXVIII.	Feudo Baruni	» 112
XXIX.	Feudo Muxia	» 114
XXX.	Feudo delle Saline di Castrogiovanni, Gabella delle Saline—Allegazione	» 118
XXXI.	Feudo Barchyni	» 127
XXXII.	Feudi Burgio e Mangini colle Saline di Biliscari, Binuini e Trifilecta di Capopassaro	» 128
XXXIII.	Feudo li Mangini	» 132
XXXIV.	Feudo Capopassaro	» ivi
XXXV.	Feudi Raugiovanni, Bordonaro, Baulica Artisina	» 133
XXXVI.	Feudo Asmundo	» 138
XXXVII.	Feudo Alagona ossia Fusto	» 139
XXXVIII.	Feudi Rididini e Rayhalmandari	» 140
XXXIX.	Terra e Castello di Aquila	» 143
XL.	Feudo Buccetta	» 144
XLI.	Feudo Cassibile	» 145
XLII.	Feudo Alfano	» 148
XLIII.	Feudi Molisima e Bumuscuro	» 149
XLIV.	Feudi Rupectu, Maccari, Bimmisca, Xibeni, Renda, Billudia, Galermo, Larbiato, Bonfallura	» 150
XLV.	Feudi Larbiato e Galermo	» 152
XLVI.	Feudo Renda	» 154
XLVII.	Feudo Maccari	» ivi
XLVIII.	Feudo Rupectu	» 155
XLIX.	Feudi Galermo Larbiato	» 156
L.	Feudo la Salina o Pantano Rupectu	» 158
LI.	Feudo Bonfallura	» 159
LII.	Feudo Bumfala e pezzi di terra la Castellana	» 161
LIII.	Feudo Benesiti	» 164
LIV.	Feudo Radusa	» 166
LV.	Feudo Bombunecto. Marcato Bombunecto Muchulechi, Lavanca di Madonna Machauda	» 172
LVI.	Feudi Aliano, Rachalbigini, Chamemi	» 173
LVII.	Feudo Rachalbigini	» 178
LVIII.	Feudo Chamemi	» ivi
LIX.	Feudo Pilino, altrimenti Palicio o Santa Barbara	» 180
IX.	Feudo Bauli	» 184
IXI.	Feudo Fessima, Fortilizio di Pietratagliata, Dritto dell'Agostale dei Giudei di Palermo	» 185
LXII.	Feudi Baccarato e Pietraliscia	» 187
LXIII.	Feudo e Casale di Valcorrente—Allegazione	» 190

LXIV.	Feudi Burgilluso, Longarini, Lilansi, Rachalmedica, Bucherno, Falconara, San Lorenzo, Pulichi o Montesano	Pag. 192
LXV.	Feudo Burgillusa	» 193
LXVI.	Feudo Pulichi	» 195
LXVII.	Feudo di San Lorenzo	» 199
LXVIII.	Feudo Bucherni	» 200
LXIX.	Feudo Rachalginegi	» ivi
LXX.	Feudo Draffu	» 201
LXXI.	Feudo Melelao ossia la Favara	» 202
LXXII.	Feudi Melinventri, la Cuba, Sparacogna	» 205
LXXIII.	Feudi Sparacogna e Cuba	» 207
LXXIV.	Feudo Sparacogna	» 209
LXXV.	Feudo li Poyura di Paterno	» 210
LXXVI.	Feudo Limbaccari	» 211
LXXVII.	Altra metà del feudo Limbaccari	» 217
LXXVIII.	Tenimenti di ventidue terre esistenti nel territorio di Ragusa, Contado di Modica, delle quali mancano i nomi	» 218
LXXIX.	Feudo Aulivella	» 219
LXXX.	Foresta Millacha	» ivi
LXXXI.	Feudo Buscaglia	» 220
LXXXII.	Feudo Burgarano	» 223
LXXXIII.	Feudo Bonvicino o Silvestro, con Castello	» 225
LXXXIV.	Feudo Bivario di Lentini	» 227
LXXXV.	Feudi Brachalechi e Gibilsem	» 229
LXXXVI.	Feudo Bugidrano	» 230
LXXXVII.	Feudo Castani	» 232
LXXXVIII.	Feudo Pipino lu grandi, ossia Bibino	» 233
LXXXIX.	Feudi di San Giacomo de Belmineo, e Solarino	» 235
XC.	Feudo Solarino	» 238
XCI.	Feudo Baronessa ossia Ictibillini	» 239
XCII.	Feudi Spalla, Bigeni, Mustrari e Priolo	» 241
XCIII.	Feudo Burgilfeza	» 243
XCIV.	Feudo Buchalca	» 244
XCV.	Feudo Belvedere	» 247
XCVI.	Feudi Modalu di la Campana, altrimenti Bruca o Crixma, Cavalli o Churca, Captasi	» 249
XCVII.	Modalu di la Campana altrimenti Bruca o Crixma	» 250
XCVIII.	Feudi Bidino, San Giacomo, li terri di la Ecclesia, la volta di la Monaca li terri di la Spina, li terri di Petralonga, Bruchectu, Salinella e Santellu	» 252
XCIX.	Feudo San Giacomo	» 254
C.	Feudi Terra della Chiesa, Volta di la Monica	» ivi
CI.	Feudo Brucchietu	» 259
CII.	Feudo Buchuto o San Giuliano	» 260
CIII.	Feudo Bessima con molino di donna Guirreru ed orto	» 261
CIV.	Feudo di San Giuliano	» 264
CV.	Feudi Chadei e Bahalesi	» 266
CVI.	Terra di Aidone, feudo Baccarati	» 268
CVII.	Feudo Bondisem	» 278

CVIII.	Tenimenti delle terre Campana e Billiti	Pag. 279
CIX.	Tenimento delle terre Finochara	» 282
CX.	Feudo Xiri	» 283
CXI.	Tenimento delle terre Muntinigro	» 286
CXII.	Feudi Torrecta e Mendula	» 287
CXIII.	Feudi Mangalaniti e Manguli	» 290
CXIV.	Feudi Marineo, Lalia, Passanito e Belmonte	» 291
CXV.	Feudo Lalia	» 293
CXVI.	Feudo Passaneto	» 294
CXVII.	Feudo Belmonte	» 298
CXVIII.	Feudo Supradolcuna volgarmente la Dardara	» 301
CXIX.	Territorio Mautana con fondaco, vigna, ed altri pezzi di terre	» ivi
CXX.	Feudo Cuthuminu	» 302
CXXI.	Feudo Gathatausi	» 306
CXXII.	Feudo Collitorto o Fiume di la Mendula	» 309
CXXIII.	Casale ossia feudo Casba	» 311
CXXIV.	Feudi Ramasuli, Pancali e Pantano salso	» 315
CXXV.	Feudo Chanzaria	» 317
CXXVI.	Feudo Scarpello	» 319
CXXVII.	Feudo Morbano	» 320
CXXVIII.	Feudo Pietra Rossa Soprana e Sottana	» 321
CXXIX.	Feudi Xiridia e Monastero	» 322
CXXX.	Feudo Prato, orto e casa Manistalla	» 324
CXXXI.	Feudo Prato, ossia Santanino	» 325
CXXXII.	Feudo Lorsa, tenimento delle terre Chaveri, terre di Orsa, terre di Antonio Barbarocto	» 327
CXXXIII.	Feudo Misilini	» 328
CXXXIV.	Altra metà del feudo Misilini	» 330
CXXXV.	Feudo Cammaratini	» 332
CXXXVI.	Feudo Favarotta ossia Cathalfari	» 333
CXXXVII.	Feudo Sahuna Francavilla	» 335
CXXXVIII.	Feudo Pollicarini, e Baronessa	» 338
CXXXIX.	Feudo Baronessa	» 339
CXL.	Feudi Monacu, Buxella	» 340
CXLI.	Feudi Stafeuda, Grampoli, Mazaruni	» 342
CXLII.	Altra metà del feudo Stafeuda	» 344
CXLIII.	Feudo Grampolo	» 345
CXLIV.	Feudo Mazarruni	» 346
CXLV.	Feudi Eringintini e Grampolo	» 349
CXLVI.	Feudo Canneto	» 351
CXLVII.	Feudo Monte Climato	» 352
CXLVIII.	Territorio Timogni	» 354
CXLIX.	Feudo San Cosmano	» 355
CL.	Feudo Murgo	» 358
CLI.	Feudo o Casale Fiume Freddo	» 364
CLII.	Casali, Chaliruni o Fiume Salso, Nixima e Aynichaseni	» 364
CLIII.	Feudo Nixima	» 366
CLIV.	Feudo Nafizia	» 369
CLV.	Feudo Granaro	» 370

	Pag.
CLVI. Feudo Caruba	371
CLVII. Feudo Domica	» 372
CLVIII. Feudi Chiminella, Lamia	» 374
CLIX. Feudo Lamia	» 375
CLX. Feudo Graneri	» 378
CLXI. Feudi Pigadachi, Raudachinu Chilomu ovvero Xiruni	» 380
CLXII. Feudo Chilomu	» 382
CLXIII. Feudo Rachalmisuri	» 384
CXIV. Feudo Nuchifora, Granvilla	» 388
CLXV. Feudo Casale	» 389
CLXVI. Feudi Rapsi, Galteri. Baruni	» 392
CLXVIII. Targia grande, Targia piccola, Salacia regia	» 395
CLXIX. Feudo Chipulla	» 405
CLXX. Feudo Caranchino alias Belvidiri	» 407
CLXX. Feudo Guffara o Gulfora	» 409
CLXXI. Feudo Franca, territorio Cardoneto alias Plana, territorio Mantaqua albergo e battega nella terra di Mineo	» 411
CLXXII. Feudi Rasabia, Chaffo del Mastro o Zaffadu	» 413
CLXXII. Feudo Montagna di Marzo	» 415
CLXXIV. Feudi Fridano, Consorto	» 417
CLXXV. Feudo Consorto	» 418
CLXXVI. Feudo Montagna o Marcato	» 419
CLXXVII. Feudo Scordia Sattana	» 420
CLXXVIII. Feudo Scordia Soprana	» 423
CLXXIX. Feudo Ratagluso	» 424
CLXXX. Feudi Callura e Lamia	» 425
CLXXXI. Feudo di Lamia	» 427
CLXXXII. Feudo Sacculino, Feudi o Casali di Rachalgibili o Rachalbigini, Aliano e Longarino	» ivi
CLXXXIII. Casali o Feudi di Rachalgibili Rachalbigini, Aliano, Longarino	» 433
CLXXXIV. Feudo Cardinali	» 434
CLXXXV. Censi e Molini di Piazza e di Sant'Andrea	» 436
CLXXXVI. Feudo di Cachartini o di San Marco	» 440
CLXXXVII. Feudo Cavalera	» 442
CLXXXVIII. Feudo Capodarso	» 445
CLXXXIX. Feudo Rachali alias Radali	» 447
CXC.] Feudo Petra Chanziri, tenimenti di Castelluzzo, Montagna del Sa- raceno, Calabrese, Fiume di Marotta, Valle di Partisina, Manca del Grillo	» 449
CXCI. Feudo Carchichira	» 450
CXCII. Feudo Pancica	» 451
CXCIII. Feudo Jorgia alias Matrona	» 452
CXCIV. Feudo li Puzilli del territorio del Feudo del Murgo	» 453
CXCV. Feudo Mastra	» 454
CXCVI. Feudo dei Servi	» 456
CXCVII. Feudo Gisira	» ivi
CXCVIII. Feudo Gisira di Pagano alias Zarbactar	» 458
CXCIX. Feudo Ramione	» 459
CC. Feudo Tardello	» 461

89007240807



b89007240807a



89007240807



b89007240807a